BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 0
12

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUE. E. ROMA
55
11 A
8

~~XIX E 9 4~~

12-8-G·10

12 9 [illegible]

IN ARISTOTELIS LIBROS DE COELO, GENERATIONE, CORRVPTIONE, ET ANIMA.

COMMENTARIVS:

AVTHORE FRATRE IVLIANO CASTELVI & Ladron Carmelita, Liberalium Artium & Sacræ Theologiæ Doctore, & Cenſore, necnon in Academia Valen. Metaphyſicæ Profeſſore.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELlentiſſimum Principem D.D. Gaſparem à Borja, & de Velaſco S.R.E. Cardinalem Ampliſſimum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Anno 1630.

VALENTIAE,

Per Ioan. Baptiſtam Marçal, iuxta Templum D. Martini.

CENSVRA SAPIENTISSIMI Franciſci Paſtor Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris præſtantiſsimi, Valentinæ Sedis Præpoſiti meritiſsimi.

Commentarium iſtum in libros Ariſtotelis de Mundo, & Anima, de Generatione, & Corruptione, Authore P. F. Iuliano Caſtelvi & de Ladron Carmelita SS. Theol. Doct. Artium Mag. & in Academia Valent. Metaphyſicæ profeſſore, ex commiſsione perilluſtris D. Petri Garces I. V. D. ac Prioris de Rueſta, necnon pro Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Dño Don F. Iſidoro Aliaga Archiepiſcopo Valentino Vicarii generalis meritiſſimi, qua potui diligentia examinavi, & non ſolum doctrinam fidei, & bonis moribus conſonam, ſed etiam ſententias Ariſtotelis, & veterum Philoſophorum ſumma perſpicuitate, cum maxima breuitate coniunctas complectentem continet, ita ut non unicum Ariſtotelis commentarium, ſed omnes in unum collectos eſſe videatur. Ideoque dignum iudicavi, ut in communem omnium Philoſophiæ ſtudioſorum utilitatem typis mandetur. Valentiæ, die 27. Decembris 1627.

D. Franciſcus Paſtor.

PRO EDENDO OPERE FACVLTAS perilluſtris Domini Petri Garcès D. D. Vicarii generalis, ac Officialis Valentinæ Diœceſis.

NOS Petrus Garces Presbyter D. D. Prior de Rueſta, ac pro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Don Fr. Iſidoro Aliaga Dei, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Valentino, Regioque Cōſiliario, Vicarius Generalis, & Officialis in pręſenti ciuitate, & Diœceſi Valent. Quoniam ex commiſſione noſtra Franciſcus Pator Presbyter S. Theologiæ D. Præpoſitus Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Valent. nimia diligentia Commentarium in libros Ariſtotelis, de Mundo, & Anima, Generatione, & Corruptione, Interprete P. Fr. Iuliano de Caſtelvi Carmelitanæ familiæ alumno, in Academia Valentina publico, ac primario profeſſore, necnon Sanctæ Theologiæ Doctore, perlegit, & examinavit, & in eo aliquid fidei Catholicæ contrarium non inueniſſe, immo omnibus profeſſoribus Philoſophiæ valde utilem, & neceſſarium fore, nobis relatum fuit. Ideo tenore præſentium, ut in hac ciuitate & Diœceſi Valent. typis mandari poſſit, licentiam, & facultatem concedimus, & impatimur. Dat. in Palatio Archiepiſc. Valent. die 27. menſis Decembris 1627.

D. Garces Vicarius Generalis.

De mandato dicti Domini Vic. Gñlis.
Matthaus Calafat Not.

OPERIS

OPERIS IVDICIVM R. P. M. F. *Cyrilli Tortoſa, è Sacra Carmelitarum familia, divæ Theoſophiæ Doctoris lectiſſimi.*

HVNC in Ariſtotelis libros de Cœlo, Generatione, & Corruptione, Anima, & Metheoris, Authore P. Fr. Iuliano Caſtelvi, & de Ladron Carmelitano, Commētarium, iuſſu Reverendi Admodum Magiſtri, ac Patris noſtri Fratris Ioannis Ximenez Carmelitarum regularis obſervantiæ in Provincia Aragoniæ Provincialis, qua potui diligentia evolvi, nihilque inveni à doctrina ſana, optimiſque moribus alienum, immo eſſe opus omnibus numeris perfectum, dignumque, ut ad communem ſtudioſorum utilitatem typis mandetur. Valentiæ, in Conuentu Carmelitano, die 2. Ianuarii 1626.

Fr. Cyrillus Tortoſa.

OPERIS IVDICIVM IOANNIS Baptiſtæ Belda Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris ſapientiſsimi, Valentinæ Sedis Præpoſiti digniſsimi.

EX commiſſione perilluſtris Domini D. Ferdinandi à Villarraſa, Eccleſiæ Valentinæ Canonici digniſſimi, & Vniuerſitatis vigilantiſſimi Rectoris, attente legi in libros Ariſtotelis de Cœlo, Generatione, Corruptione, & Anima Commentarium, Authore Fr. Iuliano Caſtelvi, & de Ladron Religionis Carmelitanæ alumno, Theologiæ Doctore, Liber. Art. Magiſtro, & Profeſſore olim primario, ac nunc Metaphyſicæ Cathedræ moderatore; & non ſolum nil in illo inveni, aut Catholicæ Fidei cōtrarium, aut bonis moribus adverſum, verum iudicavi opus pluribus titulis dignū ut in lucem prodeat, & typis commendet. Non enim dubito, quia induſtria Authoris ſui non vulgaris doctrina Ariſtotelicæ maxime cōſentanea, optimarum Artium cognitio, & illa ornamenta, quæ in egregium Philoſophiæ Mag. & Profeſſorem cadere poſſunt, uberrimos ſint noſtræ Academiæ, & omnibus Philoſophiæ ſtudioſis fructus adlatura. Valentiæ die 10. *Ianuarii* 1627.

Ioannes Baptiſta Belda Theol. Doctor, & Profeſſor, Sedis Valen. Præpoſitus, & propoſitionum Fidei Cenſor.

PRO

PRO EDENDO OPERE FACVLtas perilluſtris Domini D. Ferdinandi à Villaraſa Sedis Valentinæ Canonici, & Vniuerſitatis Valentinæ Rectoris digniſſimi.

NOS Don Ferdinādus à Villaraſa Presbyter, Sedis Valentinæ Canonicus, Vniuerſitatiſque Rector, &c. Quoniam ex relatione Ioannis Baptiſtæ Belda S. Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris, Sediſque Valentinæ Præpoſiti nobis facta conſtat, hunc librum, cuius inſcriptio eſt, In libros de Cœlo, Generatione, Corruptione, & de Anima commentarius, Authore Fr. Iuliano Caſtelvi, & de Ladron Carmelitanæ familiæ alumno, Theol. Doctore, Artium Magiſtro, & Profeſſore olim Primario, ac nunc Metaphyſicæ Profeſſore, nihil orthodoxæ fidei, boniſque moribus diſſonum continere, imo eſſe opus ſtudio elaboratum, doctrina perfectum, & ad inſtitutum accōmodatum, dignumque, vt ubique terrarum evulgetur. Idcirco tenore præſentium facultatem concedimus prælo mandandi, & etiam in præſenti Vniverſitate à quouis Artiū Profeſſore explicādi, ac edocendi. Dat. in dicta Academia, die 12. menſis Ianuarii 1627.

Don Ferdinandus à Villarraſa
Canon. & Vniuerſ. Valen. Rect.

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
Principi D. Don Gaſpari à Borgia Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Ampliſsimo,

Frater Iulianus Caſtelvi & de Ladron, è Sacra Carmelitarum familia fœlicitatem nuncupat æternam.

NOTA eſt, & in ipſis Sacræ paginæ monumentis radicata ſententia (Cardinalis Excellentiſſime) cuilibet homini ſimul atque communem lucem videt, tutellarē Angelum deſtinari; qui eum textis geſtet ulnis, ne fallēte veſtigio in cæcam, ſeu apertam corruat ſcrobē. Non ſecus ego, naſcentem librum, (quem partum humanæ mentis Clemens Alexandrinus ritè vocat) Strom. lib. 1. *vel ideo cuſtodis Angeli manibus commendo, quod pari ac mortales fato ingruētium hoſtium patet incurſibus. Rodit invidus, ridet inſipiens, & criticus nigricantes theonino ungue notas infigit. Vnde factum exiſtimo, ut libris peculiarem quoque genium dederint veteres, ſic Martialis,*

Victurus Genium debet habere liber.

Si cuilibet etiam infœlici ingeniorum fœtui Genium deſignare neceſſe eſt; potiori quidem iure illū

eligam doctrinæ tutellarem, quem & patronũ veneror, & propugnatorẽ amplector. Adultam quidem prolem(ſatius dixerim informem vrſæ partũ) poſterorum memoriæ permiſſurus; cum virum à regali ſtirpe trahentem genus; virtute, & doctrina ſiquem alium præexcellentem exoptaſſem, nec ſubiit alius, nec optãti ſatisfecit præter te unũ (Princeps Illuſtriſsime) quem ſumma pœne dignitas, quem gentilitia ſtemmata humanum prorſus Angelum conſtituunt:(ſic vocat Eccleſiaſticos Dynaſtas Arnobius, & ingeniorum Fœnix Auguſtinus) In te vero neſcio quid huius Angelici ſplendoris rimatur iure quidem optimo fortuna. Bos enim, qui Regiam Borgiadum familiã cohoneſtat, cœleſtes illas mentes ab omni corporis contagione liberas ſignificat; ut Author eſt de meliori nota recentior ſapientiſsimus. Vnde cum eo petulantiæ res devenerit, ut libri quantumvis non vulgares, obſtrepẽtis plebeculæ dicteriis ſint obnoxii; te opus eſt, tali, tantoque viro huius Animæ Cuſtode, qui ſplendore animi, litterarumque decore cœlo digniſsimus, támque unus de cæleſti choro protector, caninis te invidorum rictibus opponas, & quaſi tuæ authoritatis clypeo reſupines in tartara aduerſarios. Facile ergo ad tuæ gentis Bovem libellus accurret, ut ſub tãti nominis clientela prodeat in lucẽ. Bovem ſiquidem patroci-

Arnobius.
Auguſt. in Pſalmos.
Vlyſſes Aldobrandus

nii

nii ſymbolum extitiſſe plura veterum monumenta teſtantur; ille enim, qui æneum Iudaici templi labrum ſuſtentabat, Prælatos (inquit Bernardus) totius Orbis atlantes innuebat, ut hoc etiam Angelorum referas dignitatē, qui Iobo teſte, portant Orbē. Glorietur ergo Borgiadum familia tāto ſtemmate, nulli nobilitate, nulli antiquitate ſecundo, vt præmat ſilentio Virgilius, Turni bovem. *lib. de modo bene viuendi. ſer. 18.*

Ad læuem clypeum ſublatis cornibus Io,
Auro inſignibat, iam ſetis obſita, iam bos.

Neapolitanorum numiſmata omnia, aduerſa parte Dyanæ habuiſſe effigiē, aduerſa vero Minotauri integram figuram ex pluribus refert Aldobrandus, vt antiqua ſæcula noſtri fælicitatem præſagirent, cum Neapolitani Regni habenas gubernaſti. Aliis vero tuæ nobilitatis argumentis ſuperſedeo, ne immenſa huius Oceani ſpatia, inani brachiorum iactatu enatare contendam; neve in altum turbido vento deuectus impingam in latentes ſcopulos, immanique aquarum monte concuſſus demergar temerarius. Hoc vnum non omittam, nihil me præmii pro exantlatis laboribus in cudendis his libris exoptaſſe, quam tui nominis Auguſtum patrocinium. Memini legiſſe me aliquando in Tito Liuio, boues

ſolitos

ſolitos dari antiquis pro corona. Age ergo ad tui nobiliſſimi ſtemmatis ſpectaculum, clamabimus, Io bovem vidimus, coronam obtinemus, & tuis ego lau dibus coronidem imponam, dum ſub tua tutellari umbra anima nec ad oppoſitum lapidem offen- dat, nec fallaces adverſariorum laqueos pertimeſcat. Vale, Princeps huma- niſſime, pro meis votis, vive pro tuis meritis.

LE-

LECTORI
Salutem.

METAM univerſi Curriculi evitatā rotis ſervidis tenemus, & ſummam difficiliori negotio imponimus tandem manum, dum hos ultimos tractatus, nihil de ſolida diſputationum ſerie tollentes, damus. Quos ſi pro quæſtionum dignitate attentius contempleris, nihil eis in omni Philoſophia, neque ad indaginē ſublimius, neque ad voluptatem iucundius, nihil ad dignitatem nobilius, neque ad ſaporem ſuavius reperies. Nam quæ in Dialecticæ aditu, & veſtibulo tractantur dumis obſita, impervia ambagibus, tricis impedita; quæ in Phyſicę octo peryſtiliis, ardua ſublimibus iugis, & laberinthæis orbibus, & callibus irretita eſſe pro certo ſtatues, ſi cum his quæ hîc agitamus, conferantur. Nam quidquid ars elaboratum induſtria protulit, quidquid fœcunda ſpōte natura peperit, ſive in ipſius terrę viſceribus abſtruſum, ſive in aëris ſublimiori parte efformatū, nobilitatum ſplendoribus,

illuſtre

illuſtre pulchritudine, novitate rarum edidit ſingulari, hic ultimus dilucidat liber, hic poſtremus differit tractatus. Anima enim quidquid elaboratum interna in arce profert, elucidatur. Quidquid cælorũ aſsiduus infert motus, exponitur, omne demum quod ad rerum aditum, & exitum agit, exacte diſcutitur. Quam ſint iucundæ, utiles, & neceſſariæ hæ diſputationes, nullus neſcit, ignorat nemo, neque ego hoc in aditu diſquiro. Quis etenim ambigat de Meteororum dulcedine? & quis de exordii, & exodii, aditu & exitu rerũ dubitet voluptate? Quis de animaſticæ officinæ ſapore? Hæc igitur, tibi Benigne lector, læto proponuntur animo, tu pari ea habe. Quæ ſi placuerint, ſi annuant ſuperi, maiora exſpecta, nam Metaphyſicam iamdiu meditor, & ſtatim daturum, & editurum me polliceor. Tu votis fave, noſtris fruere laboribus, & vale.

PRO-

PROOEMIVM.

HOC unum nobis deſiderabatur opus, hæc una cura, hic labor unicus, in controverſiā vocare, quæ Philoſophi cum ſuo anteſignano Peripateticorū vertice Ariſtotele, hunc in locum diſcutienda congeriit: quæ quo graviora, eo iucundiora, ſubtilioraque, diſcipulorum animos ſuperiorum notitia doctos, exacuatoſque, in ſui cognitionem abdita quaſi vi allectos, aquilino volatu pertrahunt. Mens nāmque humana poſtquam naturæ compagem novit, partes, comparteſque rerum, ingenitam corporum ſymmetriam, genitamque coagmentationē, convertit oculos ad indaganda nobiliora. Stupet pulcherrima huiuſce Amphitheatri mundi fabrica. Miratur cœlorum numerum, ordinem, motum. Remorantur curioſos illius oculos rutilātia lumina; occurrunt oculis oculi, cōfuſique ordinis, ordinatæque confuſionis ignarus indagat authorem. Audit ab inſperato mugientes tonitruum catapultas, validaſque ventorum impreſſiones, fluenteſque pluviarum rivu-

los, ſonitus cavernarum, fontiumque expers, artificem conſulit. Ad ſemetipſum dein cõverſus, ſui ortum, interitumque noſcens, diſquirit modum, cauſas, adminicula. Demum quod oculos, mentemque obnubilat, eſt certa Rationalis animi naturæ cognitio: ſibi met non credit, qui unica, indiviſibiliſque ſubſtantia tanta, tam diverſa, tam mira poſsit obire munia. Speculatur intimos, extimoſque ſenſus, cauſas, effectus, actuſque mirabiles; quæ omnia ingenita cupidine callere ſtudet, ſtudebo & ipſe ob oculos proponere, facilitate, methodo, ordineque ſolito: non omnia, quæ aſſolent hic agglomerare, quidam, ſed ea dummodo neceſſaria, hoc una contenta volumine.

Operis partitio.

TRES Tractatus hunc Commentarium exhaurient. Primus, quatuor libros Ariſtotelis de Cœlo concludet. Secundus, duos libros de Ortu & Interitu, ſive de Generatione, & Corruptione rimabitur. Tertius demum, tres libros de Anima breviter, ac dilucide comprehendet.

TRACTATVS PRIMVS,

In quatuor libros Ariſtotelis de Mundo, & Cœlo, vel potius de Mundo, & eius partibus.

HOS Libros inſcribunt Latini de Cœlo,& Mundo, Græci de Cœlo: appoſite tamen inſcribuntur de mundo,& eius partibus, quia obiectum adæquatum ipſorum eſt mundus, & ea quibus mundus coagmentatur. Exponit enim Ariſtoteles primo univerſum, deinde primam,& potiſsimam eius partem, nempe cœlum, poſtea elementa, partes minus nobiles, ut ex contextu librorum liquido conſtat. Sumitur autem hoc loco mundus, pro compoſito ex quatuor elementis, & corpore cœleſti: quem alij vocitare ſunt ſoliti Vniverſum, & Latini à perfecta, abſolutaque elegantia, Mundum, quia nihil eo ſit mundius, & perfectius; non perfectione omnigena, hæc etenim in divinam tantum cadit naturam; ſed ea quæ in genere ſuo perfectio dicitur, ob ſingularem rerum, ex quibus componitur, abſolutionem, naturarum diſtinctionem, varietatem, ordinem, & præſtantiam. Obiectum formale horum librorum multi ſolicite inquirunt, ſed cum agatur de eſſentia mundi,& eius partibus, non videtur eſſe quæſtioni locus. Præſtãtiam, voluptatem,& utilitatem huius operis Conimbricenſes ſolita eruditione præfantur.

In ſex diſputationes partiar præſentem tractatum. Prima, Mundum exponet. Secunda, Cœlorum naturam. Tertia, proprietates. Quarta, motum. Quinta, influxum in hęc inferiora. Sexta demum, elementa, prout ſunt univerſi partes, rimabitur.

LIBER PRIMVS, DE MVNDO,

CAPVT PRIMVM.

Mundum eſſe perfectum.

E*orum enim, &c.* Antequam Ariſtoteles inſtitutum oſtendat, docet Philoſophũ naturalẽ debere diſſerere de corporibus, eorũ

 mag-

magnitudine, affectionibus, & motibus: nam Philoſophus, inquit, differit de natura & rebus ad eam ſpectantibus; ſed hæc corpora conſtant natura, nempe materia, & forma; & magnitudo, ac motus ſunt affectiones naturæ; ergo de illis omnibus diſſerit Philoſophus. Deinde docet, continuum eſſe illud, quod dividi poteſt in ſemper diviſibilia, & corpus ex omni parte eſſe diviſibile; id eſt, ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: unde maxime laudat numerum ternarium, & docet eſſe nobiliſsimum inter omnes.

Ita quoniam, &c. Vt ſuadeat corpus eſſe perfectum, monet hæc tria, univerſum, omne, & perfectum non diſtingui. Hoc poſito, ſuadet corpus eſſe perfectum, quia omne corpus dividi poſt ex omni parte; ſed omne & perfectum ſunt idem; ergo corpus perfectum eſt.

Vniverſum, &c. Oſtendit demũ univerſum eſſe perfectum. Primo, quia omne corpus eſt perfectum, ſed univerſum eſt corpus, ergo eſt perfectũ. Secundo, omne totum & perfectũ idem ſunt, ſolum enim ratione materiæ diſcrepant, quia omne accommodatur quanto diſcreto, ſicut tres unitates dicimus eſſe omnes unitates ternarij, totum vero quanto continuo, ut tantam lineam eſſe totam lineam, ſed univerſum eſt omne & totum, ergo eſt perfectum. Tertio. Illud eſt perfectum quod omnia continet; ſed univerſum omnia continet; ergo, &c. Quarto. Quod in ſe ita eſt totum, ut tactu alterius corporis nõ terminetur, eſt perfectum; ſed univerſum tactu alterius corporis non terminatur, ut oſtendit infra cap. 9. ubi ait, nihil eſſe extra cœlum; ergo &c.

CAPVT SECVNDVM.

Præter elementa datur quintum corpus ſimplex.

OMNIA, *&c.* Demonſtrat hic Philoſoph⁹ prçter quatuor elementa conſtituendum eſſe aliud corpus ſimplex, nempe cœlum. Dicuntur elemẽta & cœlum corpora ſimplicia, non quia careant compoſitione ex materia & forma, (eam enim admittunt, cum ſint entia naturalia) ſed quia non ſunt mixta. Antequam probet inſtitutũ, ſupponit tria. Primum, omne corpus eſſe mobile, quia habet naturam. Secundum, triplicem eſſe motum, nempe à medio, hoc eſt à centro mundi; & hic eſt motus ſurſum, & ad medium, id eſt ad centrũ; & hic eſt motus deorſum, & circa medium, qualis eſt motus circularis. Tertiũ, ſicut quędam ſunt corpora ſimplicia, nempe ignis, & terra, & quædã mixta, nempe ea quę ex his componuntur, ita motus alios eſſe ſimplices, qui tribuuntur corporibus ſimplicibus, & alios mixtos, qui tribuuntur corporibus mixtis.

Quod ſi motus, &c. His poſitis ſic probat ſuum inſtitutum. In rerum natura datur motus circularis, qui ſimplex eſt; ergo debet

dari

dari aliquod corpus ſimplex cui competat; atqui nequit competere elementis, cum moveantur motu recto, & uni corpori ſimplici unicus tantum debeatur motus ſimplex; ergo pręter quatuor elementa admittendum eſt quintum corpus ſimplex, nempe cœlum, cui conveniat talis motus. Præterea, antequam Ariſtoteles idem probet, ponit duas hypotheſes. Prima eſt, motus cōtra naturam opponitur motui naturali. Secũda, uni unum tantum eſt contrarium. Modo ita argumentatur. Si motus circularis conveniret elementis, vel conveniret illis naturaliter, vel contra naturam; non primum, nam uni corpori naturali unus tantum debetur motus; nec ſecũdum, quia uni unum tantum eſt contrarium, & ita cum igni, verbi gratia contrarietur motus deorſum, non poterit illi opponi motus circularis. Poſtremo, ſi motus circularis conveniret elementis contra naturam, ita ut non conveniret alteri naturaliter, ſequeretur aliquod violentum eſſe perpetuum, quia motus circularis perpetuus eſt. Cōſtat ergo pręter quatuor corpora ſimplicia, dari quintum, nempe cœlum. Neque ex hoc colligas exſtimaſſe Philoſophum, unicum dumtaxat eſſe cœlum, nomine enim corporis cœleſtis intelligit corpus cœleſte in communi, quod ſub ſe varias corporum ſpecies continet.

CAPUT TERTIUM.

Cœlum neque grave, neque leve.

Quod igitur, &c. Intentum Philoſophi eſt oſtendere quid ſit cœlum, atque adeo ipſum nec eſſe grave, nec leve, nec alterabile, nec oriri, nec interire poſſe, ad quod duo præſtat. Primo aliqua ut certa ſupponit. Secundo, intentum ſuum ſuadet. Primo; ergo ſupponit grave illud eſſe, quod movetur ad medium, leve quod movetur à medio. Supponit ſecundo, graviſsimũ illud eſſe, quod ſubeſt omnibus, quæ deorſum feruntur; leviſsimum vero quod ſupereminet omnibus, quæ ſurſum feruntur: quibus ſuppoſitis oſtendit, cœlum nec eſſe grave, nec leve, quia cœlum non fertur à medio, neque ad medium; ergo neque grave, neque leve eſt. Antecedens ſuadetur, quia motus à medio eſt naturalis igni, motus ad medium eſt naturalis terræ; ergo nequit eſſe naturalis cœlo. Conſequentiam demonſtrat ex dictis ſuperiori capite, quia cuilibet corpori ſimplici debet reſpõdere ſuus motus ſimplex; ergo nequit moveri motu ſurſum, vel deorſum, quia vel moveretur ſecundum naturam; & hoc non, quia hi motus ſunt alijs corporibus naturales; vel pręter naturã, & hoc non, quia ſi movetur, exempli cauſa, deorſum præter naturam; ergo contrarius motus eſt illi naturalis, quod eſſe nequit, cum talis mo-

tus ſit alteri corpori naturalis, ſcilicet igni, ergo, &c.

Eodem, &c. Suadet deinde cœlum nec oriri, nec interire, nam quæ oriuntur, & intereũt, ita ſe habent, ut oriantur ex contrario, & componantur ex illo; ſed in cœlis nulla eſt contrarietas, aliàs in cœlis eſſent motus contrarij, quod ſequenti capite docet eſſe falſum; ergo cœli nec generari, nec corrumpi queunt. Deinde nec poſſunt accreſcere, nec decreſcere, nam accretio eſt quidam ortus, & decretio quidam interitus; ergo ſi nequeunt oriri, & interire, nec poterunt accreſcere, & decreſcere; unde neque poterunt commutari, nec alterari, nam iſti motus proveniunt etiam à contrario, & diſponunt ad corruptionem.

Ad primum, &c. Demum in fine capitis docet, cœlũ eſſe quoddam corpus ſempiternum, quod nec poteſt accreſcere, nec decreſcere; ſed eſt liberũ ab omni ſeneƈtute. Eſſe æternum, ac ſempiternum ex eo provat, quia omnes fatentur cœlum eſſe ſedem, & domicilium Dei, qui æternus eſt.

CAPVT QVARTVM.

Motui circulari nullus alius motus adverſatur.

SVmpta occaſione ex ſuperiori capite, inquirit, an motui circulari aliquis motus opponatur: & docet non opponi, nam motus poſitivus vel eſſet reƈtus, vel circularis; non primum, nam motus reƈtus tãtum opponitur alteri motui reƈto, ut videre eſt in motu ſurſum, qui opponitur motui deorſum, atque ita cum cœlum non moveatur motu reƈto, non poterit motui ipſius contrariari motus reƈtus. Probat etiam late nec aliquem motum circularem opponi motui reƈto.

Dices ex Ariſtotele oƈtavo Phyſico. cap. 8. illi motus ſunt contrarij, qui ſunt ad terminos contrarios: & ſubdit, idem contingere, cum ſit motus per lineã circularem: imo illos motus vocat contrarios, qui ſe impediũt, & cum unus motus circularis poſsit impedire alium, ideo unus motus circularis contrariari poterit alteri motui circulari. Quidam dicunt Ariſtotelem tantum velle motus circulares contrariari inter ſe, non ratione lineæ circularis, ſed ratione lineæ reƈtę, aut Ariſtotelem loquutum fuiſſe ex aliorum ſententia. Dico etiam Ariſtotelem nomine contrarij intellexiſſe idẽ quod diverſum. Dices, contra. Motus ab ortu ad occaſum eſt contrarius motui ab occaſu ad ortum, ſed primum mobile movetur ab ortu ad occaſum, reliqui vero orbes Planetarũ moventur ab occaſu ad ortum; ergo motui circulari poterĩt alius eſſe contrarius. Reſpondemus, illos motus non eſſe contrarios, quia non fiunt ſupra eoſdem polos, & lineas, nec fiunt ad loca contraria.

CAPVT QVINTVM.

Cœlum finitam obtinet magnitudinem.

SI *enim,&c.* Monet hãc diſputationem eſſe maxime neceſſariam in Philoſophia, nam ex illa ortę ſunt magnæ controverſiæ; tum etiam quia parvus error in principio, fit maximus in fine; infinitum autem in ſententia veterum habet rationẽ principij. Suadet iam inſtitutum, nã ſi cœlum haberet magnitudinẽ infinitam, nequiret moveri; ſi enim corpus cœleſte infinitum eſſet, lineæ quæ ducerentur à cẽtro uſque ad circumferentiam, eſſent infinitæ, atque adeo per motum nullo modo pertranſiri poſſent; quod tamen eſt falſum, quia mobile tempore vigintiquatuor horarum ſuum perficit motum.

Præterea, &c. Monet Philoſophus Tempus, Motum, & Magnitudinem, ſibi correſpondere in ratione finiti; ex quo ſic argumentatur. Si cœlum eſſet infinitum, fieret ut id quod infinitum eſt, finitum eſſet, quia motus cœli finitus eſt cum fiat tempore vigintiquatuor horarum, & cum eadem ſit ratio motus, & magnitudinis in ratione finiti, & infiniti, conſequenter dicendum eſſet, magnitudinem cœli finitam eſſe.

CAPVT SEXTVM.

Elementa magnitudinem finitam ſibi vendicant.

PRæterea, *&c.* Elementa finitam magnitudinem obtinere oſtendit, & primo oſtendit de igne, & terra, nam loca horum elementorum ſunt finita; ergo hæc elementa finita erunt. Antecedens claret, nam ſi hæc loca non eſſent finita, non quieſcerẽt in illis corpora, ſed perpetuo, & in infinitum moverentur. Suadet idem de elementis medijs, nempe de aqua, & aëre, nam hęc elementa continentur inter extrema finita, ſcilicet inter terram, & ignem; ergo debent finitam magnitudinem obtinere.

Ac præterea, &c. Deinde abſolute probat de omnibus elemẽtis, nam ſi eſſent infinita, infinitam gravitatem, & levitatem obtinerent, ex quo varia ſequerentur abſurda, ergo &c.

Sequitur, &c. Probat demum, nequire dari aliquod corpus infinitum ex partibus ſimilaribus coagmẽtatum. Primo enim nequit coagmentari ex finitis partibus, alias tãtum eſſet finitum; nec ex infinitis, quia iſtę partes coagmentantur ex alijs, quæ finitæ ſunt; ergo & ipſæ finitæ erunt.

✳

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

Nullum corpus naturale infinitum eſt.

NISI *corpus, &c.* Demonſtrat inſtitutum, quia ſi eſſet corpus naturale infinitũ, nequiret agere, & pati. Primo, nequiret agere, nã cũ eſſet infinitũ, non haberet aliud corpus in quo ageret; nec poſſet pati, nam vel pateretur à corpore finito, vel infinito; non ab infinito, quia ſequeretur dari duo corpora infinita; nec à finito, quia iſtud cum haberet minorẽ virtutem, in infinitum agere nõ poſſet.

CAPVT OCTAVVM.

Non dantur plures mundi.

NVnc *autem, &c.* Ponit Philoſophus hic quaſdam hypotheſes. Primam. Omnia corpora naturalia poſſunt quieſcere, & moveri, aut naturaliter, aut contra naturam. Secundam. Corpus ibi naturaliter quieſcit, quo naturaliter movetur, & ibi quieſcit violenter, quo violenter movebatur. Tertia n. Quando aliquis motus eſt violentus alicui corpori, oppoſitus eſt illi naturalis. Quartam. Si eſſent plures mundi, partes maiores illius, ſcilicet elementa, eſſent eiuſdem ſpeciei, aliàs mundi nõ eſſent eiuſdem ſpeciei, quod tamen repugnat Democrito, & Leuſipo; tum etiam iſtæ partes haberent eundem motum; ergo eſſent eiuſdem ſpeciei. Probat iam non dari plures mundos, nam ſi eſſent plures mundi, terra alterius mundi vel moveretur ad medium naturaliter, vel contra naturam; non hoc ultimo modo, nam quę ſunt eiuſdem ſpeciei, ſi unum movetur ad aliquem locum naturaliter, etiam & aliud; ſed illę duę terræ eſſent eiuſdem ſpeciei; ergo ſi una moveretur naturaliter etiam & alia.

CAPVT NONVM.

Vnicus dumtaxat eſt mundus.

MVndum, *&c.* Sumpta occaſione, ex capite ſuperiori proponit in pręſenti propriam ſententiam, & monet primo eſſe diſtinctam rationem formæ in communi, & in particulari; quo poſito, deducit poſſe dari mundum in communi, & plures mundos in particulari, nam cum materia ſit principium diſtinctionis & multitudinis, cũ mundus conſtet materia, poterit etiam multiplicari. Monet tamen hoc efficaciter non deduci, nam mundus iſte conſtat omni materia, & ita non poterit multiplicari; ſicut ſi daretur aliquis qui haberet omnes carnes, & omnes nervos, non poſſet dari aliud animal habens diverſas carnes, & nervos.

Cum

Cum his, &c. Proponit aliquas ſignificationes cœli, & demonſtrat cœlum & mūdum conſtare omni materia. Primo, cœlum ſignificat ultimam ſphęram. Secundo, omnes orbes planetarū. Tertio, machinam univerſi, quo modo ſumitur hic cœlum. Modo probat Ariſtoteles: Si cœlum non cōſtaret omni materia, poſſet extra cœlum eſſe aliquod corpus ſenſibile, quod tamē eſt impoſsibile, nam vel moveretur motu recto, vel circulari; neutro autem ex his motibus moveri poſſet, quia ſupra ultimum cœlum nō eſt aliquis locus ad quē corpus moveri poſſet.

CAPVT DECIMVM.

Quaſdam ſentētias de mundi duratione reijcit.

O*Mnes, &c.* Docet omnes Philoſophos convenire in eo, quod affirment mundū fuiſſe genitum; diſcrepant tamē reſpectu finis illius, nam Plato dicebat, non habiturum finem, Empedocles vero habiturum, & contra Platonem argumentatur. De rebus iudicandum eſt iuxta ea quæ in illis regulariter eveniunt, ſed ut in plurimum accidit, quod habet principium ſui eſſe, pariter habeat finem; ergo ſi iuxta Platonem mundus habuit principiū, habebit pariter finem.

Viciſsim, &c. Confutat Democritum dicentem, mundum viciſsitudine quadam oriri, & interire: ex eo enim quod homo modo ſit puer, modo ſenex, non dicitur oriri, nec interire; ergo neque hoc dicēdum de mundo: Confutat etiam Empedoclem, & alios Philoſophos, aſſerentes dari plures mundos, ita ut unus in alterum deſineret.

CAPVT VNDECIMVM.

Nonnulla vocabula explicat.

D*Icitur itaque, &c.* Confutatis veterum ſententijs, de mundi origine, & interitu antequam ſuam aperiat ſententiam, explicat quot modis aliquid generabile, & ingenerabile, corruptibile, & incorruptibile dici queat. Primo ergo modo aliquid dicitur ingenerabile, quia de novo incipit, non tamē per veram generationem: ut motus, qui per alium motum non incipit; alias eſſet proceſſus infinitus. Secundo, id quod gigni poteſt, nondum tamen genitum eſt. Tertio, id quod impoſsibile eſt ita fieri, ut interdum ſit, interdum non ſit. Deinde aſſerit, totidem modis dici generabile, totidemque corruptibile, & incorruptibile.

Si igitur hæc ita ſint, &c. Quia in explicanda ſignificatione illorum vocabulorum uſurpavit impoſsibile, & poſsibile, explicat quot modis dicantur. Primo ergo dicitur aliquid poſsibile, vel impoſsibile ſimpliciter, nulla facta comparatione ad alterū; alio modo comparative, id eſt, quod alicui eſt poſsibile, vel im-

impoſsibile, quod contingit ſecundum potentiam, vel impotẽtiam: unde ait, quando rem aliquam definimus ſecundum potentiam eius activam, talem potentiam definiendam eſſe per maximum ad quod ſe extendit: ut ſi quis habeat potentiam ad portandum centum libras, non bene dicemus habere facultatẽ ad portandum octo, ſed cẽtrum libras. Rurſus vero monet, naturalem potẽtiam quoad id quod non valet declarandam eſſe per mini num quod non poteſt: ut ſi quis centum dumtaxat libras ferre queat, minimum quod nõ poteſt, erunt libræ 101. per quas declaranda erit eius potentia ſecundum id quod non poteſt.

CAPVT DVODECIMVM.

Mundum ingenitum, & incorruptibilem eſſe oſtendit.

PRoponit propriam ſententiã aſſerentem, mundum nec genrabilem, nec corruptibilem eſſe, & primo ponit aliquas hypotheſes. Prima eſt. Ea quæ poſſunt eſſe & non eſſe, debent habere aliquod tempus determinatum, in quo queant eſſe, & non eſſe. Secunda. Falſum & impoſſibile non ſunt idem, nam Petrum deambulare quando ſedet, eſt falſum, non tamen impoſsibile, poterat enim pro eodem tempore deambulare.

Quod ſi, &c. Deinde ſuadet genitum & corruptibile nequire eſſe perpetuum, nam corruptibile dicitur, quod etſi modo ſit, poſtea tamen non erit; ſed æternum dicitur quod ſemper eſt; ergo quod eſt genitum, & corruptibile nequit eſſe æternum, & perpetuum.

Nec igitur, &c. Oſtendit poſtremo, omne ingenitum, & incorruptibile eſſe perpetuum, nam ingenitum eſt, quod modo habet eſſe, & antea ſemper habuit. Incorruptibile etiam quod hoc modo etiam habet eſſe, & poſtea ſemper habebit; ſed perpetuum, & æternum ſunt idem; ergo ingenitum, & incorruptibile, ac perpetuum idem erunt.

DISPVTATIO PRIMA; De Mundo.

PERFECTAE ſyderum, cœlorumque cognitioni prævia decurret mũdi diſceptatio, ut hoc aggregato, noto, univerſa nimirum hac rerum mole, ex terra, aqua, aére, igne, cœliſque compacta, ſua, ſe partes ſingulę natura eluceſcãt. Operepretium namque eſt noſſe prius quid agatur, quam quæ ſint partes ex quibus componitur.

DVBIVM I.

Mundi definitio.

In cap.1.q.1 art.1.

MOneo cum Conimbricenſibus quinque celebrari mundos à Philoſophis, & Theologis, ſcilicet Archetypũ, Angelicum, Elementarem, Mundum magnum, Mundum paruum. Mundus Archetypus, ſiue intelligibilis, eſt ipſa Dei ſcientia de rebus agendis. Diciturque Archetypus, quia eſt velut prototipon, exemplar, & idea formalis, quæ dictat rerum agendarum modum.

Angelicus mundus, ſeu ſpiritalis, eſt Angelorum multitudo in tres diuiſas hierarchias, quorum ſingulæ in tres choros diuiduntur.

Ita auctor libri de Mundo ad Alexãdrum.

Mundus magnus, eſt compages ex cœlo, & terra coagmentata, & ex his rebus quæ intra ipſa continentur.

Mũdus paruus, Græce Microcoſmos, eſt homo, quia in parua mole continet gradus omnes entium, qui magno in mundo diſperſi ſunt, nẽpe gradũ corporis, viuentis, ſentiẽtis, & intelligentis. Propter hoc & alia hominis admiranda docuit Hugo Victorinus hominem eſſe mundum vere magnum, & Philoſophos in appellatione parui fuiſſe deceptos.

Mundus elementaris dicitur, qui conſtat cœlo, & elementis. In his libris de mundo elementari diſſeritur, in hac tamen diſputatione de mundo magno nõ nulla ſubijciam.

Mundus magnus, prçter traditam definitionem, ſolet definiri Artefactum ſupremi artificis ex tota corporum, & ſpirituum vniuerſitate, recto ordine, ſitu, & diſpoſitione compactum. Ad hunc modum etiam elementalis mundus diffinitur, Artefactum diuini artificis ex cœlo, & elementis recto ordine coagmẽtatum.

Vt de partibus, ex quibus mũdus conſtatur, aliqua dicamus, prænoto, in quouis toto artefacto duo genera partium reperiri. Quædam ſunt partes eſſentiales, quæ omnino neceſſariæ ſunt ad finem propter quem fit opus, ut ſunt in domo fundamentum, parietes, & tectum. Aliæ ſunt accidentales, vel integrantes, quæ ſolum iuuant ad maiorem partium eſſentialium perfectionem, ut in eadem domo, parietum dealbatio, lapidũ ſtructura, lignorum deauratio, ornatus, & ſimilia.

Dico primo. Materia eſſentialis mundi elementalis ſunt corpora ex quibus coaleſcit, forma vero eſt ordo, ſitus, & dependentia horum corporum. Suadetur. In compoſitis naturalibus partes habent rationem materiæ, & unio earum rationem formæ; ergo etiam in compoſitis artefactis, res ex quibus conſtat artefactum, habent rationem materiæ, ordo vero, & ſitus rationẽ formæ, cuius ſignum eſt, quia diſſoluto iſto ordine & ſitu, etiã ſi maneat tota materia, deſtruitur artefactum; ſed mundus eſt quoddam artefactum ſupremi artificis, ut dictum; ergo corpora ex quibus conſtat, habent rationem materiæ, ordo vero, ſitus, & dependẽtia eorum rationem formæ.

Dico ſecundo. Partes materiales eſſentiales mundi elementa-

lia ſunt ſola corpora ſimplicia, nempe cœlum,& elemẽta,mixta vero ſunt quaſi partes integrantes ſpectantes ad univerſi decorem & perfectionem. Demonſtratur primo, nam materia eſſentialis artefacti eſt illa, in qua primo & per ſe recipitur eius forma, ſed forma mundi, nempe ordo, ſitus,& dependentia proprie & per ſe invenitur in corporibus ſimplicibus; ergo hęc ſunt partes eſſentiales eius. Minor probatur, quia ordo, ſitus, & dependentia inter hæc corpora reſultat ex naturali prę ſentia, quam unumquodque corpus habet in ſuo proprio loco, ita ut grave teneat infimum locum, leve ſuperiorem, cœlum vero omnibus emineat; atqui talis prę ſentia naſcitur ex natu rali forma horum corporum, ra tione cuius etiam ſunt inter ſe connexa in ordine ad dependen tiam quorundam ab alijs; ergo ordo, ſitus, & dependentia, quę eſt forma mundi elemẽtalis, per ſe,& proprie convenit corporibus ſimplicibus. Mixta vero nõ eſſe partes eſſentiales liquet, nã poſt diem iudicij manebit idẽ mundus,qui nunc eſt,tametſi re novatus, & magis perfectus,& tamen tũc nullum manebit mixtum,dempto homine;ergo partes eſſentiales mundi non ſunt mixta.

Secundo. Finis univerſi eſt homo, iuxta illud Cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius,ſed ad hunc finem mixta nõ exiguntur niſi accidentaliter, & pro ſtatu mortali,ad eius ſuſtentationem & ornatum,cuius ſignum eſt,quia tranſlato homine in gloriam, ſtatim peribunt mixta,elemẽta vero & cœli mã nebunt; ergo elementa & cœli tantum ſunt partes eſſentiales mundi; mixta vero dicũtur partes integrantes, quia ornant & perficiunt mundum ſua varietate & diſtinctione. Neque refert mixta eſſe perfectiora elementis & cœlis, nam in toto artificiali,quale eſt mũdus, (ſecus in naturali in quo eſſentia eſt cauſa efficiens ſuorum accidentiũ) bene poſſunt partes eſſentiales eſſe imperfectiores accidentalibus,& integrantibus, quia partes minus perfectæ poſſunt eſſe magis neceſſariæ ad finem operis quam integrantes,& artifex ab imperfectioribus ſolet, vel poteſt progredi ad perfectiora, & ea quæ ornant opus artefactum.

Collige ex dictis primo. Mixta tametſi non ſint de eſſentia mundi elementalis, eſſe tamen de eſſentia mundi magni,qui eſſentialiter coagmẽtatur ex mixtis tanquam ex partibus,cum ſit eſſentialiter congeries omnium rerum creatarum.

Collige ſecundo. Deum & Angelos non eſſe partes mundi elementalis. De Deo claret,quia artifex non eſt pars artefacti, ſed mundus eſt artefactum Dei; ergo Deus non eſt pars mundi,ſed gubernator & rector. De Angelis deduco ex ſancto Thoma dicente, hominem eſſę perfectiſſimam creaturam univerſi; ergo Angeli qui ſunt perfectiores hominibus, non ſunt eius partes; mundus enim elementalis tantum dicit compoſitionẽ ex cœlis,& elementis, cui Angeli extrinſeci ſunt; anima tamen rationalis erit pars mundi elementalis integrans,quia eſt pars hominis, *In 1.diſtin.*

minis, qui eſt pars mundi. Si tamen ſermo eſſet de mundo magno, Angeli ſine dubio eſſent partes præcipuę illius, hic enim dicit collectionem omnium creaturarum: Deus tamen non eſt pars adhuc mundi magni, ſed principium eius, nec proprie cōtinetur in mundo, ſed continet mundum, regit, & moderatur.

DVBIVM II.

Num mundus perfectus ſit, & an perfectior produci potuerit.

ASſero primo. Mundus in ſuo ordine perfectus eſt. *Ita Theologi & Philoſophi.* Suadetur, quia perfectio totius deſumi debet ex perfectione, & diſpoſitione partium; ſed partes mundi & earum diſpoſitio perfecta eſt; ergo, &c. Minor quoad primam partem probatur, quia quælibet creatura perfecta eſt in ſua eſſentia, proprietatibus, & accidentibus, & in mundo ſunt decem ſuprema genera, & omnes gradus entium, ſcilicet corporum, viventium, & intelligentium; ergo mūdus ſecundū partes perfect⁹ eſt. Secunda pars minoris, nempe diſpoſitionem partium mundi eſſe perfectam, ſuadetur, nam ordo, ut divus Auguſtinus, *19. de ciuit. Dei cap. 13.* nihil eſt, quam diſpoſitio parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens; atqui hæc diſpoſitio invenitur perfecte in partibus mūdi, pręcipue in eſſentialibus, ut in elementis, & corporibus cœleſtibus, cuius ſignum eſt, quia ſingula naturaliter quieſcunt in ſuis locis; ergo mūdus cōditus eſt perfectus, etiam conſiderato ordine partiū eius.

Firmatur, nam Geneſis primo capite, ſingulæ creaturæ viſæ ſunt Deo bonę, & poſtea dicitur. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona.* Quia ſcilicet, ut acute notavit divus Thomas, *a contra gentes cap. 55.* tametſi ſingulę creaturę in ſe bonę ſint, tamen ſimul ſunt omnes valde bonæ propter earum ordinem, ſitum & diſpoſitionē, atque ita dictus eſt mundus quaſi nihil ſit eo mūdius, pulchrius, atque perfectius.

Nec obſtat noſtro dicto mundum continere monſtra, peccata, mutuam elementorum pugnam, & animantes noxias, nam monſtra, tametſi degenerent à perfectione accidentali propter defectum alicuius cauſę, habent tamen perfectionem ſuæ ſpeciei eſſentialem, & præterea faciunt ad maiorem univerſi elegantiā, quatenus alia ex earum collatione pulchriora apparēt, ob quā rationem, ut inter alios aſſerit divus Auguſtinus, *Lib. 3. de libero arbitrio cap. 9.* mala culpæ quæ non ſunt defectus naturales, ſed liberi, quamvis in ſe turpia ſint, conferunt nihilominus ad mundi ornamentum, quatenus ex eorum comparatione virtutum ſplēdor magis nitet; mutua vero elementorum pugna nihil pulchritudinis univerſo adimit; non enim tollit ordinē univerſi, immo potius ipſe ordo naturę talem pugnam expoſcit; animantes demum noxiæ non ſunt ſuperfluæ, nam etiam iſtę, ut divus Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad literam cap. 17. quadrifariam homini commodæ ſunt, nēpe quia ipſum pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercēt, aut utiliter probant, aut ignoranter docent.

Circa ſecundum nota, bifariã poſſe concipi mundum potuiſſe fieri perfectiorem. Primo producendo novas creaturas diverſas ſpecie, & perfectiores productis. Secundo, perficiendo illas quæ nunc ſunt per additionem alicuius gradus eſſentialis.

Dico primo. Fieri potuit à Deo mũdus perfectior primo modo. Probatur, quia potuit Deus producere alias ſpecies rerum multo perfectiores, quæ mundum perfectiorem componerẽt; quavis enim data, etſi perfecta, poteſt aliam perfectiorem producere.

Dices. In gradibus rerum datur aliquis ſupremus, quo non poteſt dari perfectior, ſcilicet intellectualis; ergo etiam in ſpeciebus rerũ poterit dari aliqua ſuprema, qua nõ poſsit dari perfectior. Cõfirmatur. Sub animali datur una ſuprema ſpecies, nẽpe homo, quia nequit eſſe perfectius animal quam homo; ergo ſub genere ſpiritus poterit dari una ſuprema ſpecies, qua nequeat dari melior; ſed illa ſpecies eſſet ſuprema creatura inter omnes poſsibiles; ergo ſpecies poſsibiles rerum in perfectione non ſunt infinitæ, nec quavis ſpecie data poſsibilis erit alia perfectior.

Reſpondeo negando conſequentiam. Gradus enim entis neceſſario ſunt certi, & definiti, quia ſunt veluti claſſes quædam, ad quas rerũ omnium ſpecies reducuntur, in quo bene poteſt eſſe unus ſupremus, quia ſub eo fieri poſſunt infinitę creaturæ aliæ alijs perfectiores; non datur tamen una ſuprema ſpecies entis, qua non poſsit dari alia, & alia perfectior, quia quęvis ſpecies eſt finita, & ita illa ſemper eſt alia poſsibilis perfectior. Ad confirmationem concedo ſub genere animalis hominem eſſe ſpeciem perfectiſsimã, quę eſſe poſsit, quia non eſt poſſibilis forma informans perfectior quã anima rationalis, nec animal habet proportionem cũ differentiis perfectiori quam hominis, quia animal dicit creaturam valde imperfectam, at vero gradus ſpiritus completi eſt valde perfectus, & ex ſe proportionẽ dicit cum quavis differentia intra limites ſpiritus quantũvis perfecta, ideoq. nõ eſt poſsibilis ſuprema ſpecies Angeli qua eſſe non poſsit alia perfectior. Similiter aſſumo, nequire fieri accidens in ſpecie perfectius quam ſit gratia habitualis, quæ nos iuſtos facit, quia gratia eſt participatio ſupernaturalis divinæ eſſentiæ, tamen gratia eſt quid ſupernaturale. De ſpeciebus tamen naturalibus dico, non eſſe poſsibilem aliquam ſupremam, qua perfectior eſſe non poſsit, ideoque mundum ſemper perfectiorem, & perfectiorem potuiſſe produci.

Dico ultimo. Mundus non potuit perfectior produci quoad eſſentialem perfectionem ſuarũ ſpecierũ quam habet, nec quoad ſitum, & ordinem partium, bene tamen quoad perfectiones accidentales. Prima pars probatur, quia nulla ſpecies poteſt habere aliam eſſentiam diſtinctam ab illa quam habet, & ita quolibet gradu eſſentiali addito, vel detracto, variatur ſpecies in noſtro cognoſcendi modo: ſunt enim eſſentiæ rerum ex Ariſtotele ſicut numeri, numerus autem quacunque unitate addita, vel detracta, 8. *Metaphy.* c. 3. *tex.* 10.

ctu, variatur eſſentialiter. Secunda pars liquet, quia terra nequit habere meliorem ſitum in mundo eo quem habet in centro; eſt enim ſumme grauis, & idem eſt de cæteris elementis, & de corpore cœleſti, ergo &c. Tertia demũ pars patet, quia potuit Deus maiorem lucem tribuere Soli, Lunę, & aſtris.

DVBIVM III.

Sint ne, vel eſſe queant plures mundi.

MVltos eſſe mundos multi dixere, quorum alij finitos ſomniarunt, ut Manichæi. Alij innumerabiles, ut Democritus, qui in illis magnam ponebat diverſitatem, aſſerens in quibuſdam, neque Solem eſſe, neque Lunam: in alijs ſplendidiora nitere ſydera, quã quæ apud nos viſuntur. Item quoſdã eſſe animalibus deſtitutos, & plantis, omniq; humore vacuos: alios hiſce rebus affatim abundare. Alij demum infinitos, inter quos fuit Anaxarchus, quem cum Alexander Macedo de mundorum infinitate diſſerẽtem audiviſſet, lacrymaſſe fertur, eo quod cum infiniti mundi eſſe perhibeantur, nondum unius dominium obtineret, ut refert Plutarchus in libello de tranquillitate animi.

Ita omnes catholici. Aſſero primo. Vnicus dumtaxat eſt mundus à Deo conditus. Ita colligitur ex ſacra Scriptura, eſtque communis ſenſus ſanctorum Patrũ. Dicitur enim Geneſis primo, In principio creaſſe Deum cœlum & terram, & facta enumeratione omnium quæ condiderat, additur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, &c.* Et mox: *Requievit Deus ab omni opere quod patrarat.* Id eſt, deſiit operari: at cõſtat tunc unicum mundum creaſſe. Quare divus Ambroſius his verbis definitam ſummat controverſiam Philoſophorum de mundi unitate. Idem confirmat divus Thomas 1. par. quæſt. 47. artic. 3. ex illo Ioannis primo. *Mundus per ipſum factus eſt.* Vnde dum mundus numero ſingulari exprimitur, eius unitas non obſcure indicatur. Quare divus Auguſtinus libro de hæreſibus, hęreſi 77. Divus Iſidorus lib 8. etymologiarum cap. 5. & Albertus Magnus 2. par. Summæ de homine, ſententiam de mundorum multitudine inter hæreſes connumerant.

Verum eſt non poſſe hoc ratione naturali demonſtrari, quia cum poſſibiles ſint plures alij mundi, non ſolum numero, ſed etiam ſpecie diverſi, ex ſola Dei voluntate pendere potuit unicum, vel plures fieri.

Si vero quis depoſcat, cur mũdus, qui tam diſsimilibus conſtat naturis, unicus dicatur, reſpondendum ita dici propter cauſarum efficientium ſubordinationem, qua inferiora corpora cœleſtibus, hæc intelligentijs, & hæ poſtremo Deo maximo optimo ſubijciuntur. Item propter ordinem, quem cuncta habent tamquam unius exercitus milites, tum inter ſe, tum erga unum ducem, & principem Deum; ad quem ut ad ſupremum totius naturæ finem, & ultimum ac ſummum bonum contendunt. *De hac ſubordinatione Ariſtot. 2. Metaphy. c. 2. à textu 6. D. Tho. lib. 3. contra gen. c. 17*

Circa ſecundum, Ariſtoteles negat condi poſſe à Deo alium mun- *Hoc lib. c. 6.*

mundum; cui aſtipulantur Alexãder, Simplicius, Averroes,& alij. Ratio Ariſtotelis eſt, quia hic mundus abſorbit totam materiam primam. Errat Ariſtoteles, nam tametſi hic mundus totam materiam quam Deus produxit in ſe cohibeat, non tamen exhauſit omnem, quam creare Deus poteſt, ſi velit. Quare

Hanc ſtatuit D. Athanaſius in orat. contra idola D. Ambroſi⁹ lib. 1. Hexame. cap. 1. & communis Patrum aliorũ que D. Thomæ conſenſus.

Aſſero ſecundo. Tametſi de facto non detur niſi unicus mundus, poſſunt tamen plures concedi, tum ſolo numero, tum ſpecie diverſos ab iſtis. Primum liquet, quia poſſet Deus in alio ſpatio condere nova elementa, novos cœlos, & novos Angelos numero diverſos ab his quos hic mundus cohibet, & ea omnia recto ordine, & ſitu, ac diſpoſitione, diſponere independẽter ab iſto mundo; ergo talis mũdus eſſet numero diverſus. Secundum ſuadetur, quia poſſet Deus in alio mundo producere plures rerum ſpecies, quæ non ſunt in hoc mundo, nempe multos cœlos ſpecie diſsitos, plures Angelos, & mixta; ergo ſecundũ huiuſmodi partes ad minus poſſet à Deo condi alius mũdus ſpecie diverſus. Dixi ſecundum huiuſmodi partes, propter probabilẽ opinionẽ aſſerentem non poſſe Deũ condere alia elementa ſpecie diverſa ab his quæ nũc ſunt, nec materiam ſublunarem aut homines ſpecie diverſos.

Opponis primo. Mũdus magnus, vel univerſum, eſt collectio omnium creaturarum; ergo omnes creaturæ à Deo productæ efficerent unum univerſum; ergo non eſſent duo mundi. Reſponde, mundum eſſe collectionem omnium creaturarum, non utcumque, ſed earum quæ ſervant inter ſe aliquem ordinem, & dependentiam; at creaturæ unius mundi non penderẽt aliquo modo à creaturis alterius; ideoque non efficerent unum mundum, ſed plures.

Oppones ſecundo. Terra naturaliter inclinatur ad centrũ huius mundi; ergo terra alterius mundi natura ſua inclinaretur ad centrum huius mundi, aut violenter detineretur in altero. Reſponde, terram alterius mundi non inclinari ad centrum huius mundi, ſed alterius; locus enim naturalis terræ tantum eſt centrum illius mũdi in quo eſt ipſa. Vnde utraque illa terra in cẽtro ſui mũdi naturaliter quieſceret, nec una tenderet in centrum alterius, neque unus mundus diceretur eſſe ſupra alium, nec infra nec terra huius mundi eſſet ſupra cœlum alterius, nec cœlum huius infra terram alterius, tam n appellatio ſuperi & inferi non accommodatur, ut bene obſervarunt Conimbricenſes, niſi partibus huius mundi ambitu contentis.

DVB. VLTIMVM.

Num mundus ſolo generali concurſu Dei perpetuo durare queat, an non.

MOneo, poſſe nos circa propoſitam difficultatem inveſtigare, num mundus generali Dei concurſu in perpetuum ſit duraturus; vel an ſic durare poſsit, eſto re ipſa duraturus non ſit. Deinde poſſe nos loqui, aut de Mundo ſecundum

præ-

præſentem ſtatum generationū & corruptionum, in quo nunc eſt, aut ſecundum alium ſtatum, quem aliquando ſortiri debeat.

Aſſero primo. Mundus ſibi relictus, ſub eo ſtatu quem modo habet ſolo generali concurſu, quo nūc à Deo conſervatur perpetuo durare poſſet. Suadetur, quia in primis corpora cœleſtia ſunt ſuapte natura incorruptibilia. Motus etiam cœlorum cū fiant ab intelligentijs, defatigationibus expertibus, perenni ac perpetui eſſe poſſent. Elementa vero, tametſi in ſe invicē agant, & alterari poſsint, atque corrūpi ſecundum partes, non tamen ſecundum ſe tota, quia nulla eſt vis in natura ad corrumpēdum integrum elementum, & facile unumquodque reſarcit, & compenſat iacturam in partibus acceptam. Deniq; , ſpecies mixtorum omnium naturaliter per generationem propagari & conſervari perpetuo poſſent, quia etſi interdum individua viventium, minora, & imperfectiora ſuis progenitoribus evadant, ſæpe tamen filij proceriores, & robuſtiores parentibus enaſcuntur. Influxus etiam cœlorum, quo inferiora iſta iuvantur ad ſuas generationes, non minuitur, neque langueſcit. In generatione autem non viventium effectus attingunt perfectionem ſuæ cauſæ univocæ, ut videre eſt in igne genito, qui æqualis virtutis eſt cum igne generante.

Aſſero ſecundo. Mūdus quoad partes eſſentiales, nempe cœlos, & elementa, perpetuo duraturus eſt, non tamē in eo ſtatu, quem nunc obtinet. Ambæ huius aſſertionis partes conſtant ſacræ paginæ teſtimonijs. Prima illo Eccleſiaſticæ 3. *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverant in perpetuum.* Vltima illo Eſaiæ 66. *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam.* Itemque illo Apocalyp. 21. *Vidi cœlum novum, & terram novam.*

Hic novus ſtatus ab univerſalis iudicij die futurus eſt: inde vero cœleſtes orbes quieſcent Dei voluntate, ceſſantibuſque eos movere intelligentijs. Vnde Apocalypſis 10. capite dicitur, Angelum iuraſſe per vivētem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit amplius: nimirū poſtquam unus Angelus tuba cecinerit, qua inſonante, mortui ad vitam revocabuntur, ut legitur 1. ad Corinth. 15. Si autem tempus non ſit, nec motus erit. Et ratio eſt: nam cum hic motus præcipue ſit ob humanam generationem, conveniens eſt, ut poſtea quam certus & à Deo præfinitus hominum numerus expletus fuerit, terminetur. Ob eandem rationem bruta animantia, & plantæ, cæteraque mixta quę ad animalem hominis vitam ſuſtentandā, aut iuvādam procreata ſunt, deſinent eſſe.

Præterea ſicut beatorum corpora mirifico ſplendore, & pulchritudine, & dote claritatis perfundentur, ita corpora cœleſtia ampliori luce decorabūtur, iuxta illud Eſaiæ 30. *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter*, hoc eſt, ſeptuplo maior, quam modo eſt. Rurſus vero homines poſt ſuam maximam perfectionem beatitudinēque adeptam, in illo fœlicisſimo ſtatu erunt tanquam Angeli, ita corpora elementorum quaſi cœleſtia reddentur, neque ſolum

ab interitu, & alterationum viciſsitudine perpetuam obtinebunt immunitatem: ſed eximia luce, pro cuiuſque dignitate, veſtientur. Atque hic rerum ſtatus ſupra mortalis naturæ conditionem in perpetuum manebit.

LIBER SECVNDVS, DE COELO.

SVMMA TEXTVS.

HIC liber tametſi quatuordecim conſtet capitibus, in tres præcipuas finditur partes. In prima docet ea quæ pertinent ad ſubſtantiam, partes, & figuram cœli. In ſecunda, quæ ſpectant ad motum cœli, & ad ſtellas in eo fixas. In tertia tractat, de centro mundi, circa quod movetur cœlum.

In primo ergo capite docet, cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, ac ſempiternum, nullaque reſiſtentia, ac labore moveri, quia neque eſt grave, neque leve. In ſecundo tribuit cœlo ſex differentias poſitionū, ſcilicet ſurſum, & deorſū, ante, & retro, dextrum, & ſiniſtrum, quæ proprie ſolis viventibus perfectis conveniunt, & per denominationem extrinſecam rebus inanimatis, cœlo vero, quia Angelo animatur. Docet etiam longitudinem cœli ſecundum ſurſum, & deorſum eſſe diſtantiam, quę eſt ab uno Polo ad alterum Polum, & Oriens eſſe dexterum, Occidens ſiniſtrum, Meridiem ante, & Aquilonem retro.

In tertio tradit motum circularem eſſe naturalem cœlo, rectum vero violentum, & ponit illud axioma. Nullum violētum perpetuum. Præterea docet propter variationem influxuū, & quatuor temporum anni præter motum ab ortu ad occaſum primi mobilis quo inferiores orbes rapiuntur, dari alium motū ab occaſu ad ortum. In quarto oſtendit cœlum eſſe figuræ ſphęricæ ſeu rotundæ, quia hæc eſt perfectiſsima figura debita perfectiſsimo corpori, & neceſſaria ad motum circularem cœli, & ſubdit eiuſdem figuræ eſſe quatuor elementa.

In quinto reddit cauſam, ob quam cœlum moveatur potius ab ortu ad occaſum, quam è converſo, nempe quia perfectior motus debetur cœlo, hic autem eſt à dextro ad ſiniſtrum, ac proinde ab ortu ad occaſum. In ſexto oſtendit motum cœli diurnum, quo orbes inferiores rapiuntur, eſſe omnino æquale ſibi ſimile, ita ut tali velocitate fiat ſéper. In ſeptimo incipit agere de partibus cœli, & docet ſtellas eiuſdem naturæ eſſe cū cœlo in quo ſunt, id eſt, eſſe incorruptibiles.

In octavo oſtēdit, ſtellas non moveri proprio motu, ſed ad cœli motum in quo ſunt fixæ tanquam nodi in tabula, & habere etiam figuram ſphæricam.

In

In nono ſuadet cõtra Pythagoram, cœlos in ſuis motibus nullum ſonum edere. In decimo ait, pertinere ad Aſtronomum prælibare ſitum, ordinem, & diſtantiam aſtrorum, id eſt quæ ſint ſuperiora, & quæ inferiora, & quãtum à terra, & inter ſe diſtent. In undecimo docet aſtra omnia eſſe figuræ rotundæ, & adfert illud principium, Natura nihil agit fruſtra.

In duodecimo inquirit, cur in octava ſphæra, quã ipſe ſupremam ponit, tot fulgeant aſtra, & aliqua docet contra his quæ poſtea Aſtrologi experti ſunt. In decimotertio capite diſtinguit duo media, unum magnitudinis, à quo lineę ducuntur ęquales ad circumferentiã. Aliud naturæ, in quo reſidet virtus cõſervatrix naturæ, ut cor in animali: & ita aſſerit medium magnitudinis mundi, eſſe terram, cœlum vero eſſe medium naturę, quia ab illo derivantur influxus in hæc inferiora; multaque docet de terræ ſitu, figura, & quiete naturali.

In decimoquarto & ultimo capite concludit, terram non moveri circulariter, neque motu recto. Et deinde ſuadet terram eſſe ſphericæ figurę: idque probat ex eclypſi Lunę, in cui' umbra experimur curbitatem, quæ neceſſario oriri debet ex corpore rotundo cauſante umbram. Poſtremo ait, terram comparatam cũ cœlo eſſe corpus valde parvũ. Et hæc de litera textus ſummatim dixerim, quia in dubijs abunde proponentur. Legantur Conimbricenſes, qui ſolita eruditione literam textus exponunt.

DISPVTATIO SECVNDA,

De natura & eſſentia Cœli.

MERITO dixit divinus Pſaltes, cœlos enarrare gloriam Dei. Nam inter corpora ſimplicia mundum conſtituentia primum locum ordine dignitatis, & cauſalitatis vẽdicant. Cœlum à cęlando dicitur: vel quia corpus quod cœlum vocatur, omnia cælat; vel quia inſtar vaſis pulcherrimi cælatũ, & inſculptum varijs ſyderibus, & ſignis cõſpicitur, ut aiunt divus Ambroſius in Exhamero, & divus Iſidorus lib. 19. Etymo. cap. 4.

DVBIVM I.

An cœlum ex materia, & forma coagmentetur.

COelum eſſe ſubſtãtiam corpoream ſenſibus liquet, apparet enim habere trinam dimenſionem, & quantitatem, tum & qualitates corporeas. Dubitarunt tamen nonnulli, an ſit ſubſtãtia ſimplex, vel compoſita ex partibus ſubſtantialibus.

Sit aſſertio. Corpora cœleſtia vera materia & forma utraque ſubſtantiali conſtãt. Probatur, quia in cœlo reperiuntur plura acci- *Sic D. Tho. q. 66. art. 2.*

Suarez diſp. 13. Metaph. ſect.10. Go-nimb.hic ca. 2.q.4.art.2 accidentia, quæ materiam conſequuntur, ut quantitas, quæ eſt ipſius proprietas, raritas, & denſitas, quæ materiam poſtulant: alia vero ſunt cœlorum accidentia activa, ut lumen, & virtutes influendi, quę indicant formam: ergo componitur cœlum ex materia & forma. Ideo enim Ariſtoteles *1. de Cœlo cap.2.* illud numerat inter entia quæ natura conſtant: at natura ex eodem Ariſtotele nihil aliud eſt quam materia & forma.

Vnde quando alicubi negat Ariſtoteles cœlum conſtare materia, ſolum vult non conſtare materia eiuſdem rationis cum ſublunari, quæ eſt ſubiecta corruptioni. Nec obſtat Philoſophos agnoviſſe materiam in rebus ſublunaribus ex tranſmutationibus, & generationibus, quę in cœlis locum non habent, nã præter hunc modum aliunde etiam ſufficienter deducitur materia, nempe ex quantitate, & qualitatibus ſenſibilibus, ut dictũ, quæ etiam locum habent in cœlis.

Sed dices. Non implicat dari corpus ſimplex & completum, quod neque ſit materia, neque forma, neque compoſitum ex utraque, ſicut datur ſubſtantia ſpiritualis completa, ſimplex tamẽ, & ſine compoſitione eſſentiali: ſi autem talis ſubſtantia eſt poſſibilis, facta eſt à Deo, & hęc eſt cœlũ. Sed primo meminiſſe debemus à potentia ad actum non valere argumentum. Secundo addo probabilius cum Suario ſupra, non eſſe poſsibilem ſubſtantiam corpoream cõpletam, quæ compoſita non ſit ex materia, & forma. Primo, quia ſi poſsibilis eſſet talis ſubſtantia, conſtitueret novum gradum entis, & deberet eſſe producta cum includat mundus omnes gradus poſſibiles entis, iuxta communem ſententiam. At eam ſubſtantiam eſſe cœlum, gratis dicitur, & ſine fundamento rationis. Secundò, quia ſubſtantia ſpiritalis cõpleta ratione ſuæ perfectionis, non eſt capax compoſitionis ex materia & forma; ergo ſubſtantia corporea completa ratione ſuæ imperfectionis non eſt capax tantæ ſimplicitatis, quæ materiam & formã excludat. Conſequentia inde liquet, quia eſſe actum per ſe ſubſiſtẽtem, & non receptum in materia, neque ex ea compoſitum, eſt maxima rei ſpiritualis perfectio, ergo excedit totum gradum ſubſtantiæ materialis.

DVBIVM II.

Num cœleſtis, & ſublunaris materiæ ſpecie diſtent.

Multi fuere Philoſophi auctumãtes materiam cœleſtem, & ſublunarem ſpecie inter ſe non diſtare, ut videre licet apud Conimbricenſes primo de cœlo cap.2.quæſt.6.

Dico tamen. Materia cœleſtis *Ita D. Tho. 1.par.q.66. ar.2. & alij quos citant, Conimbricenſes citati, & Suarez diſp. 13. Metaph. ſect.11.* & ſublunaris ſpecie differunt. Probatur primo ex Ariſtotele, primo de generatio.cap.primo, ubi ait, ea convenire in materia *& ſequũtur* quæ in ſe invicem agunt: ſublunaria vero non poſſunt in cœleſtia corpora agere. Et 8. Meta phyſi.tex.12.ait, quaſdam ſubſtãtias incorruptibiles, vel non habere materiam, vel non talem qualem corruptibilia. Et primo Metaphy.cap.5. dixit, corruptibile

bile, & Incorruptibile differre genere, quod explicatur communiter de materia prima, quæ dicitur genus phyſicum. Secundo, quia non implicat materiã ſpecie multiplicari, imo magis conforme eſt Philoſophiæ multiplicem eſſe eſſentialiter; ergo, &c. Antecedens probatur, quia materia prima in ſe habet actum metaphyſicum & realem; ergo in illa poſsibilis eſt diverſitas ſpecifica, & maior, ac minor perfectio ſpecifica. Tertio. Potentiæ diſcrepant per ordinem ad actus, & obiecta adæquata; quia enim videmus viſum non ſe extendere ad actum audiendi, nec auditum ad actum videndi, recte deducimus viſum & auditũ diſtingui ſpecie; ſed materia ſublunaris nequit recipere formas cœleſtes, nec cœleſtis materia ſublunares formas; ergo huiuſmodi materiæ ſpecie diſtant. Dixi in maiori potentias diſtingui ſpecie per actus adæquatos, nam eadem potentia poteſt plures obtinere actus ſecundũ ſpeciem inadæquatos contentos ſub uno adæquato, ut potentia videndi videt album, nigrum, &c. quæ ſunt obiecta inadæquata contenta ſub una ratione adæquata, nempe ſub ratione coloris, vel viſibilis, ſub qua ratione attingit omnia potentia viſiva, & per hoc ſecernitur ab auditu, qui attingit omnia ſub ratione ſoni.

Tertio, quia ex contraria ſententia ſequeretur cœlum non eſſe ab intrinſeco incorruptibile, quod eſt à cõmuni Philoſophorum ſententia alienum. Sequela ſuadetur, nam ſi materia cœli eſſet eiuſdem ſpeciei cum materia elementali, eſſet capax formarum ſublunarium, & illis carens haberet earum privationẽ, & quantum eſt ex ſe illas appeteret, ſed hęc eſt tota radix corruptibilitatis elementorum, ergo, &c.

Dices. Formam cœli explere totam capacitatem materiæ cœli, ideoque nequire recipere, & appetere alias formas. Sed hæc ſolutio ſtare non poteſt, & ex illa roboratur noſtra concluſio: nam ſi materia cæleſtis ſpecie à ſublunari non diſcreparet, formæ cæleſtes, & ſublunares conſtituerent unum obiectum, & actum adæquatum materiæ ſpecificæ communia ad cœleſtem, & ſublunarem; (ſi enim conſtituerent duos actus adæquatos, ſpecificarent duas potentias & materias, quod intendimus) ergo forma cœli non expleret totam capacitatem materiæ cœli. Conſequentia liquet, nam potentia non expletur per actum inadæquatum: quo modo potentia viſiva nõ expletur, & ſatiatur per viſionem albi; ſed forma cæli eſſet actus inadæquatus materiæ cœli; ergo non expleret, & ſatiaret capacitatem eius, imo relinqueret eam capacem formarũ ſublunarium, ac proinde cœlum eſſet corruptibile. Nec ſufficiens ratio dabitur, cur cœli materia non poſſet alterari, & diſponi ab aliquo agente naturali ad receptionem novę formæ; in cœlo enim non dari aliquam qualitatem contrariam formę elementi non obſtat, nam ad generationem ſat eſt capacitas in ſubiecto cum privatione formæ, hæc enim ſunt tria, & ſufficientia principia generationis, ut dictũ in Phyſicis.

Demũ, ex oppoſita ſentẽtia ſeque-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

quereretur cœlum eſſe generabile naturaliter; ſi enim materia aëris capax eſt formæ ſolis, quænam ratio erit ob quam cœlum generabile non ſit cum eius forma ſit educibilis de potétia materię aëris, cum ſit eius capax & privata: aut cur ſol non poſſet ex materia aëris ſolem ſibi ſimilem generare, cum enim forma ſolis finita ſit, & educibilis de potentia materiæ præſuppoſitæ multo tépore, non apparet quo pacto nequeat dari aliquod agéa naturale creatum potés educere talem formam.

Ex dictis deducitur contra Capreolū, Soncinatem, & alios Thomiſtas, materias cœleſtium corporum ſpecie inter ſe diſtare, ſi tamen corpora cæleſtia ſpecie diſcrepát ut eſt veriſimilius. Ita tenet Caietanus conſequenter certe cum noſtra ſententia, & Suarez citatus numero 20. Et ratio eſt manifeſta, quia ſi materia omnium orbium cæleſtium eſſent eiuſdem ſpecie, materia lunæ reſpiceret omnes alias formas, & eſſet capax formarum aliorum orbium, & illis privata; ergo orbis lunę eſſet corruptibilis, & tranſmutabilis in alios orbes, & redeunt omnia alia argumenta, quibus ſupra oſtédimus diſtinctionem ſpecificam inter cœli, & ſublunarem materiam; ſi enim materia lunæ non eſt capax formæ ſolis; ergo habent actus ſpecie diverſos adæquatos, ac per conſequens differunt ſpecie.

Dices. Materia omnium corruptibilium eſt una ſpecie, tametſi reſpiciat formas ſpecie diverſas, quia omnes formę conveniunt in modo informandi ſeparabiliter; ergo materia omnium incorruptibilium erit una ſpecie, tametſi reſpiciat formas cœlorum ſpecie diverſas, cum omnes illæ conveniant pariter in modo informandi inſeparabiliter. Nego conſequentiam, & diſcrimen eſt, nam materia rerum corruptibilium reſpicit inadæquate quamlibet formam ſubſtātialem, & adæquate omnem ſeparabilem, nam ad omnes eſt capax, at vero materia cuiuſcunque cœli reſpicit adæquate, non quidem omnem formam inſeparabilem, ſed tātum illam quam habet, quia ſolum illam recipere poteſt.

Dubitari hic ſolet, quænā materia perfectior ſit. Circa quam difficultatem communiter autumant Doctores cœleſtem materiam perfectiorem eſſe noſtra. In gratiam tamen noſtrę contrarium pronuntio, nempe noſtram perfectiorem, & præſtantiorem eſſe cæleſti, ducor, quia materia ſublunaris eſt capax præſtantiſſimæ formæ quam ſit quævis imaginabilis forma cœleſtis, imo in tota latitudine formarū perfectior forma quam noſtra rationalis anima eſſe nequit; ergo cœleſtis materia, quæ incapax eſt rationalis formæ, imperfectior erit noſtra materia, quæ capax eſt illius. Firmatur, nam perfectio & dignitas potentiæ metienda eſt ex perfectiſsimo actu unius collato cū actu perfectiſsimo alterius, verbi gratia tametſi aliquis actus volūtatis, nempe amor Dei, perfectior ſit aliquo actu intellectus, nempe actu erroris, vel opinionis, tamé quia intra latitudinem actuum intellectus viſio beatifica perfectior eſt amore beatifico, qui eſt omnium actuum voluntatis perfectiſ-

ſectiſsimus, deducimus intellectum præſtantiorem potentiam eſſe ipſa voluntate;ſed anima rationalis cuius eſt capax noſtra materia,& non cœleſtis,eſt perfectior perfectiſsima cœleſti forma; ergo materia noſtra perfectior eſt cœleſti.

Nec obeſt, materiam cœleſtẽ informari inamiſsibiliter à forma, nam iſte modus non inducit perfectionem ſimpliciter maiorem, nam unio noſtræ animæ cum ſublunari materia, longe perfectior eſt phyſice, & in ſua entitate unione formæ cœli cũ propria materia, cum ſit unio actus præſtantiſsimi; ergo eſſe capacem huius unionis maiorem perfectionem indicabit; ſicut cœlum,quamquam incorruptibile,non ex eo perfectius eſt homine, qui corruptibilis eſt, ſed è converſo homo perfectior eſt cœlo.

Contra principalem concluſionem huius dubij oppones primo.Quantitas cœleſtis & ſublunaris non diſcrepant ſpecie; ergo neque materia. Nego conſequentiam; quantitas enim non conſequitur hanc, vel illam determinatam materiam, ſed materiam generice ſumptam, ac proinde materias ſpecie diverſas conſequuntur quantitates eiuſdem ſpeciei, ſicut & homo, & leo habent potentias ſenſitivas eiuſdem ſpeciei.

Oppones ſecundo, & difficilius. Vt cœlum dicatur incorruptibile ſimpliciter,ſatis eſt ut unio formæ eius cum materia ex ſe indiſſolubilis ſit; ſed etiam ſi materia cœli ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra.poſſet eius unio eſſe indiſſolubilis; ergo non eſt cur aſſeramus has materias ſpecie diſtingui. Minor probatur,quia humanitas Chriſti,etſi capax ſit propriæ ſubſiſtentiæ,quæ incõpoſsibilis eſt cũ unione ad verbum,quia tamen unio cum verbo nullum habet cõtrarium,eſt incorruptibilis,& inamiſsibilis ab intrinſeco; ergo cum cœlum nullum habeat contrarium,eius unio poterit eſſe inamiſsibilis, tametſi eius materia capax ſit aliarum formarum.

Reſpondeo primo: Vnionem humanitatis Chriſti ad verbum amiſsibilem, & corruptibilem eſſe ex ſe, quia Chriſti humanitas ex ſe corruptibilis eſt ab agente contrario naturali;deſtructa enim humanitate,deſtrui deberet eius unio;& quidem Chriſtus decurſu temporis deperdebat aliquas materiæ partes, & alias adquirebat per nutritionẽ; ergo unio hypoſtatica priorum partiũ materię amittebatur naturaliter. Ita plures & graves Theologi. Vide Suarium tomo primo in tertiam partem diſpu. 38.Quia tamen argumentum urgere poteſt de unione animæ rationalis, vel naturæ Angelicæ cum verbo,quæ incorruptibilis eſſet, & à nullo deſtrui poſſet, reſpondeo concedendo id de unione hypoſtatica, & negando conſequentiam, quia non eſt capax propriæ ſubſiſtentiæ ratione aliquarum diſpoſitionum, ſed per ſuam eſſentiam in quantum immediate dimanare poteſt ab illa propria ſubſiſtentia, atque ita per altiorem & ſupernaturalem ſaltem modũ ex ſe incorruptibilem,poteſt illa ſubſiſtãtia impediri;at materia eſt capax formæ ſubſtantialis ratione diſpoſitionum, imo per illas quando ſupponitur ſine forma,

reddītur proxime, & antecedenter capax, ac proinde ſi materia cœleſtis eſſet capax formæ ſublunaris, poſſet ab agente naturali diſponi ad formam ſublunarem, ideoque unio formæ cœli indiſſolubilis, & inamiſsibilis eſſe nequiret. Quis enim credat illam unionem, tam ſupremi ordinis futuram eſſe, ut omnino impediret receptionem diſpoſitionum ad alias formas, ſi aliunde materia capax eſſet illarum! ſine dubio igitur probabilior eſt noſtra ſententia.

DVBIVM III.

An cœli forma ſit anima.

Varie errarunt tum Ethnici, tum Iudæi, tum Arabes exiſtimantes cœlum habere animam, alij vegetantem, alij ſentiẽtem, alij intellectualem, quos erudite commemorãt Conimbricenſes ſecūdo de cœlo cap. 1. quæſt. 1 art. 1. Nec defuere ex Catholicis qui illud aſſererent. Nam divus Thomas prima parte quæſt. 70. art. 3. refert Origenem aſſerentem, non ſolum animatas eſſe ſtellas, ſed etiam virtutis, vitijque capaces. Nam Iob 25. appellantur immundæ. Imo aſſeruiſſe fertur Origines Chriſtum etiam pro peccatis aſtrorum fuiſſe mortuum. Idem ſenſiſſe videtur Caietanus in Pſalmo 135. & 1. par. quæſt. 3. art. 1. dum ait, corpus cœleſte forte ſecundum veritatem eſt animatum. Quæ verba in editione nova Pij Quinti deleta ſunt, in codice tamen ipſius Caietani manuſcripto ſuper Pſalmum citatũ expreſſe ait, multos Philoſophos rationabiliter ita ſenſiſſe.

Hæc tamen ſententia parum tuta eſt in fide, vel erronea, ut cenſent Divus Bonaventura, & Gabriel in 2. diſtin. 14. quæſt. unica, & alij; imo Nicephorus lib. 17. hiſtoriæ cap. 27. & 28. refert, eam eſſe damnatã in ſancta Synodo generali inter alios errores Origenis. Vide Conimbric. hic cap. 1. quæſt. 1. & Vaſquez 1. par. diſpu. 183.

Eſt ergo vera concluſio, cœlum non habere animam informantem, & ſibi intrinſece unitam, ſed tantum aſsiſtentem, & extrinſecam. Vt hæc concluſio probetur, nota dupliciter uniri poſſe unam rem alteri. Primo unione intrinſeca & formali, ac conſtitutiva unius entis naturalis. Secunda extrinſeca, vel effectiva, quæ eſt actio, qua unum alteri præſens, vel aſsiſtens eſt, non tamen conſtituit cum eo unum ens naturale. Sic unitur magnes ferro, Nauta navi. Quod unitur primo modo, unitur alteri, ut ſubiecto, diciturque forma informans. Quod ſecundo modo, dicitur forma aſsiſtens. Hoc poſito

Probatur prima pars concluſionis. Primo à priori. Forma cœli neque eſt vegetativa, neque ſenſitiva, neque intellectiva; ergo forma cœli nõ eſt anima. Antecedens prob. quia primo cœli nullam habẽt nutritivam facultatem ad vegetandum, tum quia ſunt incorruptibiles, tum quia ſecus indies creſcerent, ſi ab intrinſeco ſuſciperent incrementum; unde etiam maiorem locũ occuparent, & ex eis quotidie excrementa defluerent. Deinde neque habet animam ſentientem,

tem, quia hæc eget calore, quo caret cœlum. Secundo, quia caret organis ad ſentiendum: nullum enim eſt veſtigium viſus, aut auditus in cœlis. Tertio, quia propter rapidiſsimum motum quo feruntur, nihil poſſent ſentire: experimur enim in vehementiſsima agitatione non poſſe animal ſenſus exercere, ſed vehementer circum actum fere reddi exanime. Quarto, quia cœlum defatigaretur agitatione continua. Nec demum habet animam intelligentem, nam ex principijs fidei tantum Angelus & homo creati ſunt ad videndũ Deũ, & capaces meriti, aut demeriti. Secundo à poſteriori, quia nullum apparet veſtigium in cœlo animæ, nam motus eſſe poteſt ab extrinſeco motore, aut à qualitate illi propria, ſicut ignis movetur à propria levitate. Varietas vero aſtrorum non ſuadet animationem, ſed vel diſtinctionem ſpecificam inter ea, & orbes, vel ad ſummum partes mortuas varie accidentatas, ſicut cernitur in iaſpide.

Quare probatur ſecunda pars concluſionis, cœlo ſcilicet aſſiſtere intelligentiam, à qua dici poſsit extrinſece animatum. Ita communis ſenſus, qui fert moveri cœleſtes orbes ab intelligentijs, ita ut dum rerum ortus, & interitus perſeverẽt, non poſsit ſine miraculo intelligentia non aſsiſtere cœlo, & illum movere. Ratio eſt, quia cœlum per motum conſtituitur cauſa proxime applicata ad effectuum diverſitatem in his rebus inferioribus; ſed ad hunc motum concurrit intelligẽtia movens, & cœlum motum, unde ex intelligentia & cœlo conflatur unũ agens; ex cœlo quidem, tanquã cauſa per ſe influente; ex intelligentia vero, tanquam eam applicante per motum; ergo aliquo modo dici poteſt cœlũ animatum; non quidem anima informante, ſed à vivente extrinſeco ſibi aſsiſtente. Et fundatur in Ariſtotele ſecundo de Anima cap.2. ubi cum hoc duplex formarum genus poſuiſſet, informantium ſcilicet, & aſsiſtentiũ, quærit an anima ſit forma corporis informans, vel tantum aſſiſtens extrinſece.

Deducitur, cœlum nequire dici ſimpliciter & proprie animatum, nam animatum dicit unũ per ſe ex vera unione corporis, & animæ coaleſcẽs. Tum etiam quia magis aſsiſtens, & præſens eſt Deus cuiuis rei ipſam conſervando, quam Angelus cœlo ipſum movendo: ſicut ergo non dicitur lapis animatus propter intimam illam Dei præſentiam, alias enim nihil eſſet inanime, ita neque cœlũ dicetur animatũ propter aſsiſtentiam Angeli.

Ad ſanctos Patres, qui oppoſitum dixiſſe videntur, reſponde, fuiſſe loquutos in ſententia Platonis. Divus Auguſtinus retractavit poſtea ſi quid contra præſentem veritatem dixit imo libro de agnitione veræ vitæ capit.6. irrationales eos appellat, qui mundum aiunt eſſe rationis compotem. Ariſtotelem fuiſſe in noſtra ſenẽtia, ait divus Thomas, de cœlo cap.2. nam ſecundo de anima, cum dixiſſet nullum animal eſſe ſine ſenſu, addit tex.62. nullum corpus ſimplex habere ſenſum, ideoq. cuivis orbium cœleſtiũ tribuit intelligentiam moventẽſquod idẽ alibi indicavit. Ad locum pſal.

quo ducebatur Caietanus, dic feciſſe Deũ cœlos in intellectu, id eſt cum ſapientia, & arte; itaque particula in intellectu, refert ad facientem, non ad rem factam. Similiter Eccleſiaſtes 1. ſol dicitur ſpiritus, non quia ipſe ſpiritus, & animatus ſit, ſed quia rebus vitam inſpirat, & vivere facit. Cœli etiam aliquando in ſcripturis incitátur ad laudandum Deum, iuxta illud pſalmi 148. *Laudate eum Sol, & Luna*, excitando ſcilicet, & movendo ſua pulchritudine noſtras mentes, & Angelorum, ad divinas laudes, iuxta illud *Cœli enarrant gloriã Dei*, id eſt, enarrare faciũt; & illud *audite cœli quæ loquor*, metaforice accipi debet, quod deducitur, quia additur, *audiat terra verba oris mei.*

D V B I V M IIII.

An cœlum nobilitate præſtet omnibus corporibus ſublunaribus.

STatuo primo, cœlum perfectius eſſe quovis corpore ſublunari non vivente, quod incorruptibilitas, pulchritudo, & influendi virtutes, manifeſtant.

Statuo ſecundo, Hominem eſſe perfectiorem cœlo, quia mente & concilio pollet; ad imaginem Dei effectus eſt, & beatæ vitæ particeps, quibus Dei & naturæ muneribus nihil eſt in cœlo comparandum: cui congruit illud pſalmi 8. de homine ita loquentis: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Vnde dubitatio dumtaxat procedit de cœlo ad reliqua viventia collato.

Sit aſſertio. Cœlum imperfectius eſt quolibet vivente. Probatur primo ex divo Auguſtino lib. de vera religione cap. 29. his verbis: *Non enim qualiſcunque moles, quamquam iſta viſibili luce præfulgeat, ſi vita careat, magni æſtimanda eſt: qualibet namque viva ſubſtantia cuilibet non vivæ ſubſtantiæ naturæ lege præponitur.* Et lib. de duabus animabus cap. 4. Muſcam Soli præferẽdam eſſe confirmat, quibus ſimilia ſcripſit lib. 11. de Civitate Dei cap. 16. & alibi.

Ita D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 1 & q. 70. art. 3. ad 2. & 1. contra Gen cap. 10 & fere omnes autores, qui corpora cæleſtia inanimata faciunt.

Probatur ſecũdo ratione, quia operationes vitales ſemper ſunt perfectiores operationibus non vitalibus, ergo principium ſubſtantiale à quo fluunt operationes vitales, perfectius erit principio ſubſtantiali non vitali; operationes enim indicant perfectionem, & excellẽtiam formæ. Secundo, quia omnia viventia adhuc imperfectiora, ut ſunt plãtæ, & herbæ, à ſe mirabiliter agitantur, ſeipſa quodammodo faciunt, dum ſe nutriunt, augẽt, & perficiunt, ergo longe præſtant cuilibet non vivẽti, etiam cœlo, præſertim cum potentiæ vitales ſimpliciter perfectiores ſint qualitatibus & virtutibus cœlorum. Neque cœlum eſt cauſa principalis generationis alicuius vivẽtis, adhuc illius quod generatur ex putrida materia; iſta enim viventia non fiunt à cœlo, ut à cauſa principali, ut dicemus.

Nec obeſt, cœlum incorruptibile eſſe, nam tametſi incorruptibile perfectior differentia ſit quam corruuptibile, prout corruptibile, & incorruptibile dividunt immediate corpus in communi,

muni, tamen aliquid contentū ſub corpore corruptibili perfectiua eſt aliquo cōtēto ſub corpore incorruptibili; homo enim corruptibilis eſt, & tamen longe præſtat cuilibet corpori incorruptibili; bene enim poteſt genus perfectius cōtrahi per differentiam minus perfectam quā aliqua, quæ contrahit genus minus perfectum; ſicut potentia cognoſcitiva ex ſuo genere perfectior eſt quam potentia appetitiva, & tamen voluntas quę ſub appetitiva cōtinetur, perfectior potentia eſt quam viſiva, quæ continetur ſub cognoſcitiva potentia.

Quare notandum eſt, nos nō probare quodlibet vivens perfectius eſſe quolibet non vivente, & cœlo, quia gradus viventis ex ſuo genere perfectior eſt gradu non viventis; ſic enim ratio non eſſet efficax, ut conſtat ex immediate dictis; id ergo nos probamus, quia gradus viventis ſemper coniungitur cum perfectiori differentia, quam ſit illa cum qua coniungitur gradus non viventis, ut ex operationibus colligimus.

Notandum etiam, cœlum ſecundum quid poſſe dici perfectius vivente, ſi conſideretur vivens ut præciſe conſtituitur per differentiam corruptiblis, & cœlum per incorruptibilem, & in hoc ſenſu intelligi debet Ariſtoteles primo de cœlo capite ſexto dicens, cœlos præſtantiores eſſe ſublunaribus.

DVBIVM V.

An cœlū generabile, & corruptibile ſit.

MOneo, trifariam aliquid poſſe dici incorruptibile. Primo ab intrinſeco, & extrinſeco, quo pacto ſolus Deus eſt incorruptibilis; quęvis enim creatura à Deo deſtrui poteſt, & ipſe à nullo. Secundo ab intrinſeco ſolum, eo quod in ſe nullum habeat corruptionis principium, nec valeat ab agente creato corrumpi, tametſi à Deo annihilari queat, ut Angelus. Tertio ab extrinſeco ſolum, quo modo homo poſt reſurrectionem ad gloriam incorruptibilis erit ab extrinſeco, quia à nullo agente creato deſtrui poterit, ab intrinſeco tamen ſemper manebit corruptibilis cum coagmentetur ex quatuor elementis, & materia ſublunari. Difficultas ergo eſt, num cœlum ſecundo vel tertio modo incorruptibile ſit.

Sit concluſio. Cœli ab intrinſeco & ex ſua natura incorruptibiles ſunt. Probatur primo cōmuni ſenſu, qui eſt etiam Ariſtotelis primo de cœlo cap. 3. & lib. 2. cap. 1 & D. Thomæ ibi, & alibi ſæpe. Eſt ſenſus ſcripturę. Nam ſecundo Paralipomenon 6. dicuntur cœli *firmiſſimi*. Et Iob 37. *Solidiſſimi, & quaſi aere fuſi*. Et pſalmo 148. de Cœlis & Angelis dicitur, *Statuit ea in aeternum*. Et 2. Corinthiorū 5. Vocatur cœlum *Domus aeterna*. Secundo, quia non repugnat fieri corpus ab intrinſeco incorruptibile; cur enim non poterit fieri

materia unius tantum formæ capax, & forma uni materiæ adæquata, eique inſeparabiliter copulata, & incapax corrumpentium qualitatum. Sic autem illud compoſitum ab intrinſeco incorruptibile eſſet; ergo credẽdũ eſt hoc corpus de facto productum eſſe, ſpectat enim multum ad ornatum & pulchritudinem univerſi, quod nequit eſſe niſi cœlum. Firmatur, quia experientia docet corpora omnia corruptibilia de facto corrumpi & alterari, & amittere naturalem ſtatum, vel ſecundum ſe tota, ut mixta, vel ſecundum partes ut elementa; atqui experti ſumus poſt fere ſex annorum millia a creatione mundi cœlos omnino perſiſtere integros, & invariabili uniformitate moveri, nulloque modo à ſuo ſtatu, vel naturali loco decidiſſe; ergo cœli ab intrinſeco ſunt incorruptibiles, nec poſſunt ab aliquo agẽte naturali deturbari.

Ex dictis deducitur, cœlos non augeri, neque diminui, nam iſti motus coniuncti ſunt cum generatione, & corruptione partiali. Similiter non ſunt cœli alterabiles à primis qualitatibus, ſcilicet calore, frigiditate, &c. quia iſtæ qualitates diſponunt ad novam formam, expelluntque præcedentem, & ita ſolum in rebus corruptibilibus obtinent locum; nec valent etiam recipere qualitates ſecundas à primis ortas, nempe levitatem, & gravitatem; queunt tamen ſuſcipere alterationes aliquas perfectivas, exempli cauſa, illuminationem, &c. Vnde quando ſancti Patres cœlos corruptibiles vocant, ſolum volunt corruptibiles eſſe ab extrinſeco, ſcilicet à Deo, & quia ex ſe neceſſitatem eſſendi non habent, quod omnibus creaturis, etiam Angelicis, congruit.

Obijcies primo. Nonnulla ſacræ paginæ teſtimonia, nam in primis Pſalmo 101. dicitur: *Ipſi peribunt, tu autem permanes.* Deinde illud Lucæ 21. *Cœlum, & terra tranſibunt, &c.* Et 2. Petri, *Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent*, ergo, &c. Reſponde, iſta teſtimonia non eſſe intelligenda de mutatione, & corruptione ſubſtantiali, ſed de ceſſatione motus in die iudicij, & renovatione lucis, & confragatione ignis futura in cœlo hereo, ut explicat divus Auguſtinus de civitate Dei cap. 14.

Obijcies ſecundo. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, apparuit in firmamento in cõſtellatione Caſſiopeæ ſtella quædam magna, quæ poſt biennium evanuit, initio quidem magnitudine, & claritate excellens, deinde tranſactis aliquibus mẽſibus ita decrevit, ut non maior videretur quam quælibet alia, eamque retinuit quantitatem reliquo tẽpore donec evanuit; ergo corpora cœleſtia non ſunt ab omni labe, & diſſolutione aliena. Reſpondeo, omiſſis alijs quæ videri poſſũt apud Conimbricenſes hic, ſtellam illam non fuiſſe generatione naturali productã, ſed miraculoſe à ſolo Deo propter finem nobis ignotum, & poſtea ab eodem fuiſſe deſtructam. Nec videri debet alienum à Philoſophia ad miracula confugere, quando cauſa naturalis non adeſt alicuius effectus prodigioſi: nã quænam cauſa naturalis, verbi gratia, poterit aſsignari à Philoſopho,

pho, cur illa ſtella tribus Regibus Magis in ortu Chriſti apparuerit, aut cur in morte Chriſti obſcuratus fuerit ſol; in his ergo & ſimilibus caſibus cõfugere ad miracula debemus.

DVBIVM VI.

Cœleſtium orbium numerus ſtatuitur.

COmmunior ſententia fuerat apud antiqui ſęculi Philoſophos, Aegyptios ſcilicet, Chaldæos, Timæum Locrẽſem, Platonem, alioſque plures, octo eſſe cœleſtes orbes, Aplanem nimirũ, (ubi fixę ſunt ſtellæ) ſeptemque alios, in quibus totidem ſunt Planetæ. Plures alij numerabant novem, decem, undecim, duodecim.

Aſſerendum tamen, tres tantum dari cœlos, Aethereũ, Stellatum, & Empyreum. Probatur concluſio primo ex Scriptura. Divus Paulus in 2. Corinth. 12. de ſemetipſo ait: *Scio hominem raptum uſque ad tertium cœlum.* Vnde ſic arguo: Divus Paulus fuit raptus uſque ad tertium cœlum, ſed non fuit raptus uſque ad cœlum Solis, vel alterius Planetæ; ergo fuit raptus uſque ad Empyreum. Minor probatur, quia res mirabiles, quas vidiſſe narrat, videre non poterat in cœlo Solis, vel alterius planetę; ergo neceſſario debemus dicere illas vidiſſe in Empyreo. Addo, probabilẽ eſſe opinionẽ apud Theologos, & forte probabiliorem, Paulum vidiſſe divinam eſſentiam, quã in cœlo Solis, vel alterius planetę vidiſſe quis dicat.

Secũdo probatur ex Patribus. Divus Chryſoſtomus in illud pſalmi 148. *Laudate eum cœli cœlorum*, & Homilia quarta in Geneſim ait, eos qui multos eſſe cœlos dicere audent, divinarum literarum authoritati repugnare: Divus Baſilius homilia prima in Hexameron duos dat cœlos, imo & tres, hoc autẽ tertium in fine homiliæ ait eſſe aërem; nec plures admittit cœlos; immo irridet eos, qui fingunt ſeptem Planetarum orbes. Divus Ambroſius lib. 2. Hexame. cap. 2. & 3. ponit firmamẽtum duplex, alterum ſtellarum fixarum, alterum Planetarum, & Empyreum. Theodoretus quæſt. 12. in Geneſim, duos tantum eſſe cœlos affirmat. *Qui igitur*, inquit, *non credit ſecundum eſſe cœlum, ſemitam rectam tranſgreditur: qui vero plures numerare conatur, adhæret fabulis, poſt poſita divini ſpiritus doctrina.* Agit autem Theodoretus de cœlis incorruptibilibus, non de aëre. Divus Damacenus ſecundo lib. Fidei Orthodoxæ cap. 6. duos tãtum cœlos agnoſcit, excepto aëre, alijque Patres, qui facile videri poſſunt apud interpretes capitis primi Geneſis.

Tertio ratione. Novis experientijs novus rerũ ordo ſtatuẽdus eſt: ſed apud novos Aſtrologos novi Planetarum motus obſervantur: ergo novus ordo loci eſt illis aſsignandus. Minor probatur. Iuxta noviſsimam Aſtrologorum obſervationem nũc Planetæ altiores, nunc depreſſiores, nunc ſoli viciniores, nũc remotiores apparẽt: atqui ſi ſuo Planetæ ſuum deſignetur cœlũ, iſtæ experientiæ cohærere non poſſent; ergo neceſſario debemus illis aſsignare novum diſcurrendi modum.

Reſpondet Clauius in cap. 4. ſphæræ Planetas moveri medijs Epyciclis, Excentricis, & Concentricis (hi ſunt circuli, in quibus quaſi nodi in tabula ſunt fixi Planetę) & ita recte poſſe conciliari obſervationes omnes Aſtrologorum. Contra primo, quia eadem facilitate qua tu fingis Epyciclos Planetis, finget aliquis Cometas, & ſtellas volantes eſſe in Epyciclis cum cometæ modo ſint altiores, modo depreſsiores, quod eſt fictitium. Secundo, quia quod ait Clauius Planetas, id eſt, errantes, hoc nomine donari, non quia habeant diſtinctum motum à motu ſui orbis, ſed quia apparent in varijs diſtantijs; repugnat communi Aſtrologorum ſententiæ: omnes enim ſuum Planetæ deſignant proprium curſum. Tertio, quia in ſententia illorum qui plures aſsignãt cœlos, quos inter numeratur idem Clavius, aſsignatur cuilibet cœlo motus naturalis ab occaſu in ortum, qui non peragitur niſi multis annorum millisribus: ſed ſi Planetę non moverẽtur niſi ſuis orbibus, vel epyciclis motis, iſta omnia repugnarẽt; ergo, &c. Minor probatur. Planetæ habent alium motum quem peragunt ſingulis annis; ſed ſi moverentur orbe moto non peragerent, niſi multis annorũ milliaribus; ergo non poſſunt movere ſe intra orbem; ergo neceſſario debemus illis dare alium motum peculiarem.

Hurtadus diſputa. 2. §. 6. Horum omnium difficultatem inſpiciens, tres conſtituit cœlos. Primum aëreum uſque ad concavum lunæ. Secundum ſydereum, in quo ſunt ſydera errantia, & fixa. Tertium empyreum, ut ſatisfaceret experimẽtis quæ adduximus: in ſecundo cœlo deſignat canales quoſdã, per quos moveantur Planetæ. Sed contra primo, quia vel iſti canales ſunt pleni aliquo corpore fluido, vel non. Si primum, cur non aſsignat cœlum fluidum, & per illud moveri Planetas? Si ſecundum, ergo concedit de facto vacuum in natura, quod repugnat tum Philoſophiæ, tum experientiæ, cum videamus ſtellas, quæ ſupra canales ſunt: at ſi eſſent vacui, non poſſent videri. Secũdo, quia iſti canales eſſent ponendi maiores quam tota zodiaci latitudo: canalis enim lunæ habet latitudinem duodecim graduũ, quos habet latitudo Zodiaci.

DVBIVM VII.

Declaratur amplius ſuperior doctrina, & ſolvuntur difficultates.

VT ergo tota ſuperior eluceſcat doctrina, ſic conciliandas puto Aſtrologorũ obſervationes, ex quibus alij Venerem ſupra Solẽ, alij infra Solem, alij Soli proximam, alij remotam inſpexere; ſi curſus veneri (idem eſto de Mercurio, & forte de omnibus alijs) deſignetur circum circa Solem non in modum gyri, vel circuli perfecti, & rotũdi, qualis eſt ſolaris; ſed in modum circuli ovati. Et ratio eſt manifeſta, quia Venus, ſecundum Aſtrologorum obſervationes, non ſemper æque diſtat à Sole, ſed aliquando accedit, aliquando recedit, aliquãdo ſupra,

ſupra, aliquãdo infra Solem decurrit; atqui plus diſtat à ſole, cum movetur in unam vel aliã partem, quam quando ſupra, vel infra Solem movetur; ergo curſus eſt illi deſignandus ovalis.

Ex quibus ſic totam ſuperiorem doctrinam confirmo. Secundum Aſtrologorum obſervationem Venus nunc magis, nunc minus diſtat à Sole, in figuram circuli ovati: atqui ſi moveretur in Epyciclo per ſuum proprium cœlum, non poſſet moveri hoc pacto: ergo non poteſt in Epyciclo moveri. Minor probatur, Epyciclus ille eſt perfectè ſphæricus; ergo cum rotat circa Solem debet ſemper ab illo æque diſtare; atqui non ſemper æque diſtat; ergo, &c.

Dices, iſtas eſſe oculorum illuſiones, non obſervationes; ſed adhibeo oculatos teſtes omni exceptione maiores. R.P. Cornelium à lapide Societatis Ieſu ſacrarum litterarum interpretem ad cap. 1. Geneſ. v. 14. P. Alexandrum de Angelis eiuſdem Societatis lib. 1. contra Aſtrologos cap. 1. P. Leonardum Leſsium ſua doctrina clarũ lib. 1. de Provid. cap. 2. qui ſuis oculis hæc tubis opticis obſervarunt, & per dioptram experti ſunt Veneris ſydus per ſtatas temporum vices, nunc remotius, nunc vicinius Soli, in cornua creſcere, & decreſcere ſicut lunam, quod iã ante notarat Auguſtinus: quod non aliter accidere poteſt, niſi ponatur cœlũ fuſile, ut infra explicabo. Inſuper Inſignes Aſtrologi notarũt Mercurium altius aſcendere, quam ſydus Iovis, quod in Epyciclo, & cœlorum multitudine eſt impoſsibile.

Quare hæc omnia ſalvantur ſi fuſilem, & rarũ ponas Planetarum cœlum, ita ut illam varietatem motuum, iam altam, iam demiſſam ad temperiem universi, & terræ, cohærere inter ſe exſiſtimes, & concilies omnes obſervationes Aſtrologorũ: quæ omnia his concluſionibus explico.

Dicendum primo, cœlum Aethereum multiplici regione diſtinctum admittit aves, vapores exhalationes, & Planetas omnes. Probatur primo ex Scriptura, quæ aërem vocat cœlum, Aves cœli, pluviam cœli, ignẽ de cœlo. Primum domicilium eſt Auibus. Secundum nubibus Tertium cometis & phænomenis. Quartum Planetis. Hæc eſt opinio Pererij lib. 2. in Gen. q. 9. qui refert Iuſtinum Martyrẽ, Origenem, Euſebium, Chryſoſtomum, & alios. Probatur ratione ex ſupradictis: quia ſi non ponantur ita planetę non poteſt reddi ratio obſervationum omnium.

Opponeſ. Scriptura dicit feciſſe Deum ſolem, & lunam, & poſuiſſe in firmamento; ergo perperam diximus nos hos planetas eſſe in Aethere. Reſpondeo cum Beda, firmamenti nomen uſurpari hoc loco pro Aethere, ut pluribus probat ad hunc locum.

Dicendum ſecundo. Cœlum ſtellatum eſſe ſolidum, ſtellas fixas continens. Probatur ex Patribus, & Scriptura, quæ ait, feciſſe Deum ſtellas, & poſuiſſe illas in firmamento. Eſſe ſolidum oſtenditur item ex communi Patrum ſenſu. Probatur item ex Scriptura, quę ait Iob 14. Cœlos quaſi ære ſolidiſsimo eſſe fuſos.

Dicendum tertio. Cœlum Empyreum eſſe ſolidum quadratũ, immo-

immobile, clara luce perlucens. Eſſe ſolidum patet, quia eſt tutum Beatorum domicilium, & non erat decens ut in hac parte firmaméto cederet. Eſſe quadratum ſuadetur inde, quia beatorum curia quaſi theatrum eſt, deſignatum recipiendis corporibus beatis poſt reſurrectioné. Quod videtur innuere Ioan. Apocal. 21. *Civitas in quadro poſita.* Quod alij dicunt de firmitate locutum fuiſſe Ioannem, non figura, gratis dicitur. Eſſe immobile liquet, quia eſt tuta requies beatorum ab omni viciſsitudine immunis. Clara luce niteſcere, ſuadent verba Chriſti dicentis, niteſcere in illa iuſtos ſoli non abſimiles: dignitas item tantæ civitatis poſcebat, ne in hoc ignobilior eſſet ſole. Et amplius probabitur ſuo loco.

Oppones. Vni corpori nó convenit duplex motus, ſed cœlum ſtellatum fertur ſaltem duplici motu, ſcilicet ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum; ergo vel ſupra ſtellatum eſt ponédum aliud mobile diſtinctum, à quo talis motus proveniat; vel dicendum, Empyreum non eſſe immobile. Diſtinguo maiorem. Vni corpori non convenit duplex motus ſimpliciter, verum; unus ſimpliciter, & alter ſecundum quid, falſum.

DVBIVM VIII.

De ſtellis fixis, earumque numero, ſitu, & magnitudine.

Divido iá cœli partes, ordior à media (de ſuprema etenim diximus iá in proximo dubio) ab cœlo ſcilicet ſtellato. Ac in primis dari ſtellas fixas certiſsimum eſt, & firmat communis Aſtronomorum authoritas; omnes enim conveniunt, ſtellas fixas in ſtellato eſſe. Dicuntur fixæ, quia ſemper ſervant eundem motum, locum, diſtantiam, ordinem: & patet à contrario in Planetis, quia Planetæ ideo dicuntur hoc nomine, quia ſemper errantes incedunt, nunc in hoc loco, nunc in illo; nunc accedunt, nunc recedunt; nunc ſervát hûc ordinem, nunc illum.

Circa numerum varij varie loquuntur. Verior eſt peritorum Aſtrologorum ſenſus, aſſerens ſtellas omnes viſu perceptibiles eſſe duas & viginti ſupra mille. Probatur hæc concluſio, quia Aſtronomi dividunt ſtellas in ſex ordines magnitudine diſtinctos, quorũ primus habet ſtellas quindecim maximas, ac ſplendidiſsimas, quæ primæ magnitudinis appellantur. Secundus, minus lucidas, quinque ſupra quadraginta, quas vocant ſecundæ magnitudinis. Tertius, octo ſupra ducentas, quas nominant tertiæ magnitudinis. Quartus, ſeptuaginta & quatuor ſupra quadrigentas, quas dicunt quartæ magnitudinis. Quintus, ſeptemdecim ſupra ducentas, quas appellant quintę magnitudinis; Sextus, novem ſupra quadraginta, quas nuncupant ſextæ magnitudinis. His addunt nebuloſas quinque, obſcuras novem, quæ omnes explent numerum duorum & viginti ſupra mille; ergo tot ſunt ſtellæ fixæ. Firmatur, quia nulla alia ſtella apparet in cœlo, quam non comprehendant Aſtrologi in hoc nume

ro;ergo,&c.Dixi viſu perceptibiles,quia aliç dantur non viſu, ſed fiſtula optica perceptibiles.

Dices ex Scriptura Geneſis 15. patet dixiſſe Deum Abrahamo: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris; atqui Abrahamus habuit ex ſuo ſemine pluſquam duos & viginti ſupra mille filios cum nepotibus; ergo. Reſpódeo locutum fuiſſe dominum Abrahamo, humano more: nos etenim cum numerum alicuius exercitus, vel alterius rei commendare volumus, dicimus æquari cum ſtellis cœli, vel arena maris: ita pariter fecit Deus; cuius rei multa ſuppetunt exempla in Scriptura.

Circa ſitum nota primo, ſtellas illas, quas ſupra memoravimus duas & viginti ſupra mille, redigunt Aſtronomi in quadraginta & octo cõſtellationes, ſive imagines. Eſt conſtellatio certus ſtellarum numerus, alicuius animalis, vel alterius rei ſpeciē referens. Sic certum numerum ſtellarum in modum coronę diſpoſitarum, vocant coronam: in modum Aquilæ, Aquilam; in modum navis, navem, &c. Fuit autem hęc imaginum ſeries inventa, ut ita ſtellæ per partes diſtinctæ facilius deſignari, & cognoſci poſſent.

Nota ſecundo, Inter has conſtellationes primarium ſibi vendicant locum duodecim ſigna cœleſtia in Zodiaco. Eſt autem Zodiacus tectum quoddam amplum, infra quod Planetæ omnes moventur verſus partes Orientales; quæ via vel tectum continet ſtellas quæ in duodecim animalium imagines ſunt efformatæ, quæ animalia dicuntur ſigna, per quæ movetur Sol intra annum, occupans in quovis illorum unius menſis ſpatium: quæ ſigna ſic vocantur, & pinguntur

Aries,	Taurus,	Gemini,
♈	♉	♊
Cancer,	Leo,	Virgo
♋	♌	♍
Libra,	Scorpius,	Sagitarius,
♎	♏	♐
Capricornius,	Aquarius,	Piſcis,
♑	♒	♓

Singula ſigna dividuntur in 30. partes ęquales, quę ſunt gradus, quia per eos aſcendunt, & deſcendunt Planetæ: unde fit ut totus Zodiaci circulus contineat 360. gradus: deinde ſinguli gradus dividuntur in 60. partes æquales, quæ vocantur minuta. Dicuntur etiam his nominibus, quia Sol cum ſub his movetur, actiones edit aliquo modo reſpondentes naturæ, & ingenio animaliũ, quorũ eæ ſunt figurę.

Circa magnitudinem convenit inter doctos Aſtrologos, tũ rationibus, tum ingenioſo ſuæ artis indagine, minimam ſtellarum fixarum, quæ viſu notari poſſint, eſſe maiorem tota terra. Unde circa illorum experientiã, ſtella quævis primæ magnitudinis ſuperat terram minimum vicibus 107. quævis ſecundæ magnitudinis 90. Tertiæ magnitudinis 72. quartæ magnitudinis 54. Quintæ magnitudinis 36. Sextæ magnitudinis 18.

Quæres quid ſit circulus quidã quaſi lacteus, qui apparet in cœlo ſtellato. Reſp. eſſe unũ è maximis cœli circulis, quia longitudine totum cœlum cingit, & in duo ſecat per Sagittarium, &

B Gemi-

geminos; latitudine ampliſsimus eſt. Dicitur lacteus circulus, vel via lactea, ſeu galaxia, quia colorem lactis tota retinet, ſed unde lux, vel color ille? Reſpondeo, maxima fuit apud antiquos controverſia. Mihi placet communis, aſſerens eſſe maximam minimarum ſtellarum frequentiam, quæ præ exiguitate ad noſtrum aſpectum diſtinctæ nequeunt pervenire, ut aliæ ſtellæ, atque inter ſe lumen cōmiſcent, & confundunt.

DVBIVM IX.

De ſtellis errantibus, earumque numero, ſitu, motu, & magnitudine.

Circa primum dari ſtellas errantes, vel quod idem ſonat Planetas, exploratiſsimum eſt: quis enim tam cæcus eſt, qui Solem & Lunam non videat? vel mortuus, qui ſaltem illorum effectus nō perſentiſcat? Dicuntur errantes à contrario de ſtellis fixis, ut in proximo dubio dicebamus, quia non ſervāt eundem in ſuis motibus, & apparentijs tenorem: nunc enim iā videas planetas accedere, nunc recedere, nunc magis, minusve inter ſe diſtare.

Circa ſecundum verior eſt opinio, docens ſeptem eſſe planetas, videlicet Solem, Lunam, Venerem, Mercurium, Martem, Iovem, Saturnum. Probatur primo authoritate illorum, qui in dubio ſexto undecim ponebant cœlos: ſuo etenim Planetæ ſuū deſignabant cœlum, atqui hi ſeptem numerabant cœlos, & non alijs Planetis; ergo hi tantum dantur Planetæ. Secundo, quia ſtellæ omnes aliæ quæ apparent in cœlo, ſemper eundem eadem omnino diſtantia ſervāt locum; ergo, &c. Tertio, quia, ut dubio ſuperiori dicebamus, omnes aliæ ſtellæ ſuam efficiūt conſtellationem, ſuam figuram; ſed iſti Planetæ tantum non faciunt conſtellationem, neque figuram; ergo, &c.

Nota, quod dixi de numero ſtellarum fixarū, aſſerendū eſſe de errantium: quemadmodum enim ſtellę viſu ſignabiles ſunt tantum 1022. ita Planetæ viſu notabiles ſunt ſeptem: & ſicut alias ſtellas fixas mōſtrat tubus obticus, ita ex obſervatione recentiorum Mathematicorum alias errantes oſtendit idem tubus.

Circa ſitum Planetarum ſic diſſero. Infra ſtellatum Saturnus gyrat; Saturnum Iupiter ſequitur; Iovem Mars; Martem Sol; circum circa Solem Venus, & Mercurius: in imo Luna ſuperiores omnes. Hæc concluſio nō habet probationem aliam, niſi Aſtrologorum obſervationes; ratio namque phyſica & naturalis apparet nulla. Experientia tātum poteſt id ſuadere; quia nullus humilior apparet Planeta quam Luna, nullus ſuperior quā Saturnus, & ſic de alijs. De Venere, & Mercurio ita ſuadeo; quia aliquando Venus infra, aliquando ſupra Solem eſt viſa: idemque de Mercurio, ut dubio ſexto & ſeptimo dicebamus.

Ita Origanus tom. 1. Ephem. parte 2. cap. 4.

Circa motum ſentio cum Conimbricenſibus lib. 2. cap. 11. quæſt. 1. art. 2. Saturnum propriū motum annis fere triginta perficere; Iovem annis fere duodecim.

ſim. Martē annis fere duobus. Solem diebus 365.horis 5.minutis 49. circiter:quod ſpatiū Annus ſolaris dicitur;Venerem, & Mercurium eodem fere tempore,quo Sol (quod maxime congruit cum proxime dictis de horum Planetarum ſitu) Lunam diebus 27. horis fere 8.

Dices , quo magis corpus ab immobili primo ad primum mobile magis recedit , tanto rapidiori motu,qui eis proprius ſit, circumagitur : ut patet in rota: partes enim rotæ ſuperiores,velocius decurrunt inferioribus; ergo cum Saturnus, & alij Planetæ plus diſtent ab immobili terræ elemento , velociores debent eſſe Sole , & Luna; ergo nulla eſt regula quam ſtatuimus de motibus. Reſpondeo concedendo antecedens , & negando conſequētiam duplicem. Ratio eſt manifeſta , quia ſuperior cœli pars plus diſtat à centro , quam media & infima , & ita maius ſpatium debet tranſire mobile quod movetur per ſuperiorem , quam quod movetur per infimam; unde nihil mirum quod plus immoretur in decurrendo illo ſpatio ; at ſpatium quod Sol, & Luna debent decurrere,eſt brevius,illo quod decurrit Saturnus:unde nihil mirum hunc plus immorari , illos minus.Exemplum de rota non urget: quia partes omnes cum ſint continuę,licet viciniores cētro, minus ſpatium decurrant ſuperioribus , tamen eodem temporis ſpatio conficiunt omnes ſuū circulum, aliàs deberent diſcontinuari : at Planetas non ponimus nos in ſphæris fixis,ſed volantes per fluidum aërem: unde nihil mirum, quod non dependeat unius motus ab alterius motu.

Circa magnitudinem dico,Saturnum continere terrę magnitudinem 19. Iovem 95. Martem unicam fere tantum.Solem 166. His omnibus excedunt terram hi Planetæ.De alijs è contrario eſt Philoſophandum. Terra nāque continet Veneris magnitudinem 73. Mercurij 219. Lunæ 39.Hæc omnia mathematicę probant rationes , à quibus ſuperſedeo, ut huic inſtituto, & loco alienis.Vnam naturalem affero de Luna, & conſequenter de Sole. Lunam eſſe minorem terra, probatur evidēter ex Ecclypſibus:quia non deficit lumen Solis in Luna quin per lineam rectam ponatur inter Solem & Lunam terra ; ergo ſi interpoſitio terræ eſt ſufficiens ad auferendam lucem Solis à Luna,evidenter patet eſſe minorem terra.Cōſequentia probatur:quia ſi terra eſſet minor Luna;ergo quātumvis interponeretur terra , ſemper maneret aliquid lucis in Luna.

Dices , inde ſequitur Solē eſſe minorem Luna:patet,quia ſæpeſæpius in Ecclypſi Solis,nihil videtur de illo,cum Luna interponitur inter noſtrum oculum, & Solem. Reſpondeo,hoc eſſe evidenter falſum,quia ſi Sol eſſet minor Luna,ſemper , & in omnibus ecclypſibus nihil videremus de Sole cum Luna perfecte ſub illo ponitur ; ut patet in ecclypſi Lunę: quotieſcunque enim perfecte interponitur Terra inter Solem & Lunam , ſemper deficit lux in toto corpore Lunę, quod non apparet in Sole. Ratio autem huius diſcriminis eſt manifeſta, quia Luna in aliquibus

eclipſibus altius, in aliquibus demiſsius incedit; unde quādo altius decurrit, plus videmus de Sole: quando demiſsius minus: quod manifeſto probatur, cum quis poſito iuxta oculum digito intuetur Solem, minus de Sole videt, quādo plus removet, tāto plus de ſolari corpore intuetur.

Hinc liquido conſtat quid ſit eclipſis Solis, quid Lunę. Eclipſis enim Solis eſt interpoſitio Lunæ inter Solem & oculum inſpiciens Solem: eclipſis Lunę eſt interpoſitio terræ inter Solem & Lunā. Sed illud maxime advertendum, magnum intercedere diſcrimen inter has duas eclipſes. Cum etenim Sol eclipſatur, non omnibus eclipſatur, ſed illis tantum, quibus obverſatur corpus Lunæ inter illos, & Solem: unde mihi Valentiæ eclypſabitur Sol hora nona, & tibi Romæ degenti hora ſeptima, vel octava. Secus apparet in eclipſi Lunæ: cum etenim Luna eclipſatur omnibus eclipſatur, quia eſt defectus lucis in corpore Lunæ, & ita eadem hora, quæ mihi incipit eclipſari, tibi, & omnibus incipiet.

DISPVTATIO TERTIA,

De Cœlorum proprietatibus.

ESSENTIAE, Numero, Cœlorum, Syderumque proprietatum ſequitur enodatio: communis namque, ut in ſuperioribus totius Philoſophiæ vidimus exemplis, Philoſophorum eſt uſus, natura, ratioque ipſa poſcit, ut dilucidato fonte, rivuli qui ex ipſo manant omnibus eluceſcāt: noto principio, & natura cœlorum, elucidandæ veniunt proprietates.

DVBIVM I.

De quantitate cœli.

COelos eſſe quantitate prædito, & oſtēdit eorum extenſio quam videmus, & firmitas quę de ipſis prędicatur, quæſtio eſſe poteſt, an ſit diverſa in ſpecie à ſublunari.

Sic recentiores cum Suarie diſp. 13. ſect. 4. Sit concluſio. Quantitas cœli eiuſdem eſt ſpeciei cum ſublunari. Suadetur primo, quia effectus formalis utriuſque eſt prorſus idem, extenſio ſcilicet partium cum impenetrabilitate; ergo, &c. Secundo, quia ex diſtinctione ſpecifica materiarum nō recte infertur quantitatum diſtinctio: bene enim poſſunt duę naturæ diverſæ quatenus ſimilitudinem habent in aliquo gradu eandem ſpecie proprietatem cauſare; ſicut duæ cauſæ ſpecie diverſæ poſſunt effectum eiuſdē ſpeciei cōtinere, atq. producere, ut patet in calore à Sole & ab igne producto. Sic ergo quātitas eſt proprietas materiæ ſecūdum gradum communem & genericum, quare eadem eſſe poteſt ſecundum ſpeciē in materija ſpecie diverſia: ſicut viſus hominis, & leonis eiuſdem ſpeciei ſunt, quia ſequūtur gradum animalis.

malis. Neque obſtat quantitatē cœli non eſſe diviſibilem, ſublunarem vero neceſſario diviſibilem: nam quantitas cœleſtis eſt indiviſibilis, nō ratione ſui, ſed ratione ſubiecti in quo eſt, cuius partes ſubſtantiales eſſent dividendæ ſi quantitas divideretur: nequeunt autem partes cœli dividi, ut conſtat ex dictis.

Sed ais, ſicut materia eſt potētia receptiva formarum ſubſtantialium, ita quantitas eſt potentia receptiva accidentium corporeorum; ergo ſicut materia cœleſtis & ſublunaris ſpecie differunt per ordinem ad diverſas formas ſubſtantiales, quas adæquate reſpiciunt, ita quantitas cœli & ſublunaris ſpecie diſtinguuntur per accidentia diverſa quæ adæquate reſpiciunt; atqui quantitas ſublunaris eſt potentia receptiva primarum & ſecundarum qualitatū, non vero quantitas cœleſtis; ergo quantitas cœleſtis eſt potentia receptiva ſpecie diverſa à ſublunari.

Reſponde, antecedens eſſe falſum, & paritatem quam adfert non ſubſiſtere. Etenim non eodem modo ſe habent quantitas ad formas accidentales quas reſpicit, atque materia ad ſubſtantiales: nam effectus primarius quantitatis non eſt recipere accidentia, ſed tribuere impenetrabilitatem; unde receptio accidētium conſequenter ſe habet: potentia autem ſpeciem ſumit ab actu quem primario reſpicit, nō quem ſecundario, aliàs enim quantitas ſublunaris eſſet ſpecie multiplex: nam in mixtis recipit colores, odores, & ſapores, quos non recipit in elementis; & in viventibus recipit potentias vitales, quas non recipit in alijs mixtis. Vnde adde quantitatem cœli ex ſe receptivam eſſe qualitatum contrariarum, impediri tamen ab actuali & proxima receptione ex unione quā habet cum ſubiecto, & qualitatibus ordinis ſuperioris eidem quantitati inhærentibus: quia igitur quantitas eſt in ſubiecto naturaliter in capaci caloris ex vi unionis cum tali ſubiecto nō poteſt concurſum materialem præbere tali accidenti, quia licet ex ſe ſit illius capax, ut dixi, non tamen ut unita tali ſubiecto.

DVBIVM II.

De Cœlorum, Syderum, & Planetarum luce.

Dicendum primo. Cœlum Empyreum eſſe lucidiſsimum. Probatur, quia cœlum empyreum ita eſt hoc nomine dictum, non propter ardorem, ſed propter lucem. Tum etiam quia fulgorem, ſplendoremque huius cœli deſcripſit Ioannes in ſua Apoca. qua vidit civitatem illam mille gemmis, & margaritis decoratam. Nec obeſt quod non videatur hoc lumen, ſicut lumen aliorum aſtrorum, quia ut bene dixerat divus Petrus contra Simonem Magum obiectantem, cur non videat lumen Empyrei: noluit Deus lucem Empyrei videri, ne ab indignis videatur. Non videtur autem hoc lumen, quia ut docte ait Hurtadus diſpu. 2. ſect. 5. Empyreum eſt quaſi cortina quadam opaca contectum, ſicut arca fœderis pellibus caprinis,

Ita D. Tho. 1. par. q. 66. ar. 3. & Clemens ex divo Petro 2. recognitionū

Sancta ſanctorū ſerico velo tegebantur.

Dicendum ſecundo. Lucem ſyderum omnium eſſe eiuſdē ſpeciei. Probatur primo, quia entitates ſine neceſsitate non ſunt multiplicandæ; ſed nulla eſt neceſsitas multiplicandi ſpecies lucis; ergo. Minor probatur, eadem luce ſpecie ſatisfieri poteſt omnibus experientij s aſtrorum omnium. Dices, lucem Solis videri ſpecie diverſam, quia obſcurat lucem Aſtrorum omnium, ita ut albeſcente die nullum fere ſydus videatur: atque ſunt eiuſdem ſpeciei non ita ſe ſuffocant & obnubilant: calor enim calorem non perimit. Contra, quia lux naturæ poſcit, maius ſenſibile, ſi nimium excedat, ita ſuffocare aliud, ut nihil illi⁹ percipiatur: ſed lumen Solis excedit nimium lucem aliorum ſyderū; ergo ad eius lucem alia debent obtenebrari. Maior probatur, quia ſonus ingens adeo obtundit aures, ut per magnum temporis intervallum nihil aliud perſentiſcamus: & ſic de alijs, quæ ſua magnitudine alia minora quaſi obnubilant. Secundo probatur concluſio, quia ab effectibus debemus rimari cauſarum naturam; ſed eundem effectum præſtant lumina aliorum ſyderum; ergo, &c. Dixi eundem effectum, id eſt, intra genus illuminandi: nam de alijs effectibus, & influxibus inferius ſermo incidet.

Ita D.Tho. in 4. diſtin. 44. q. 2. ar. 4. & alij.

Oppones, lumē Solis videtur aureum, Lunæ argenteum, Martis igneum, Saturni ſuffuſcum; ergo lumina ipſa diſtinguūtur ſpecie. Nego conſequentiam, quia iſta omnia ſunt accidentalia, non ſuficientia ad diſcrimē accidentale; ut cernere licet in alijs mille rebus, quæ paſsim occurrunt in rerum natura.

Dicendum ſecundo. Præcipuā lucem, non omnem habet Luna à Sole. Probatur, quia Luna, ut experimento conſtat, ſuas patitur ecclypſes; ergo deficit illi in hiſce tēporibus lumē; ergo non habet illam à ſe; ergo ab alio: atqui non niſi à Sole; ergo præcipuam lucem ab illo accipit. Confirmatur, quia tēpore ecclypſis fere nihil apparet de Luna; ergo fere nihil à ſe habet. Secunda pars probatur, quia per interpoſitionem terræ non ita privatur lumine Luna, ut illa non appareat; aperto enim illam diſtinguimus à reliquis aſtris, & partibus cœli; ergo aliquid luminis debet in illa dari ut diſtinguatur; atqui hanc, ut patet, non poteſt à Sole accipere; ergo debet à ſemetipſa, ſuaque natura haurire.

Ita Philoſophi, & Mathematici.

Dicendum tertio. Reliqua aſtra ſuam etiam lucē à Sole hauriunt. Probatur primo à ſimili. Luna accipit ſuam lucē à Sole; ergo & reliqua aſtra. Secundo, quia ſi propter aliquam rationem ſuā ſydera reliqua non acciperent lucem à Sole, maxime quia non experimur eoſdem effectus in omnibus, vel ſaltē pluribus aſtris; ſed hæc ratio non obſtat, ut ex ſolutione argumentorum conſtabit; ergo &c.

Ita proxime citati authores.

Oppones. Si hęc concluſio eſſet vera, ſequeretur inde ſydera, & Planetas ſuas pati ecclypſes, incrementa, & decremēta lucis; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela liquet, quia ideo Luna ecclypſatur, quia interponitur terra inter illam & Solem per lineam rectam; ſed eadem interpoſi-

poſitio terrę datur inter reliqua Aſtra,& Solem; ergo. Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem concedo dari talem interpoſitionẽ terræ inter Solẽ & reliqua Aſtra; nego tamẽ poſſe dari ecclypſim in illis, quia licet interponatur terra, tamen non eo pertingit terræ umbra, ſed in mucronem ſenſim attenuata in medio conſumitur. Itẽ nullum ſydus mutationem faciem habet, ſicut Luna, quia lumen à Sole vibratum ſemper perfecte illuſtrat, cum nullum impedimentum ibi intervenire poſsit.

DVBIVM III.

Cœlorum figura.

SIT concluſio. Corpus omne cœlicum ex mobilibus eſt figuræ rotundæ. Eſt communis ſententia cum Ariſtotele 2. de cœlo cap. 4. & probatur experientia eorum, qui terram & mare circuierunt, & duos polos ac univerſi ambitum; & colligitur ex illo Eccleſiaſtici 14. *Gyrũ cœli circuivi ſola*, id eſt rotũdavi, vel conglobavi: loquitur enim Scriptura de cœli creatione; & etiam ex illis verbis initio cap. primi Eccleſiaſtes: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem; luſtrãs univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Quæ verba indicant, Solem in orbẽ verſari; quod non niſi corpori globoſo convenit. Firmatur, nam figura rotunda eſt aptiſsima ad motum circularem, quo moventur cœli.

Secundo probat Ariſtoteles, quia præſtãtiſsimo corpori, quale eſt cœlum, debetur præſtantiſſima figura, qualis eſt ſphærica. Tertio probant melius Mathematici, quia omnes ſtellæ fixæ in firmamento habent eandem omnino diſtantiam à centro mũdi quod eſt terra; ergo cœlum eſt perfecte rotundũ. Conſequentia probatur, quia ſola figura rotunda eſt, quę ſecundum omnes ſuas partes ęque diſtat à centro. Probatur demũ, quia ſtellæ quæ ſunt circa polos, minorem efficiunt circulum, quam aliæ quæ magis diſtant ab eodem polo: quod fieri non valeret, ſi cœlum non eſſet figuræ rotundæ.

Moneo, cœlum Empyreum tametſi ſecundum concavam ſuperficiem qua tangitur à primo mobili rotundum ſit ſicut primum mobile, ſecundum tamen ſuperficiem convexam quadratum eſſe, iuxta dicta dubio ſeptimo ſuperioris diſputationis.

Ex dictis liquet, aſtra, ſtellas omnes, & planetas figuram obtinere rotundam: quod ſuaderi debet rationibus ſupra adductis. Nec obſtat planas nobis apparere, nam hoc provenit ex nimia diſtantia propter quam apparẽt aliter ac ſunt. Vnde illud Pſalmi 103. *Extendens cœlum ſicut pellem*, non ſignificat habere cœlũ figuram tentorij, ſed ita dicitur propter officiũ quod habet tegendi; vel melius, ut notavit Auguſtinus primo de Geneſi ad literam cap. 9. illis verbis, facilitas creationis & fabricationis cœlorum oſtenditur; facilius enim fuit Deo cœlos creare, quã ſit nobis complicatam pellem extendere, & explicare, iuxta illud Iſaiæ cap. 40. *Qui extendit velut nihil cœlos, & expandit eos ſicut*

ſicut tabernacula ad habitandum.

Nonnulli hic plus iuſto immorantur inveſtigando, num in cælis reperiantur ſex differentiæ loci, nēpe ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, ante, & retro, quas adducit Philoſophus tertio Phyſico. cap. 3. ſub finem. Dico breviter, has differentias poſitionum non convenire cælo propriè, ſed impropriè per quandam quaſi analogiam, & metaphoram ab animali ſumptam. Suadetur, nam iſtæ differentiæ conveniunt rei ex varijs partibus organicis, & diſsimilaribus, motibuſque diverſis, quæ tamen in cælo locū non habēt: in animalibus enim in quibus illæ differentiæ propriè reperiuntur, pars ſurſum dicitur illa, per quam cibus aſſumitur, ex quo oritur motus accretionis, & nutritionis, ut eſt caput in homine, radices in plantis: deorſum autē eſt pars huic oppoſita: ante eſt pars, illa in qua viget ſenſatio, quæ eſt alteratio vitalis, & pars huic oppoſita eſt retro: dextrum eſt pars illa, à qua inchoatur motus localis, quæ eſt robuſtior in animalibus: & pars oppoſita eſt ſiniſtrum: ex quo apparet iſtas differentias poſitionum deſumi ex varijs organizationibus partium, quæ in cælis deſiderantur; per aliquam tamen analogiam poſſunt hæ differētiæ cælis accommodari, ita ut illa pars cæli à qua motus incipitur, dicatur dextra, quæ pars eſt illa cui Angelus motor aſsiſtit, nam per illam movet Angelus, & pars oppoſita erit ſiniſtra. Similiter illa pars verſus quam continuatur motus inter dextrum & ſiniſtrū, erit ante, & pars oppoſita retro, & poli erunt ſurſum & deorſum, & iuxta Ariſtotelem Antarticus habet locum ſurſum, & Articus deorſum per quandam proportionem, & ſimilitudinem ad hominem: ut ſi fingamus hominē habentem dextram in Oriente, & ſiniſtram in Occidente, & faciem verſus noſtrum emiſphærium, haberet caput in polo Antartico, & pedes in Artico, per quandam ergo analogiam & metaphoram ab animali ſumptam ponit Ariſtoteles in cælis ſex differentias poſitionum.

DVBIVM IIII.

Num in cælis reperiantur aliquæ virtutes influendi occultæ.

Difficultas eſt, an in cælis prçter lumen per quod medio motu producūt varios effectus in his inferioribus, dentur aliç virtutes influēdi in hçc inferiora.

Sit aſſertio. In cælis prçter lumen ſunt aliç qualitates activç, quæ vulgo dicūtur virtutes influendi, quæ ſunt connaturales eorum proprietates. Suadetur, quia multi effectus in his ſublunaribus non valent fieri à ſolo lumine intervēto ſolius motus; ergo aliæ virtutes influēdi ſunt in cælis concedendæ. Antecedēs probatur, quia cæli generant aurum in terræ viſceribus quo lux nō attingit, ſimiliter motus fluxus, & refluxus maris fit à luna, fit autem ſæpe non apparente luna in noſtro emiſpherio, & nocte etiam in abſentia lucis; ergo per aliam virtutē id efficit luna.

Ita S. Tho. 2. de cælo q. 10. Conimb. 2. de cælo c. 3. q. 3. & alii.

Dein-

Deinde aliqua aſtra cauſant frigiditatem, alia ſiccitatem, alia calorem, &c. ergo habent peculiares virtutes influendi à lumine diſtinctas. Vnde nõ recte Mirandulanus aſſeruit calorem cœleſtem producere frigiditatem in his inferioribus, nam calor cœleſtis, & elementalis eſt eiuſdem ſpeciei; ergo ſi elementalis nequit producere frigiditatem, nec cœleſtis; unum enim contrarium non producit aliud, ſed potius deſtruit.

Opponis. In cœlis præter lumen dantur aliæ virtutes operandi; ergo ſicut illuminando corpora ſublunaria illuminat cœlos intermedios, ita producent in illis eoſdẽ effectus quos cauſant in ſuis inferioribus, verbi gratia frigiditatem; alias quomodo illi effectus devenire poſſent ad hæc inferiora. Reſpondeo, ut dixi in ſeptimo Phyſico, non opus eſſe ut agens producat in medio eundem effectum ſpecie quem producit in diſtãs; ſed ſat eſſe producat in medio qualitatem aliquã, cuius interventu operatur in diſtans, ut ibi etiam exemplis illuſtravi. Vnde autumo cœlos per illas virtutes peculiares influendi producere ſimiles qualitates in cœlis intermediis, vel forte alias non corruptivas, quibus medijs, & alijs virtutibus effectus inferiores operantur.

Rogas, an in cœlis raritas, & denſitas reperiantur. Reſpondeo reperiri, nam iſtę qualitates non ſunt contra incorruptibilitatem cœlorum, cum ſolum modificẽt ſubiectum in ordine ad correſpondentiam ſpatij, ita ut denſitas ſit qua media plures partes quantitatis minori ſpatio fiunt præſentes, raritas vero quando pauciores partes per maius ſpatium reperiuntur diffuſę, ut ſuo loco videbimus, iſtæ autem reperiuntur in cœlis; aſtra enim ratione ſuæ denſitatis in ſe radios luminis recipiunt, & ad nos mittunt, quod in alijs cœlĩ partibus ob earum raritatem nõ contingit. Vnde raritas & denſitas duplex eſt, una quæ oritur ex mixtione primarum, & contrariarum qualitatum, & hæc non eſt in cœlis, in quibus non eſt mixtio contrariarum qualitatum: alia eſt, quę tantum conſurgit ex multitudine, vel diſpoſitione, aut dilatatione, ſeu compreſsione partium quæ in cœlis eſſe poteſt Vnde raritas cœleſtis & ſublunaris (& idem eſt de dẽſitate) non differunt ſpecie; habent enim eundem effectum formalem.

DISPVTATIO QVARTA;
De cœleſtium corporum motu.

HOC ultimum rem quamcunque ſequitur, Accidentium nempe dilucidatio: perperam enim Philoſophus quiſque de accidentibus priuſquam de eſſentia diſceptaret: inverteretque ordinem naturæ, quæ prius principium omnibus amat oſtendere. Accidentia ergo univerſi, ſunt motus omnes cœlorum, ſyderumque, & à quo agitantur.

DVBIVM I.

A quo cœleſtia corpora moventur.

IN primis certũ eſt cœlos moveri, quod immerito nonnulli Philoſophi negarunt, dicẽtes cœlos & aſtra quieſcere, terram vero circulariter moveri, & velociſsime ab occaſu ad ortum, & ita videri nobis aſtra moveri ab ortu uſque ad occaſum, quod eſt omnino à ratione, & experiẽtia alienũ. Planetæ enim interdum ſunt propinqui, interdum per diametrum diſtãt, ut liquet in coniunctione Solis & Lunæ, idemque eſt de cæteris; ergo aſtra ſunt quę moventur quieſcẽte terra. Secundo, quia corpori gravi, quale eſt terra, nullus alius motus poteſt eſſe naturalis niſi ad medium, id eſt ad inferiorem locum, atqui terra eſt iam in infimo loco mundi, cuius ipſa eſt medium, & cẽtrum, ita ut quocunque feratur motu recto, aſcẽderet, fieret enim ex illa parte propinquior cœlo; ergo terra nõ movetur, ſed quieſcit in medio mundi, atque adeo ortus, & occaſus ſtellarum, & planetarum, quos experimur quotidie, fiunt cum motu ipſorum ſine motu terrę. Difficultas ergo eſt, à quo effective, & proxime fiat talis motus, an à propria forma ſicut motus gravium, & levium, an vero ab extrinſeco motore Deo, vel Angelo.

Hanc tradit Ariſtoteles 8 Phyſi. cap. 6. tex. 52. Plato

Sit aſſertio. Non moventur corpora cœleſtia effective à propria forma, ſed ab intelligẽtijs. Prima pars probatur, quia idem ſemper eſt natum facere idem; ſed ſi cœleſtia corpora à propria forma moverẽtur, ſemper eſſent nata facere idem; ergo ſi non facerent, paterẽtur vim; atqui non ſemper faciunt; ergo indicium eſt id non provenire à propria forma. Minor probatur, quia poſt diem iudicij quieſcent cœli, non movebũtur; ergo ſi à propria forma motus proveniret, nunquam quieſcerent.

10. de legib. & melior maiorq. Philoſophorum pars.

Dices etiam, elemẽta poſt diẽ iudicij quieſcent violenter, & corpora glorioſa hominum quę gravia ſunt. Reſpondeo tamen elementa non quieſcere tũc contra ſuam naturam, quia erunt in proprijs locis naturalibus, nec conabuntur in motum, at vero cœli ſi à propria forma active moverentur, talis quies eſſet illis violenta, quia ex ſe peterent in eodem loco circulariter moveri, & ita ſemper conarentur ad iſtum motum. Sed dices, non conabuntur tunc, quia illorum motus non erit iam neceſſarius ad conſervationem horum inferiorum: hoc tamen non recte dicitur, quia cœlum non pendet in ſua natura, nec ordinatur ad hæc inferiora; ergo ſi illorum forma active concurrit ad talem motum naturalem, ſemper ordinabitur ad illum, & conabitur ad illum independenter ab his inferioribus. Ad illud de corporibus glorioſis dico cum Alberto Maiore, & Ricardo in 4. diſt. 49. ſeſſ. 2. ab illis auferendam eſſe gravitatem, quia eſt minus conveniens cum illorum ſtatu, & agilitate. Quare non quieſcent violenter, quia ſi carẽt gravitate non conabũtur in locum deorſum.

Secunda pars probatur, quia ali-

aliquod principium debeat habere à quo moveantur, cum non moveantur à propria forma; ſed hoc principium non eſt aliquod aliud corpus, ut per ſe liquet, nec ſolus Deus; ergo Angelus. Non eſſe ſolum Deum, communiter docent Theologi cum divo Dionyſio Areopagita dicente, ad ordinem divinæ ſapientiæ & providentiæ ſpectare, ut corpora inferiora à cœleſtibus, hæc autem ab Angelis moveantur, ita etiam ordinatior cernitur, & pulchrior creaturarum inter ſe dependentie. Vnde non recte docuit Ariſtoteles primum mobile immediate moveri à ſolo Deo; non enim eſt maior ratio primi mobilis quam aliorũ; unde motus cœlorum procedit libere ab Angelo, nunquam tamẽ ceſſabit Angelus uſque ad diem iudicij à tali motu Deo ita diſponente, ſicut Deus libere concurrit ad operationes cauſarum ſecundarum naturalium, licet communiter, & ordinarie cum illis ſemper concurrat ſecundum earum naturas.

Dices, maior perfectio eſt habere in ſe principium activũ ſui motus, quam ab extrinſeco dumtaxat moveri; ergo cœlum quia corpus perfectum à ſua forma active movebitur. Reſpõde, quando res non perficitur per motum, nec poteſt ſuo loco naturali privari, non egere in ſe virtute activa, nec eſſe maiorem perfectionem eam obtinere, cœlum vero per motum non perficitur in ſe, ſed ſolum movetur propter generationes & corruptiones rerum ſublunarium: elementa autem quia poſſunt dimoveri à propria ſede & loco, egent virtute activa propria, ut valeant ad proprium locum pergere.

Colligo contra nonnullos, in Angelis conſtituendam eſſe virtutem loco motivam, ab intellectu, & voluntate realiter diſtinctam, quia intellectus, & voluntas tantum operantur active actione immanente; ſed iſta virtus motiva operatur actione trãſeunte; ergo diſtinguitur ab intellectu, & voluntate. Firmatur primo, quia in Deo præter intellectum, & voluntatem cõſtituunt Theologi omnipotentiam ratione diſtinctam; ergo in Angelis præter intellectum, & voluntatem ponenda eſt potentia motiva ab intellectu, & voluntate realiter diſtincta, nam in Deo propter eius ſimplicitatem non diſtinguitur realiter omnipotentia ab intellectu, & voluntate. Firmatur ſecundo, quia anima rationalis præter intellectum, & voluntatem habet potentiam motivam ſecundum locum realiter diſtinctam; non enim poteſt immediate per intellectum, & voluntatem movere corpus, niſi applicando potentiam executivam, & motivam. Vnde tametſi in re ſpirituali præter intellectum, & voluntatem non dentur aliæ potentiæ operativæ actione immanente, bene tamen actione tranſeunte, qualis eſt potentia loco motiva. *Ita Suarez. diſp. 35. ſect. 7. nu. 2.*

DVBIVM II.

Num motus circularis ſit cœlo naturalis.

Memini me dixiſſe ſecundo Phyſicorum inter motum naturalem & violen-

tum dari medium, exemplumque adhibuiſſe in motu circulari cœli, ut igitur noſtris principijs inſiſtamus,

Dicendum eſt, motũ circularẽ non eſſe cœlo naturalẽ, nec violentũ, ſed præter naturalem. Nõ eſſe naturalẽ ſuadetur: nã alioquin ſequeretur quietem cœli futurã poſt iudicij diem ei violentam fore, quod eſt omnino à ratione alienum. Et ratio à priori eſt, quia cœlum ex ſe ſolum depoſcit locum illum eminentem ſupra omnia elemẽta, quod vero in tali loco moveatur, vel quieſcat præter illius naturam eſt, ſicut lapidem in centro moveri vel quieſcere eſt etiam illi præternaturale. Non eſſe violẽtum patet, quia non repugnat cœlo, nec illud à proprio loco naturali extrahit; ergo cum non ſit naturalis, nec violentus, erit præternaturalis: ut mot⁹ enim ſit violentus ſubiecto, non ſat eſt ad eum ſubiectum non inclinari naturaliter, ſed amplius requiritur, nempe motum eſſe directe oppoſitum inclinationi naturali ſubiecti, quod deſideratur in motu circulari cœli.

Oppones. Pręſentia quam adquirit cœlum per motum circularem, eſt cœlo naturalis, nam ſi in altero ſpatio præſentiam acquireret eſſet ei violenta; ergo motus ad talem pręſentiam terminatus erit cœlo naturalis; motus enim naturalis eſt ille, qui tendit ad terminũ & perfectionem naturalem. Nonnulli tantum tribuunt huic argumento, ut eius occaſione aſſerant motũ circularẽ aliquo modo eſſe cœlo naturalem, quia ut motus ſit naturalis ſubiecto, ſat eſt eius terminum ſecundum rationem ſpecificam eſſe perfectionem cœlo naturalem, tametſi aliquod eius individuum non magis requiratur quam aliud, ſicut naturale eſt terræ habere in loco inferiori præſentiam, etſi non magis efflagitet hanc præſentiam quam aliam in eo ſpatio. Non arridet doctrina, nam motus nõ dicitur naturalis ſubiecto eo quod ratio eius ſpecifica vel generica naturalis ei ſit, ſed ſecundum particularem & individuã eius rationem, aliter enim motus ſurſum eſſet aliquo modo lapidi naturalis, in quantum ſcilicet ordinatur ad præſentiam abſolute, quam naturaliter expoſcit lapis. Vnde ad exemplum de lapide dicẽdum eſt, hanc vel illam præſentiam in loco inferiori eſſe illi præternaturalem propter eandem rationem.

Vnde tametſi per motũ circularem deperdat cœlum præſentiam aliquam in loco ſuperiori, quia tamen adquirit aliam in eodem ſpatio, proinde non eſt illi motus violentus; neque ex eo quod una pars cœli deperdat priorem præſentiam naturalem, & ponatur poſtea per motum in alio loco, non inquam ſit ex hoc motum eſſe violẽtum parti, quia illa pars nõ magis petit eſſe in hac parte ſpatij quam in alia, dummodo ſemper ſit in loco eminenti ſupra omnia elementa. Vnde poſtremo ſequitur ut argumento reſpondeamus; tametſi præſentia adquiſita per motum circularem ſecundum ſuam eſſentiam ſit naturalis cœlo, tamen ſecundum modum, & ut adquiritur per motum circularem non eſt illi naturalis, ſed præternaturalis, quia ad illam ut ſic non dicit naturalem incli-

nationem. Quando vero D. Thomas & Ariſtot. dicut, motum circularem eſſe cœlo naturalem, tantum volunt eſſe aliquo modo naturalem ratione boni communis univerſi, quia ad finē illius neceſſarius eſt, non vero reſpectu particularis, & proprie naturæ cœli.

DVBIVM III.

Num pars cœli à cœlo ſeiuncta, & in elementorum loco poſita naturaliter quieſceret, vel ſurſum tenderet.

EX dictis liquido conſtat, nullum agens naturale poſſe aliquam partem cœli abſcindere, propter eius incorruptibilitatem. Vnde difficultas eſt, an ſi Deus ſua potentia partem aliquam à cœlo abſcinderet, & in loco elemētorum collocaret, ſtatim ſurſum pergeret.

Aſſero primo. Pars cœli in loco inferiori poſita violentam quietem pateretur. Suadetur, quia illa quies eſſet ab extrinſeco agente contra naturalem inclinationem ipſius partis, quæ deſiderat reunionem cum toto cœlo, & præſentiā in loco ſuperiori omnibus elementis; ergo talis quies eſſet violenta. Firmatur exemplo terræ in loco ſuperiori poſitæ, quæ propter eandē rationem violētam quietem patitur.

Aſſero ſecundo. Illa pars cœli non poſſet ſeipſam ad locum ſuperiorem movere. Eſt contra nō nullos, autumantes, illam partem naturaliter ſe movere ſurſum: quia inquiunt, tametſi cœlum non ſit formaliter grave, nec leve, eſt tamen virtualiter, & eminenter, cum producat levitatem, verbi gratia: hoc tamē non recte dicitur, nam tametſi cœlum ſit virtualiter calidum in quantum poteſt producere calorem, non proinde poteſt ſeipſum calefacere; ergo etſi ſit virtualiter leve in illo ſenſu, non proinde poterit ſurſum ſe movere. Firmatur ex Ariſtotele dicente, neque in toto cœlo, neque in eis partibus eſſe principium aliquod activum motus ſurſum, vel deorſum.

Dices. Pars elemēti à proprio loco ſeparata habet virtutem activam, ut ſeipſam moveat, & reducat ad proprium locum naturalem; ergo hoc etiam concedi debet parti cœli à cœlo avulſæ. Nego conſequentiam: hoc enim natura conceſſit elemento, quia poteſt naturaliter dimoveri à propria ſede, & à proprio loco naturali, cœlum autem naturaliter ſuo loco naturali privari nō valet, ideo de facto nullā obtinet virtutē activam ad motum aliquē rectum ſurſum, vel deorſum: quare niſi ab aliquo agente extrinſeco pars illa moveretur in ſuum locum, ſemper permaneret in loco elementorum.

Aſſero tertio. Pars cœli in elementorum loco locata valeret ab agente corporeo moveri in locum ſuperiorem naturaliter; compertum enim eſt ab Angelo, à quo de facto totum cœlum movetur moveri poſſe. Demonſtratur ergo de agente corporeo, quia illa pars haberet cōtactum phyſicum cum agēte corporeo,

& cum eo ratione quantitatis non penetraretur; ergo poſſet ab agente corporeo, nempe ab homine, vehi, & duci in locum ſuperiorem, poſſetque homo imprimere illi impulſum, quia impulſus non pugnat cum incorruptibilitate cœli, cum tantum ordinetur ad motum. Vnde quando Ariſtot. docet non poſſe cœlos ab agenti naturali pati, intelligit paſsione corrumpente, non autem paſsione perficiente.

Aſſero ultimo. Motus ille eſſet naturalis parti cœli. Suadetur, quia in parte cœli eſt naturalis inclinatio ad reunionem cũ toto, & ad locum eminentem ſupra omnia elementa; ergo etiã ad motum, qui eſt medium ad talem unionem, & locum; licet enim in illa parte non ſit naturalis inclinatio activa, eſt tamen paſsiva, quæ ſat eſt ad motum naturalem, ut oſtenſum ſecundo Phyſicorum. Quãdo autem Ariſtoteles docet nullũ motum rectum eſſe naturalem cœlo, intelligit ratione principij activi; vel de facto nullum eſſe ei naturalem, quia nulla pars cœli de facto poteſt naturaliter ab eo ſeparari: quare de facto nullus motus rectus eſt illi naturalis: eodem modo intelligi debet cũ dicit, uni corpori ſimplici unum tantum motum ſimplicem convenire; de facto enim tantum motus circularis convenit cœlo.

Dices. Motus ille eſſet naturalis parti cœli; ergo poſſet à ſe naturaliter moveri in locũ ſuperiorem; ex eo enim lapis, ſi eſſet in loco ſuperiori, ſeipſum moveret deorſum, quia haberet naturalem inclinationem ad talem motum. Reſponde, non quotieſcunque in aliqua re datur inclinatio naturalis ad aliquem motum, talem rem poſſe ſeipſam naturaliter movere: ſicut ſi pars aliqua ignis eſſet in centro terræ, haberet quidem naturalem inclinationem ad motum ſurſum, non tamen poſſet ſeipſam movere, quia æque diſtaret ab omnibus partibus cœli, ſed ibi violenter detineretur, donec à Deo in aliquam partẽ determinaretur.

DVBIVM IIII.

An cœli dum moventur, ſonum efficiant.

Pythagoras, muſicę admodum ſtudioſus, aſſeruit, cœlos ſuo motu mirabilem quendam ſonum edere, illud tamen à nobis non ſentiri, quia ab ortu noſtro, illi aſſuefacti ſumus; ab aſſuetis autem non fit paſsio. Idẽ ſentit Philo Iudęus qui dicebat ſi motus cœli ad noſtras aures perveniret, mortales cibi, ac rerum neceſſariarũ obliti, quodam mẽtis exceſſu, nihil operis in hac mortali vita molliturós, eadẽ pythagoricæ muſicæ dulcedine capti. Ethnici dicebãt, ideo homines tanto operè muſica delectari, quia animæ memoriam recolunt eius harmoniæ, qua ĩn cœleſti regione, antequam unitæ eſſent corpori, fruebantur, & ob id vita functos cum cantu ad ſepulturam comitabantur, quia credebant animas illorum ad antiquam illam ſuavitatem muſicam remeare.

Sit tamẽ aſſertio. Motus cœli nul-

Ita Ariſtot. & D.Thom. & communiter Philoſophi. nullum ſonum edit, quia ſonus non fit ex quovis motu, ſed ex colliſione corporum ſolidorum reſiliente corpore aliquo intermedio raro, vel fluido, ut aëre, vel aqua, ut oſtendemus lib. de Anima; ſed cœli non moventur cũ colliſione corporis alicuius, nec eſt aliquod corpus interiectum inter illos, quod poſsit reſillire; ergo non efficiũt ſonum. Præterea ſi eſſet talis ſonus, ſine dubio audiretur; non enim ſatis eſt dicere, ob aſſuefactionem, nã illi, qui aliquo tempore uſu audiendi caruerunt, & poſtea recuperant, audirent. Deinde noſter viſus percipit cœleſte lumen; ergo & ſonum, ſi eſſet. Neque obſtat illud Iob 38. *Concentum cœli quis dormire faciet.* Nam, ut exponit Hieronymus, non intelligitur de ſono, quem edat cœlum, ſed de divinis laudib⁹, res enim adhuc inanimatæ dicuntur concinere Deo, quia ſua pulchritudine hominum, & Angelorum mentes ad divinas laudes alliciunt.

Rogas, an ſi nunc ceſſaret motus cœli, ceſſarent omnes motus ſublunares? Affirmant communiter Thomiſtæ. Contrarium tamen eſt verum. Et ſuppono, omnes cauſas ſublunares non pendere eſſentialiter à cœlo in ſuis *Ita D. Tho. opuſc. 1. ar. 8 & Scotus in 2. diſt. 14. q. 3.* operationib⁹. Ratio. Cauſę ſecũdæ non pendent à cœlo in eſſe; ergo nec in operari. Antecedens patet in cauſis ſecundis à ſolo Deo productis in exordio mundi, quæ non potuerunt pendere à cœlo, & eius motu, unde neque ſimiles aliæ cauſæ pendebunt. Et confirmatur, quia non poteſt ſignari aliqua pars, aut ſtella, ex qua omnes cauſæ ſecundæ pendeant; non eſt autem veroſimili quamlibet operationem cauſarum inferiorum pendere ab omnibus aſtris, & ab omnibus cœli partibus; dicuntur tamen ſol, & homo generare hominem, homo quidem influendo in actionem ipſam ſubſtantiæ, Sol vero diſponendo materiam proximam, vel remotam generationis, nam ſuo calore fovet, & conſervat calorem vitalem, & naturalem ſeminis.

Dicendum ergo, ceſſante motu cœli, non ceſſaturas ſtatim operationes omnes, tam ſublunarium, quam ipſorum corporum cœleſtium. Ita Auguſt. qui *11. conf. c. 18* ait, rotam figuli moveri poſſe quieſcentibus cœli luminibus. Et probatur, quia cum ignis nõ pendeat à cœli influxu, aut motu eſſentialiter in comburendo, non eſt credibile ex eo præciſe quod ceſſaret motus cœli, ſtupã coniectam in ignem non iri cõbuſtam, aut hominem apertis oculis non videre, quia cœlum non moveur. Ceſſaret tamen in eo caſu annua viciſsitudo generationum, & corruptionum, quã cernimus apud nos, quia hęc viciſsitudo provenit ex varia acceſsione, & receſsione aſtrorum inter ſe, & ad diverſas partes terræ, quæ fiunt per motum; ergo motu ceſſante, ceſſaret illarum rerũ viciſsitudo. Addendum tamen in eo caſu poſt tempus non longum perituras etiã generationes, & operationes rerum ſublunarium, pręcipue mixtorum. Ratio, quia omnia mixta paulatim corrumperentur, & in elementa deſinerent. Etenim ſi Sol ſtaret abſumeret proculdubio, aut in ignem converteret ea omnia, quæ ſuo nimio ardore inceſſanter inflammaret; in ea

ea vero parte, quæ Solem non at tingeret, omnia præ eximio frigore corrumperentur; & magnam partem in terram, & aqua auirét. Quo ſolo ſenſu ut notavit Suarez, vera eſſe poteſt ſententia Thomiſtarum; quia nimirum ubi cœli motus ceſſaret, omnia ad corruptionem inciperét properare. Patet ex his, ſi cum cœlorum motu omnes etiam eorum influxus ceſſarent, ceſſaturas quidem omnes operationes, quæ a cœlo pendent neceſſario, ut generatio metallorum, &c. non tamen illas, quæ in inferioribus habent ſufficientem vim activam, ut operatio ignis, & ſimiles.

Diſp. 21. ſectio. 5.

DVB. VLTIMVM.

An cœlum uno, vel pluribus motibus moveatur.

COmmuniter docent Aſtrologi primum mobile moveri ab ortu ad occaſum ſpatio 24. horarũ, & orbes etiam inferiores eodem motu ab ortu ad occaſum ſimul cũ primo mobili moveri, à quo rapi dicũtur: quod experientia probant, quia vident ſtellas aſcendere ab ortu ſupra noſtrum horyzontẽ, & deinde pergere in occaſum, & rurſus in horyzōte naſci, atque ſpatio vigintiquatuor horarum integram circulationem conficere. Præterea aiunt, compertum etiam eſſe orbes inferiores moveri ab occaſu ad ortum, quia planetæ non ſervant inter ſe, & cum ſtellis eandem diſtantiam, ſed Luna paucis ante diebus cũ Sole & aliis ſtellis coniuncta apparet poſtea ab eis recedit verſus ſigna orientalia; ſignum ergo eſt moveri verſus Orientem. Difficultas ergo quę hinc oritur eſt, an hoc fiat uno tantum, vel duplici motu in ſingulis cœleſtibus orbibus: verbi gra. an Luna moveatur ab ortu ad occaſum uno motu rapto, & alio diſtincto, & proprio ab occaſu ad ortum.

Plerique Philoſophi, & Aſtrologi autumant, orbes inferiores duplici totali motu moveri, quod nullum reputant abſurdũ, quia unus convenit illis per ſe, nempe proprius, & alius per accidens à primo mobili.

Hæc tamen ſimultanea motuũ multitudo, ut verus eius appareat ſenſus, impugnatur primo, quia non poteſt idem corpus naturaliter eſſe ſimul duobus in locis naturaliter; ergo non poteſt ſimul & ſemel moveri duobus motibus. Conſequentia patet, quia motus localis formaliter, & eſſentialiter eſt adquiſitio termini ad quem; ergo ſi corpus ſimul, & ſemel movetur ab ortu in occaſum, & contra, ſimul & ſemel adquiret terminũ ad quẽ occaſum, & terminum ad quem ortum, atque ita duplex locus. Atque hic novum apparet incōmodum, nam motus localis eſſentialiter eſt à termino à quo unde recedit, in termino ad quẽ quo accedit; ergo ſi corpus movetur ſimul duobus motibus ab ortu in occaſum, & cōtra, ſimul recedet, & non recedet ab eodẽ termino à quo.

Reſpondebis cum Clavio, & Conimbricenſibus, & pluribus aliis, motus iſtos non fieri ſupra eoſdem polos, quia motus ab ortu in occaſum fit ſupra polos Arcticum, & Antarticum: motus vero

vero retrogradus ſit ſupra polos Zodiaci. Contra primo, quia eandem ſphæram ſimul & ſemel moveri ſupra quatuor polos includit eandem difficultatem; debent enim idem duo poli ſimul & ſemel intelligi quieti & moti, vel ſaltem ſimul & ſemel in duobus locis.

Deinde rogo; an pars cœli A, quæ fertur ſupra polos mundi ab ortu ad occaſum, ſimul feratur ab occaſu ad ortũ ſupra polos Zodiaci, an ſupra polos mũdi. Si primum, habet ſimul duo loco diverſa, quia per duas lineas diverſas duos efficit ſimul & ſemel diverſos gyros; ſi vero non moveatur, niſi ſupra polos mundi, ſequitur idem incommodum, quia per unam, & eandem lineã habet ſimul duos motus, quorum unus ſit adquiſitio loci, quem alter amittit; ergo ſimul habet duo loca.

Reſpondent primo. Cœlum ſimpliciter moveri motu diurno, ſeu rapto, retrogrado autem ſecundum quid. Vrget Hurtadus diſpu. 2. §. 23. Motus retrogradus, aut habet eſſentiam motus, aut non; ſi habet, ergo per illum movetur ſimpliciter; ſi non habet, ergo cœlum non movetur ſimpliciter duobus motib⁹. Deinde per motum retrogradũ adquiritur diverſus locus, nam propter diverſas diſtantias ponitur; ergo ſimpliciter eſt motus. Poſtremo, vel hoc motu movetur totum cœlũ, vel ſola pars; non ſola pars, tum quia cum ſit cœlum ſolidum, & continuum, non poteſt moveri quin moveatur totum, tum quia alioquin falſo dicerent Aſtrologi, cœlum moveri abſolute duobus motibus; ſi vero movetur totum cœlum, ergo ille ſimpliciter eſt motus cœli, vel explicent quid ſit motus ſecundum quid.

Aliqui reſpondẽt nihil aliud eſſe, niſi modificationem quandam motus tendentis ab ortu in occaſum: quod explicant motu lapidis per impulſum aſcendentis, & per proprium pondus deorſum gravitantis: nam ſicut gravitas lapidis dum ſurſum tẽdit, gravitando retardat, & modificat motum ſurſum, ita motus retrogradus, ſeu ſecundũ quid, retardat, & modificat motum diurnum, & ſimpliciter, qui eſt ab ortu in occaſum.

Exemplum tamẽ nulla ratione ſatis fit, quia dum lapis movetur ſurſum, quantumcunque gravitet non producit, vel adquirit præſentiam deorſum retrocedens, atque deſcendens, cuius evidens ſignum eſt, quia ſi impulſus non diminueretur, tãdem lapis per propriam gravitatem regrederetur, & perveniret ad centrum, ut tandẽ regreditur cœlum ad principium ſui motus, quod in lapide ridiculũ eſt. Adverſarij vero volunt, planetam motu diurno revera progredi ab ortu in occaſum, & motu retrogrado revera regredi ab occaſu in ortum; ergo exẽplum illud nullum eſt. Firmatur, quia per iſtos motus dicitur cœlum moveri ab Aſtrologis ſupra diverſos polos, & diverſas lineas; ergo exemplum lapidis nihil ad rem facit.

Reſpondent ſecundo, poſſe corpus ſimul habere duos motus, unum ab uno agente, alium ab alio, nam dum quis vehitur navi ab ortu verſus occaſum, poteſt ſeipſum movere ab occaſu verſus ortum; & qui equo vehitur

hitur ab urbe in agrum, totus ſimul movetur verſus agrum, & tamen interea poteſt ſimul movere brachium verſus urbem, & muſca motu rotæ fertur deorſum, & ſuo ſurſum. Aliqui aſferunt exempla eiuſdẽ generis.

Sed contra, quia ſi corpus idẽ à duobus agentibus ſimul recipit duos motus; ergo ſimul adquirit duas præſentias diſcontinuas, eſtque in duobus locis diſſitis, quin exſiſtat in medio. Quod ut clariſsime pateat, fingamus id, quod movetur eſſe punctum, qui per unam horã quieverit ſupra punctum B, poſitum inter partem proportionalem Orientalem A, & Occidentalem C, incipiat ſimul moveri verſus ortum, & verſus occaſum; ſane cum totus punctus ſimul moveatur, ſimul adquiret præſentiam in A, & ſimul in C, amittendo præſentiam in B, termino à quo; ergo ſimul eſt pũctus in duobus locis non exſiſtens in medio: quod ſequitur in puncto, idem ſequi in quolibet mobili, nemo non videt.

Ad primum exemplum reſpõdet Hurtadus, non moveri ſimul totum nautam ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum, ſed pedem qui nititur navi moveri motu navis verſus occaſum, & qui elevatus eſt, moveri ab ipſo nauta verſus ortum: quia quando partes corporis ſunt flexibiles, movetur una independenter ab alia, ſicque movetur brachiũ pectore non moto, & è contra. Eadem reſponſio ad alia exempla applicari poteſt.

Contra tamen primo, quia tametſi moto brachio non ſit neceſſe ſimul moveri corpus, videtur tamen neceſſarium ut moto pectore moveatur brachiũ; pars enim præcipua ſecum rapit minus præcipuam; ergo cum corpus equitis movetur ab urbe in agrum, ſimul ita movetur eius brachium, aliunde vero ipſe movet brachium verſus urbem, ergo, &c. etiam eadem poteſt eſſe aliorum exẽplorum refutatio. Secundo, quia corpus non habẽs partes flexibiles, videtur ſimul duobus agitari motibus; ergo tum habebit duas præſentias; tale autem eſt corpus cœlicum de quo loquimur; ergo &c. Antecedens etiam patet exemplo lapidis iacentis in navi; feratur enim navis ab ortù ad occaſum, lapis vero ſimul trahatur ab occaſu in ortum.

Quare titulo dubij reſpondemus, cœlum non ideo dici moveri ſimul duobus motibus, vel pluribus, quaſi revera habeat duas ſucceſsivas correſpondentias, ſed quia ſimul habet duas diverſas qualitates impreſſas, ita ut correſpondentia quæ ſequitur unam qualitatem interrũpatur per correſpondentiam ex alia ſecutam, & ſic mutuo ſibi vices præſtent, vel etiam quia per unam, & eãdem qualitatem idem cœlũ nunc hac linea, nunc alia procedit modo ſtatim explicando.

Obijcies, diuturna ſyderum obſervatione deprehẽduntur in eodem corpore plures ſimul motus, idque evidenter; ergo non ſunt negandi. Antecedens probatur, quia ſtellæ fixę nunc habent altitudines meridianas, diverſas ab his, quas antiqui notarunt, neque modo oriuntur reſpondentes ſpatio, cui antea reſpondebant; ergo movẽtur ſimul duplici motu.

Reſ-

Reſpondeo antecedens eſſe evidenter falſum, quia ut in eodem corpore notetur evidenter ſimul, & ſemel duplex motus, neceſſe eſt evidenter cernatur idem corpus ſimul, & ſemel in duobus locis; ergo ſicut naturaliter eſſe non poteſt, ita nec ab ipſis cerni. Ad probationem reſpondet Hurtadus §.29. diverſas ſtellarum altitudines, & poſitiones hinc oriri, quia intelligentia cœlum volvente prima die illius circumvectionis linea cœli A, & ſtella illi reſpondens ita fuerunt circumvectæ ab ortu in occaſum, ut reſponderet illa die lineę imaginariæ A. ſecunda vero die ſtella, & linea A. non reſponderunt lineę imaginariæ A, ſed B, quia ſecunda die intelligentia cœlum impulit quaſi in latus verſus polos Zodiaci, & efficit illo motu ut ſingulę partes cœli ſingulis diebus reſpondeãt diverſis ſpatijs, & conficiunt multa annorum milliaria, antequam linea cœli, & ſtella A, remeent ad lineam imaginariam, A, quod eſt in cauſa diverſitatis altitudinem ſtellarum: & iſti vocãtur ab Aſtrologis duo motus, qui, ſi ſunt duo, non ſimul exercentur, ſed dum intelligẽtia movet cœlum verſus polos Zodiaci, tunc non movetur ab ortu in occaſum, quia tamen ille motus in latus fit in ictu oculi, nõ dicitur cœlum ceſſare à motu diurno, vel poteſt ille motus eſſe idem cũ diverſo impetu, ſed non per gyrationem omnino perfectam. Vocantur autem duo motus modo vulgari, vel quia ad ſenſum apparere videntur duo, vel quia quaſi intermiſcentur alterna viciſsitudine: ut motus navis & nautæ. Aliquando enim nauta ceſſat à motu proprio, tunc autem trahitur motu navis: quod contingit, quando poſt motum firmat pedẽ, ut levet alterum: cum autem alterũ levat, & movet, tunc ſuo motu movetur. Hæc viciſsitudo motuum vix percipitur ſenſu, & eſt in cauſa ut plus tẽporis impendat nauta toti navi navigan ti peragendæ, quam quieſcenti. Aſtrologi autem nihil aliud poſſunt petere niſi rationem diverſæ diſtantiæ ſtellarum fixarum. Itaque nunquam ſunt duo motus ſimul, ſed aut unus à duplici impulſu, aut duo mixti alterna viciſsitudine.

Idem cum Conimbricenſibus addit, Planetam ideo reſpectu noſtri modo altiorem, modo humiliorem ortũ habere, quia circuli, per quos gyrat, non ſunt perfecte rotundi, quia alioquin dies forent omnino æquales, cũ Sol non egrederetur ex eodem circulo, & idem in circulationibus aliorum Planetarum.

Hæc facilius intelliguntur, ſi concedamus Planetas ferri per ſpatium medium motu ſuo illud ſecãtes, qua in opinione negandum eſt, Planetas moveri à ſolo corpore ſuperiori verſus occaſum, ſed prçipue à proprijs intelligentijs, & ab his immediate procedere diverſitatem illam ſituum & diſtantiarum, quę in Planetis deprehenduntur.

Huic duorum motuum explicationi non parum favent verba Clavij, ad cap.1. ſphæ. æ pag. 51. ubi nullatenus admittit eidẽ corpori ſimul & ſemel duos motus convenire, nam diſtinctionem illam ſupra polos mundi & Zodiaci, ait ſibi non placere: quia, inquit, in ea conceditur unum

unum & idem mobile poſſe contrarijs motibus ferri per diverſas vias, quod impoſsibile eſt omnino: ſi enim movetur quidpiam ab Oriente in Occidêtem, fieri non poteſt, ut eodem tempore ab Occidente in Orientem moveatur, hac enim ratione accederet ad Occidêtem, & ab eodem recederet, quod nec per eandem lineam, nec per diverſas lineas fieri poteſt, cum hæc duo maxime inter ſe pugnent.

DISPVTATIO QVINTA; de influxu cœlorum in hæc inferiora.

SATIS ſuperque liquet omnibus terrarũ incolis, tum animatis, tum inanimatis cœlorum in hæc inferiora influxus; inter mortuos ſane illos referre poſſes, qui hũc influxũ per fricta fronte negarent: nemo enim prudens hoc negabit: non tamen laudo ſententiam, qui nimium cœlis tribuunt, illa tantum afferam, quæ in nobis, alijſque creatis magiſtra docet experientia: oſtendam item reliqua, quæ circa hanc occurrent de cœlo diſceptationem.

DVBIVM I.

Num corpora ſublunaria eſſentialiter pendeãt à corporibus cœleſtibus.

PRænoto duobus modis poſſe unam rem alteram conſervare. Primo per ſe & immediate, continuando eius actionẽ productivam: quo pacto Deus Angelum, & hic ſuum intellectum conſervat. Secundo remote, & mediate producendo diſpoſitiones ad rei conſervationem neceſſarias.

Sit aſſertio. Corpora ſublunaria non pendent à corporibus cœleſtibus ſecundum ſuum eſſe, per ſe, & immediate; bene tamẽ remote & mediate. Prima pars liquet, quia cœlum non cauſat ſubſtãtias ſublunares immediate, ſed medijs accidentibus tanquam inſtrumentis; ſed effectus non pendet in conſervari ab actione accidentis, & inſtrumenti, tametſi pendeat in fieri; ergo ſublunaria non depẽdent in ſuo eſſe immediate à corpore cœleſti, ſed à ſolo Deo, ſine cuius influxu nec minimũ eſſe poſſunt. Secundo, aurum iam genitum eodem modo conſervatur præſente, & abſente ſole; ergo non pendet ab eo ſecũdum ſuum eſſe ſubſtãtiale. Secunda pars ſuadetur, nam cœli cauſant plures formas accidentales, & qualitates, quæ neceſſariæ ſunt ad rei conſervationem; ergo hoc modo pendẽt ſublunaria à cœlo ſecundum hoc eſſe accidentale.

Ita S.Thom. 1.par.q.104 art.1. & 2. Suarez. diſp. 21.ſect.2.&

Vaſquez 1. 2. diſputa. 119. cap. 4. nu.13.

Ex dictis liquet hæc inferiora non pendere à cœlo in operari, quia cœlum nõ influit in hęc infe-

inferiora immediatione ſuppoſiti, ut eſt perſpicuum, ſed mediis accidentibus diffuſis per intermedia corpora; ergo agens particulare per acceptam virtutem à cœlo, dato quod illā recipiat, erit cauſa proxima ſuæ operationis, neque tunc pendet à cœlo immediate & per ſe, ſed veluti remote in quantum ab illo accipit virtutem qua operatur: unde ſi cauſa particularis habet iā virtutem completam ad agendum, ut ignis calorem ad calefaciendum, non eget virtute aliqua à cœlo derivata, nec influxu & cooperatione cœli. Quod ſi influere & operari poſſunt cœli ſine operatione & influxu cauſę ſecundæ, poterunt etiam ſublunaria, cum nulla ex his perfectiora ſint cœlis, & perfectiores habeant virtutes operandi, poterunt quidem effectus proprios & proportionatos ſine cooperatione corporum cœleſtium operari: nihilominus licet hæc inferiora non pendeant à cœlis in operando ſimpliciter, iuvantur tamen ab illis in ſuis operationibus, ut arbores accedẽte ſole frondent, florẽt, & fructificant.

1. par. q. 76. art. 3. Rogas, an cœlum Empyreum influat in hęc inferiora. Reſpondeo cum D. Thoma influere: non enim decebat eſſe aliquam ſubſtantiam in mundo adeo perfectam, ut eſt cœlum Empyreum, & otioſam eſſe ac actionis expertem. Vnde aliqui volunt varietatem effectuū tribuendā eſſe huic cœlo, quia ſi hæc provenirent à cœlis mobilibus, in toto illo climate iidē effectus orirẽtur; neque indiget motu cœlum Empyreum ut influat; magnes enim immotus attrahit ferrum, & Angelus ſuperior inferiorem illuminat; ergo nihil mirum quod cœlum Empyreum immotum influat in hunc mundum.

DVBIVM II.

An motus ſit ratio agendi in cœlis, & per quam virtutem calorem cauſent.

Rationem formalem agendi in cœlis non eſſe lumē, neque aliam virtutem, ſed motum, arbitrantur communiter Thomiſtæ.

Dicendum tamen primo, motum cœli non eſſe rationem agendi, ſed dumtaxat conditionem requiſitam ut eius virtus diverſis terrę partibus applicetur. *Ita communiter Philoſophi.* Ratio, nam in agente ſublunari motus localis tantum eſt conditio, & applicatio agentis ad paſſum, ut cernere licet in approximatione ignis ad lignum; ergo idem erit in cœlo. Secundo, cœlum Empyreum ſine motu locali influit, ergo & alij cœli, tametſi ſiſterent, influerent, ac proinde motus non erit ratio formalis influendi. Tertio, per motum localem producitur, vel adquiritur ubi, ſed ubi non eſt virtus activa; ergo, &c. Mente enim capi non poteſt, ſolem, ſi quieſceret, aërem propinquum non illuminaturum, imo in primo inſtanti in quo cōditus fuit, aërem, & reliquos Planetas illuſtravit, tunc autem non erat motus, & poſt iudicij diem illuminabit etiam abſque locali motu. Præterea etiam, actionis non eſſe actionem, ac proinde cum motus ſit vera actio præſentiæ pro-

productiva nequire eſſe principium in hæc inferiora influens. Quare motus dicitur cauſa caloris, non quia ipſum producat, ſed quia applicat vim productivam caloris.

Ita D. Dionyſius Areopagita c. 4. de divinis nominibus, & D. Tho. 1. p. q. 37. art. 3. & q. 70. art. 2.

Dicendum ſecundo. Solem eſſe cauſam caloris per lumen tãquam per virtutem productivã. Ad probationem moneo, Solem non cauſare calorem, per calorem quem formaliter habeat, nã in cœlo non ſunt primę & contrariæ qualitates, quare Sol non eſt univoca cauſa caloris, ſed æquivoca. Suadetur modo concluſio, nam experimur inteſiorem calorem generari ubi radij ſolares vehementius feriunt, & radius ex directo, & reflexo compoſitus intenſius calefacit, quia magis illuminat; ergo ſignum eſt lumen eſſe cauſativum caloris.

Sed dices, lumen reperitur in corporibus calidis & frigidis, ut in igne, gemmis, &c. ergo lumen non eſt magis productivũ caloris, quã frigoris. Tum etiã planetæ, qui magis lucidi ſunt, non ex eo magis calefaciunt, ut videre eſt in Iove, Venere, Luna &c. ergo ſignum eſt lumen non eſſe virtutem activam & cauſativã caloris. Reſpondemus, licet ex ſe lux ſit cauſativa caloris, poteſt tamen in corpore lucido dari virtus potentior ad producendam frigiditatem; imo habere formaliter frigiditatem, quia lux & frigiditas formaliter non opponũtur, cum lux formaliter non ſit calor, & ita licet gemma fulgeat, poteſt frigiditatem cauſare, imo habere illam. Ad confirmationem dico, Planetam lucidiorem ex hac parte maiorem calorem producere poſſe, aliquando tamen non producit, quia forte habet aliam virtutem potentiorem ad cauſandam frigiditatem, vel ex diverſa diſpoſitione, & modificatione ſubiecti, quomodo lumen indurat lutum, & liquefacit ceram propter diverſam capacitatem ſubiecti: unde omnia aſtra media luce producere poſſunt calorem, licet alios effectus medijs alijs virtutibus, quas habent, producant, quomodo Saturnus refrigerat, & Luna humectat.

DVBIVM III.

Quo pacto motus ſit cauſa caloris.

PRoloquium commune Philoſophorum eſt, motũ eſſe cauſam caloris, ſic enim ignis elicitur ex ictu duorum lapidũ ſolidorum, ſcilicet ferri, ac ſilicis, ſagittæ per motum incenduntur, curruũ axes igniũtur, ſoles equorum ſcintillant: imo quod mirabilius eſt mare ipſum, natura ſua frigidum, ventorum flatu agitatum intepeſcit: eſt tamen ſatis difficile dare cauſam, & prælibare, quomodo motus ſit cauſa caloris; prætermiſsis multis dicendi modis, qui aut falſi ſunt, aut rem ſufficienter non explicant

Dico primo. Motus non eſt cauſa caloris, quaſi ipſe ſit productio ipſa caloris, & ipſa calefactio, eſt certum, quia motus localis tantum terminatur ad ubi; ergo non eſt productio caloris. Tum etiã, ſaltim divinitus, nemo negabit poſſe dari motum localem, & ictum inter duos lapides;

pides, ſine eo quod producatur calor; ergo motus non eſt ipſa productio caloris, aliàs ſine calore, nec eſſe, nec intelligi valeret.

Dico ſecundo. Motus localis eſt cauſa caloris, diſtrahendo, & continuando partes, & eas rare faciendo, ita ut raritatem cauſatam per motum calor ipſe comitetur. Probatur, quia corpora quo ſolidiora ſunt, eo calorem edunt celerius: ut claret in ferro, quod magis elicit calorem quam lignũ, quia per ferrũ aër magis aperitur, & attenuatur, & rarior fit; ſed raritas eſt diſpoſitio ad calorem ut liquet in igne, qui eſt ſumme rarus & calidus; ergo motus cauſare poterit calorem producendo prius raritatem.

Ita Conimb. cap. 7. q. 6.

Sed dices, calor eſt qualitas prima, & raritas ſecunda; ergo potius raritas debet oriri ex calore quam calor ex raritate; raritas enim eſt effectus caloris; ergo per motum localem prius debet produci calor, & deinde raritas. Reſponde, calorem non produci à raritate, tãquam à cauſa, ſed ut à diſpoſitione, tametſi enim raritas aliquando oriatur ut effectus à calore, nihil impedit quo minus raritas eſſe queat prævia diſpoſitio ad calorẽ: cauſa vero principalis caloris, qui producitur per motũ, nõ eſt aër, ut aliqui autumarunt, aër enim non habet tam intenſum calorem ac eſt ille, qui aliquando per motum generatur, neceſſario ergo recurrendum eſt ad aliquam cauſam univerſalem, quæ ſuppleat defectũ cauſæ particularis, & producat calorem proportionatum raritati præcedenti.

Dico tertio. In viventibus per motum localem excitatur calor, non ſolum propter rationem memoratam, ſed etiam quia per motum attenuantur, & diſperguntur humores, præcipue ſanguis, & ſpiritus vitales, qui calidiſsimi ſunt, & partes corporis intus calidas calidiores efficiunt. Nec obeſt per motum localem aliquando frigus potius quam calorẽ gigni, quomodo aqua frigidior fit, quo magis motu per nivem agitatur; id enim eſt per accidens, quia ſcilicet applicat cauſam frigefaciẽtẽ pluribꝰ partibus mobilis. Similiter res calidæ per flatum refrigerantur, eo quod per motum præbetur exitus exhalationibus calidis latẽtibus in partibus internis corporis, & ſic facile refrigerantur. Aër etiam æſtivo tempore flabello ventillatus refrigerat, quia aër qui nos ambiebat noſtro cõtactu incalefactus diſcutitur, & avertitur, & ei alius frigidior ſuccedit: quo modo etiã aër per reſpirationem attractus refrigerat, quia recedit aër ambiens, qui calidior erat.

Rogas, cur aër anguſto ore deflatus ſit frigidior aëre deducto ex lato ore. Reſpondeo, rationem eſſe quia ore anguſto exſufflamus aërem, qui nos foris ambit, qui frigidus eſt, lato vero ore emittimus aërem intus à pulmone calefactum.

DVBIVM IIII.

Num cœli formas ſubſtantiales ſublunares cauſent.

IN primis compertum eſt, cœlum animam rationalem minime cauſare, cum à ſolo Deo creetur. De alijs formis tam viventium quam non viventium eſt præſens controverſia. Et primo non eſt audienda ſententia aliquorum, dicentium cœlos agere in hæc inferiora tanquam inſtrumenta intelligentiarum. Nam Angeli nihil aliud poſſunt in corporibus cauſare directe, preter motum localem & impulſum; alia vero ſolum præſtant applicando activa paſsivis; ergo cœli non pendent ab intelligentijs tanquam ab influentibus in eorum operationes, ſed ut ab applicantibus ipſorum virtutes ad agendum. Adde, Angelos non habere vim proportionatam ad producendas formas ſubſtantiales, ſecus enim poſſet per ſeipſos eas efficere, quod nullus cõcedit; ergo cœli non ſunt inſtrumenta Angelorum in productione formarum ſubſtantialium, imo neque ad ullum alium effectum etiam ad motum localem, quia ad iſtum non concurrunt cœli active, ſed paſsive; at inſtrumentum debet concurrere active, cũ ſpectet ad cauſam efficientem, ut dictum ſecundo Phyſicorum libro.

Aſſero primo. Cœlũ attingit productionẽ formarũ ſubſtantialium inanimatarum, vel ut agens totale, ſi deſit aliud principale proximum, vel ut partiale, ſi adſit. Probabile eſt aliquando neutro modo concurrere. Suadetur prima pars, nam in rebus ſublunaribus, id quod ad ultimam diſpoſitionem concurrit, dummodo æquet perfectionẽ rei generandæ, cenſetur cauſa principalis illius: ſed cœlum vim habet ad producenda accidentia, quæ ſunt diſpoſitiones ad generationem inanimatorum ut viſum, aliunde etiam eſt ipſis perfectius; ergo non eſt cur cœlo denegetur quod attingat productionem harum formarum. Vnde quãdo deeſt proximum agẽs principale iure cœlo tribuitur hoc munus: ut in generatione metallorum, metheororum, & ignis etiam, qui ſine alio igne ſolis radijs gigni videtur; cum vero poteſt cauſa ſecunda ſignari, non eſt cur recurramus ad primam. Propter dicta etiam, tametſi adſit aliud agens proximum, cum hoc à cœlo in diſpoſitionibus prævijs iuvetur, cum fundamento dicitur ex cœlo, & agente proximo conflari unum totale agens: ut cum ignis iuvatur a ſole ad aliquid inflammandum, vel cum mixtum producit ſibi ſimile. Secunda pars liquet, nam ſæpe cœlum nihil efficit diſpoſitionis præviæ, ut ſi nocte influente cœlo frigiditatem, ignis ſola ſua virtute lignũ comburat, & in ſimilibus caſibus.

Sic Suarez. diſp. 18 ſect. 8. num. 24.

Aſſero ſecundo. Cœlum nõ eſt cauſa principalis generationis ſubſtantialis viventis. Ratio, quia cauſa principalis ſive æquivoca, ſive univoca eſſe debet perfectior, vel ſaltem æque perfecta cum effectu; ſed cœlum eſt imperfectius quovis vivente; ergo

ergo nequit eſſe cauſa illi' principalis.

Aſſero tertio. Dici poteſt cœlum habere virtutem inſtrumentalem ad generationem imperfectorum, non tamen ad perfectorum viventium. Prima pars probatur, quia hæc viventia ob ſuã imperfectionem nō exigunt ſemen à vivente derivatum, nec depoſcunt neceſſario in alicuius viventis utero formari; ſed terra, vel aqua, vel aër poteſt eſſe locus aptus eorum generationi, eorum vero diſpoſitio eſt facilis quædam ac ſubita primarũ qualitatum temperies; ſed hæc attingi poteſt à cœlo, ut dictum eſt; ergo poſſunt ab eo eorũ partes organizari, & ultimo diſponi ad formam viventis; ergo eſt in illo quædam virtus inſtrumẽtaria ſufficiens ad illorum productionem: Deus autem eſt cauſa principalis defectum ſupplẽs cauſæ proximę.

Secunda pars ſuadetur, quia animalia perfecta ob ſuam perfectionem requirunt ad ſui generationẽ peculiares virtutes exiſtentes in ſemine deciſſo à generante, & perfectius temperamentum; unde alteratio cœleſtis ſine illis non ſufficit, & ſine illis fieri poſſunt, & ſæpe fiũt huiuſmodi generationes: quia tamen virtus ſeminis nonnihil adiuvatur ab influxu cœleſti, iuxta illud, Sol & homo generant hominem, dici poteſt cœlum aliquo pacto concurrere, tamen non virtute proprie inſtrumentali, ſed quæ potius videtur habere rationem concurſus cuiuſdam remoti, & mediati. Et iuxta hunc ſenſum admitti poſſunt Conimbricenſes, & Durandus, dum cœlis attribuere videntur genitalem quandam virtutem ſeminalem: cœlum vel Sol influit in his caſibus per virtutem, aut qualitatem eminẽtem, non tanquam per ſemen, ſed ſicut influit per lucem.

Quęres, an animalia ex putridis materiis genita ſint eiuſdem ſpeciei cum alijs ſimilibus animalibus eiuſdem nominis ex ſemine genitis, ut mures ex ſemine, vel ex putrida materia geniti. Reſponde eſſe eiuſdem ſpeciei ſicut ignis à Sole, vel ab igne genitus, & homo à ſolo Deo, vel à ſemine generatus eiuſdem ſpeciei eſt. Tum etiam, quia in omnibus illis eſt eadem figura, motus, magnitudo, membrorũ compoſitio, & virtus generandi ſibi ſimile; ſola enim diverſitas generantis ab agente univoco, vel æquivoco diverſitatem ſpecificam non inducit.

DVBIVM V.

An & quatenus cœlum in hominis voluntatem influat.

STatuo primo, Cœlum varijs modis in hominem influere directe & per ſe, nempe producendo in corpore humano calorem, frigus, ſiccitatem, & humiditatem: cauſat enim cœlum qualitates iſtas in alijs corporibus ſublunaribus, ut compertum eſt; ergo & in homine. Firmatur, quia elementa vim habent ad qualitates iſtas homini imprimendas; ergo & cœlum à quo elementa magnopere iuvantur.

Statuo ſecundo, bifariam intelligi poſſe cœlum in volunta-

tem influere. Primo directa motione, imprimendo per ſe, & immediate aliquid in ipſa voluntate. Secundo indirecte, & remote ex accidenti eam inclinando interventu organorum corporis & potentiarum eis inhærentiũ.

Ita communis Philoſophia, quã ſequuntur Conimbricenſes in cap. 3. lib. 2. quæſt. 8. artic. 2.

Sit aſſertio. Cœlũ directa motione & immediata nequit influere in voluntatem hominis, bene tamen indirectà & mediata. Suadetur prima pars, nam voluntas eſt ſpiritualis, & cœlum corporeum; ergo nequit directe agere in illam: deberet enim producere per ſe, & directe aliquid ſpirituale in voluntate: cœlum autem per ſe nec poteſt producere ſubſtantiam, nec accidens ſpiritale, ut eſt perſpicuũ. At quod cœlum non poſſit ita in voluntate influere, ut eius actiones per ſe omnino exequãtur, definitum eſt in Concilio 1. Bracharenſi cap. 9. & 10 contra Priſcillianum hæreticum: patetque ex eo, quia ut cap. 7. libri 2. fidei orthodoxæ divus Damaſcenus argumentatur, cum cœlum neceſſario ac naturaliter agat, ſi humanæ actiones cœleſti vi adminiſtrarentur, non eſſent liberę, ſed naturales; nec homo ageret ſed belluarum more ageretur, nullaque ſupereſſet ratio concilij, nulla culpa, aut meritum. Quæ omnia abſurda, & impia ſunt, nec ſolum à Philoſophia, ſed etiam à Chriſtianę religionis veritate abhorentia. Secunda pars liquet, quia cœlum directe influit in corpus humanum, & per ipſum in hominis ſenſus; atqui per ſenſus derivatur cognitio in intellectũ, & hinc motio, vel excitatio in voluntatẽ; ergo cœlum indirecte, & mediate agit in hominis voluntatem, & intellectũm. Confirmatur experientia, nam optima, vel peſſima qualitatum temperies, bona vel mala valetudo, triſtitiam & merorem, voluptatem & gaudium afferũt voluntati; ergo cœlũ, quod eſt cauſa bonę vel malæ valetudinis directa, erit indirecta meroris & voluptatis.

DVBIVM VI.

Quæ futura poßint Aſtrologi cognoſcere, & prædicere.

Aſſertio prima. Syderum, Planetarumque omniũ ortus, obitus, aſpectus, eclipſes, & alia, quæ ad cœli motũ ſpectant, poſſunt Aſtrologi certo cognoſcere, atq. pędicere. Suadetur, quia hæc omnia tantum pendent à cœleſtium ſphęrarum motibus, qui cũ certo & indeflexo ordine fiant, poſſunt ab Aſtrologis comprehendi; ergo &c. Hæc certitudo ſolũ eſt phyſica, quia in divina poteſtate eſt talẽ ordinem (ſi libuerit) immutare: id quod nõ ſemel iam accidiſſe ex ſacris litteris conſtat. Legimus enim Ioſue cap. 10. Solem divino imperio conſtitiſſe. Et 4. Regum cap. 20. & Eſaiæ cap. 38. decem lineis retrogreſſum.

Aſſertio ſecunda. Naturales effectus, qui in mundo ſublunari eveniunt, ut pluviam, ſerenitatem, tempeſtates, terremotus, morbos, &c. non certo, ſed probabiliter tantum poſſunt pędicere: nam ut certo, & infallibiliter eos effectus poſſent pronũtiare, deberent habere exploratas omnes cauſas proximas, à

quibus

quibus poſſunt promoveri, aut impediri tales effectus, & cœli influxus, quos illi non habent, nec habere poſſunt naturaliter: quoties enim præcantatam ab ipſis pluviam inopinatus quidam,& ipſis improviſus ventus impedijt! Minus iã poſſunt certo cognoſcere cuiuſq. hominis temperamentum, & innatam propenſionem, ſed tantum per coniecturas, & quaſi per nebulam. Quando vero alicuius hominis mores, fortunam, evẽtus, actioneſque prænuntiant, aut ea venditant, quæ ex humana voluntate,& libero arbitrio dependẽt, aut cum eo undequaque concernunt, hic iam Aſtrologi aſtrorum, & eorũ influxus, imo non raro, verecundię fines tranſiliunt: esto enim ſydera influãt in appetitum ſenſitivum, & alias corporeas hominis potentias, voluntas tamen non neceſſario ſequitur appetitum & influxum cœleſtem, ſed ipſius eſt domina, iuxta illud Gen.4. *Sub te erit appetitus tuus,& tu dominaberis illius.* Esto etiam demus Aſtrologis ex certa aſtrorum conſpiratione alicui homini exitiũ minitante, poſſe conijcere talem hominem ſub tali conſtellatione natũ neceſſario interiturum morte naturali certo aliquo die, ſive eius vitam ultra tale tempus non progreſſuram; quatenus videlicet vires, & induſtria humana reſiſtere non poterunt, adeò cõtrarijs aſtrorum influxibus in humores illius; quæ tamen omnia ſunt dubia, & ancipiti eventui obnoxia: tamen unde ipſi ſciunt hominem ad illud uſque tempus perventurum,& non ante moriturum, ex aliquo de tam varijs humanæ vitæ caſibus? Qua ergo ſecuritate dicere poſſunt hominem certo interiturum tali die?

Quapropter Sixtus Pius motu proprio iudiciariæ Aſtrologiæ uſum interdixit, præterquam circa agriculturam, navigatio-nem,& rem medicam, tanquam grave præiudicium inferentem libero arbitrio. Atque ita ſentiunt Theologi cum divo Thoma 2.2.quæſt.95.art.5. Qui autẽ hanc contra Genetriacos,& Planetarios cauſam prorſus cupit videre peroratam, legat Patrem Alexandrum de Angelis peculiari,& iuſto volumine contra Aſtrologos, PatrẽCaſtro ſuper Prophetas minores in diſputatione preambula ut omittam alios.

LIBER TERTIVS, ET QVARTVS ARISTOTELIS.

Liber tertius octo capitibus continetur. In primo refellit veterum Philoſophorum de ortu, & interitu rerum ſentẽtias: ubi etiam oſtendit, punctũ non eſſe grave, nec leve, quia nõ eſt diviſibile; nec dẽſum, rarum, durum, aut molle, quia partibus caret.

In ſecundo docet, cuilibet elemento motum aliquem naturalem competere: cum enim in ſuo loco naturali quieſcat elementũ, ad illud debet naturali-

ter tendere. Similiter docet ea quę moventur motu ſurſum, vel deorſum, habere gravitatē, vel levitatem.

In tertio definit elementum: Id in quod cætera corpora reſolvuntur, ipſum vero nō poteſt in plura corpora ſpecie dividi. Ex quo deducit exſiſtere elementa, quia in ea multa corpora reſolvuntur.

In quarto reijcit veterum ſententias de infinitate elementorum, & ſuadet elementa numero finito contineri, quia illorū differentiæ finitæ ſunt, nempe calidum, & ſiccum, humidum& frigidum.

In quinto demonſtrat non dari unum elementum, ſed plura, quia uni corpori ſimplici unus tantum cōpetit motus; ſed quædam elementa moventur motu ſurſum, & alia motu deorſum; ergo dantur plura elementa.

In ſexto docet, elementa generari poſſe & corrumpi, non ſecundum ſe tota, ſed per partes, & habere materiam communē, atque adeò ex ſe invicē mutuo generari.

In ſeptimo oſtēdit contra veteres, generari elemēta per trāſmutationem ſubſtantialē unius in aliud prævia alteratione.

In octavo & poſtremo demonſtrat, elemēta non vendicare ſibi ex ſua natura certam aliquam figuram, ſed potius accommodare ſe ad figurā corporis, quod tangit.

Sex capita quartum librum exhauriunt. In primo docet, grave illud eſſe, quod ſua natura expoſcit medium univerſi, leve vero quod à medio recedit, & ſuperiorem efflagitat locum.

In ſecundo evellit varias veterum opiniones circa grave & leve.

In tertio probat, gravia & levia moveri à generante in ſua loca naturalia; quod qua ratione intelligendum ſit, eſt dictum in Phyſicis.

In quarto ait, elementū aliud eſſe grave & leve ſimpliciter, aliud vero ſecundum quid, & cōparatione alterius. Grave ſimpliciter eſt, quod omnibus ſubſternitur, ut terra. Leve ſimpliciter, quod omnibus eminet, ut ignis. Elementa vero media ſunt aqua & aër.

In quinto quod in quarto capite dixerat, iterum repetit.

Demum in ſexto capite concludit, cauſam motus ſurſum, & deorſum in elementis non eſſe eorum figuras, ut nonnulli veteres arbitrati ſunt, quia figuræ per ſe ſolas motum efficere non valent, tametſi ad maiorem velocitatem, vel tarditatem iuvare queant.

✳

DIS-

DISPVTATIO VLTIMA, De elementis.

NON diſſeram in præſenti diſputatione de elementis ut ſunt corpora generabilia, & corruptibilia, & prout per ſuas primas qualitates in mixtis ſunt generationis & corruptionis principia; hoc enim pacto conſideratur cum Philoſopho ſecundo libro de Generatione. Hic agam de elementis ut ſunt partes univerſi eſſentiales, & ut in eo participant motum localem, & determinatum ſitum media gravitate, & levitate.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex ſit elementum.

CIrca primũ, Elemẽtum (ut alias ſileam ſignificationes) à Philoſophis accipitur pro eo corpore in quod mixta ultimo reſolvũtur. Vnde Ariſtot. 3. lib. de Cœlo c. 3. illud definit ſic. *Id in quod cætera corpora reſolvuntur, in quibus actu vel potentia ineſt, ipſum vero in ſpecie diverſa indiviſibile eſt.* Vox *id*, ſignificat corpus utique ſubſtantiale completum, quo excluduntur materia & forma, quæ quia non ſunt corpora, non ſunt elementa, tametſi ſint partes, in quas corpora reſolvuntur. Addit *in quibus actu vel potentia ineſt*, quia hic nõdum examinat, utrum elementa in mixto actu vel potentia reperiantur, ideoque loquitur ſub diſiunctione. Rem decidit 2. de Generatione, elementa ſcilicet eſſe in mixto virtute, vel in potentia; reliqua *ipſum vero in ſpecie diverſa, &c.* appoſuit, quia licet elementum dividi poſsit in partes integrantes, tum eſſentiales, nempe materiã & formã, tamen cũ ſit corpus ſimplex, nequit in alia corpora ſpecie diverſa reſolvi. Brevius & clarius definitur elementum: *Corpus ſimplex, in quod alia corpora reſolvuntur.* Ex quibus liquet dari elemẽtum in rerum natura, quia mixtum quando corrũpitur, vel reſolvitur in terram, aut aquam, vel in ignem, aut aërem.

Circa ſecundum dicẽdum eſt, elementa eſſe quatuor, nempe ignem, aërem, aquam, & terram. Probat Ariſtoteles, quia corpus ſimplex in quod reſolvitur mixtum, vel eſt grave, vel leve; ſi grave, aut ſimpliciter & eſt terra, aut ſecundũ quid, & eſt aqua; ſi leve, aut ſimpliciter, & eſt ignis, aut ſecundum quid, & eſt aër. Suadet etiam cap. 2. & 3. ex combinationibus qualitatum: quia qualitas prima elementi non poteſt permiſceri cum alia contraria ſibi; hæc enim non eſt diſpoſitio elementi, ſed mixtis; ergo tantum poteſt coniungi cũ altera qualitate ex duabus alterius contrarietatis, verbi gratia, calor coniunctus ſiccitati conſtituit diſpoſitionem ignis, ſicut calor cum humiditate cõſtituit diſpoſitionem aeris, eodem mo- *Ita communiter Philoſophi cũ Ariſtotele c. 4. lib. 1. de cœlo, & 2. de generatione c. 2. & 3.*

do frigiditas coniuncta humiditati eſt diſpoſitio aquæ, admixta vero ſiccitati diſpoſitio terræ; præter has vero combinationes tantum ſuperſunt aliæ duæ, ex calore ſcilicet, & frigore, ex humiditate, & ſiccitate, quæ iam non ſunt diſpoſitiones elementorum; ergo quatuor tãtum ſunt cõbinationes utiles, atque adeo quatuor elementa.

Rogas, an detur ſphæra ignis ſupra aerem. Negant Pythagorici, ut refert Ariſtoteles 2. de

Ita docet ſæpe Ariſtot. 2. de cælo textu 28. & lib. 4. textu 23. 25. 36. & 39 & 1. Meteororũ cap. 2.

cœlo cap. 23. communis tamen ſententia ſupra aerẽ ponit ſphæram elementi ignis concavo lunæ contiguam. Ratio eſt, quia perfecta diſpoſitio univerſi poſtulat ut quodlibet elementum ſedem obtineat ſibi debitam à natura, niſi aliud neceſſariũ ſit ad connaturalem conſervationem mixtorum, ut de terra & aqua dicemus; locus autem immediatus Lunæ eſt naturalis igni, & non alteri elemento; ignis enim eſt leviſsimus omnium, ideoque petit ſupremum locum inter elementa, ſicut terra, quia graviſsima, infimum. Vnde quãdo Ariſtoteles 1. Metaphyſicæ cap. 4. ita habet: *Supra terram, & aquam eſt aër, & quod propter conſuetudinem vocamus ignem, & non eſt*, non vult non eſſe elemẽtum ignis ſupra aerem, cum hoc dicat mille in locis, ſed tantum illum ignem non eſſe in materia denſa ad igniendum apta: quia vox Græca cui Latina ignis reſpondet, ſignificat inferiorem quendam ignem, qui ob materiæ denſitatem vehementer ignit, & urit, qualis non eſt ille ſuperior, qui eſt in materia rariſsima, & ob id ſenſu, vel viſu non percipitur, ideoque etiam non lucet, quia eſt valde rarus; nec ponitur talis ignis, ut in eo vivat aliquod animal, ſed ad perfectionem univerſi, & ut foveat calorem aeris contra frigiditatem terræ, & aquæ; neque etiam abſumit aerem contiguum, quia eſt maxime rarus.

Sed dices, ignis nõ habet ſummam levitatem, ut claret in prunis accenſis; ergo non depoſcit locum ſupra omnia elementa. Reſponde, in prunis & ferro candenti non eſſe ſubſtantiam ignis in tota illa materia, ſed tantũ in eius poris & partibus rariſsimis; in alijs vero denſis eſt alia forma carbonis, vel ferri, quæ habẽt illam gravitatem, quam ſentimus.

DVBIVM II.

De elementorum gravitate, & levitate.

Ratio Ariſtotelis de quaternario elementorum numero ſuperiori dubio memorata expoſcit, ut nonnihil dicamus de ipſorum gravitate & levitate. Convenit ergo gravitas terræ, & aquæ, levitas igni & aeri, ita ut ignis ſit ſimpliciter levis, terra ſimpliciter gravis, alia duo comparatione iſtorum talia ſint. Ratio eſt, quia ſimpliciter grave eſt, quod omnibus ſubeſt, talis eſt terra: ſimpliciter leve, eſt quod omnibus elementis eminet, talis eſt ignis; ergo ex intermedijs elementis illud erit grave, quod alteri intermedio ſubeſt, & hęc eſt aqua quæ ſubeſt aeri: illud etiam erit leve, quod alteri intermedio emi-

eminet, & eſt aer. Ideoque Ariſtoteles qualitates iſtas non appellavit gravitatem, & levitatē ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & relative. Aer verbi gratia cōparatus igni, dici poteſt gravis: aqua vero collata terræ dici poteſt levis, non quia aer ſimpliciter deſcendat, aqua vero ſimpliciter aſcendat; ſed aer comparatione ignis, aqua comparatione terræ. Adde, aerem abſolute dici levem, quia per plura aſcendit quam deſcendit ut ad ſuum perveniat locum; aqua vero abſolute gravis, quia deſcēdit per plura elementa quàm aſcendat; at proprium eſt gravium deſcendere, & levium aſcendere. Nota vero dupliciter dici poſſe aliquid ſumme grave. Primo, quia ſuo pondere omnibus ſubeſt. Secundo, quia nihil habet levitatis. Primo modo ſola terra eſt ſumme gravis. Secundo autem modo aqua etiā dici poteſt ſumme gravis, quatenus ſcilicet nihil levitatis habet. Similiter accipi poteſt ſumme leve comparatione ignis & aeris.

Sed quæres, an gravitas aquæ differat ſpecie à gravitate terræ, & levitas aeris ab ignis levitate. Reſpōdeo cum communi, eſſe ſpecie diverſas. Ratio à priori eſt, quia ſunt qualitates naturaliter determinatæ, & ordinatæ ad conſervanda & deferenda corpora in loca diverſa; gravitas enim terræ eam inclinat in locum infimum mundi, gravitas aquæ eam conſtituit ſupra terram. Oriūtur etiam ex diverſa coniunctione primarum qualitatum; in aqua verbi gratia ex humiditate, & frigiditate, in terra vero ex ſiccitate, & frigore. Firmatur, gravitas terræ differt ſpecie à levitate ignis; ergo etiā à gravitate aquæ. Probo conſequentiam, quia ideo motus ignis ſurſum differt ſpecie accidētali à motu terræ deorſum, & ſimiliter levitas ignis à gravitate terræ, quia tendunt in diverſa loca naturalia; ſed idem convenit gravitati terræ, & aquæ; ergo differunt ſpecie; & ſimiliter motus deorſum terræ ſpecie differt à motu deorſum aquæ.

Ex dictis deducitur iam, ſitus, quem naturaliter poſtulant elementa, & quem naturaliter habēt, ignis cōnaturaliter habet eſſe ſupra aerem, aer ſupra aquā, aqua ſupra terram: nam ut ait Ariſtoteles hic, leve eſt quod à medio aſcendit ad ſuperum, grave vero quod deſcendit ad medium. Atque ita fuerūt ante tertium creationis mundi diem; quo die, ut commodam pararet animalibus habitationem, dixit Deus ut habemus Geneſis primo. *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in unum locum, & appareat arida.* Vnde de facto aqua & terra unũ globum efficiunt. Quod patet primo ex eclipſi Lunæ, quæ fit ex terra inter Solem & Lunam interiecta per ſuam umbram; at videmus tūc eclipſim dare umbram tantum unius globi, non vero duorum; ergo terra & mare, cuius aggregati eſt illa umbra, non duo, ſed unus ſunt globus. Secundo. In quavis orbis parte terra, & aqua per eandem lineam aeris deſcendunt, ut docet experientia; ergo petunt idē centrum, eundemque globum conſtituūt. Tertio. Inſulæ aquis eminent, immo aliquando aquis innatant, & mutare locum ſunt viſæ, ergo inſulæ & terra unum cum aqua globum efficiunt. Idē col-

colligitur ex pſalmo 135. *Qui firmavit terram ſuper aquas, &c.* Dices, ergo terra & aqua ſunt violenter. Reſpondeo negando ſequelam, nam neque tota terra eſt ſupra totam aquam, nec tota aqua infra terram. Etenim in puteis aqua inferior, & terra ſuperior violéter non ſunt, eo quod aqua non habeat ſupra ſe terrá, ſed aerem: terra item non innitatur aquę, ſed terræ, ſicut etiam montes ſuperiores aere in convallibus exſiſtére non ſunt violenter, quia non nituntur aeri, ſed terræ. Adde quod Auguſtinus dixit libro 26. contra Fauſtũ cap. 3. *Id cuique rei eſt naturale, quod ipſe fecerit à quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Quod videtur intelligédum, dum poſitive nihil fiat repugnans naturali inclinationi, ſicut nunc non fit.

Quæres in fine dubij, an elementa in ſuis locis gravitent, & levitent. Habere gravitatem & levitatem in actu primo compertum eſt, nam illam non amittũt: quare difficultas ſolum eſt, an in ſuis locis gravitate nitantur deorſum, levitate ſurſum quaſi actu ſecundo. Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia terra, verbi gratia, non habet quo ultra deſcendat, nec ignis quo ultra aſcendat: quod idem de aëre & aqua iuxta ipſorum gravitatem & levitatem eſt etiam verum. De omnibus confirmatur, quia elementorũ qualitates motivæ habét in locis naturalibus finem ſui motus; ergo elementa in locis naturalibus quieſcunt; ergo non conantur moveri à loco naturali. Idem confirmatur experiétia natantium ſub aqua, qui nullum fere ſupra ſe pódus ſentiunt gravitátis aquæ deorſum: ſecus autem non poſſet ita facile tantam aquarum molem ſuſtinere. Ille vero qui tergo ſuſtinet fornicem, non ſentit eius gravitatem, quia fornix illam exonerat parti terræ, aqua ſuſtinetur, eique ſuum impulſum imprimit: ſimiliter uter aëre plenus gravior eſt, quam vacuus, quia aer ille non eſt purum elementum, ſed nimis denſum, & plenumque terrenis corpuſculis, quæ ad Solis radios cernuntur, tum etiam vaporibus. Vnde Themiſtius & Niphus aiunt, expertos ſe eſſe, utrem plenum aere, ubi is purus ac ſimplex eſt, non adquirere novam gravitatem.

DVBIVM III.

Quam elementa obtineant figuram.

Dicendum cum Ariſtotele in præſenti, elementa omnia figuram obtinere rotundam infra ſuperficiem convexam ſphæræ ignis attingentis concavum Lunæ. Et primo globum compoſitum ex terra & aqua eſſe rotundum, probatur, tum quia euntibus ab occaſu ad ortum, eo citius Sol oritur & occidit, quo magis Orientem verſus progrediuntur; euntibus etiam ab Auſtro ad Aquilonem, continue magis elevatur polus Articus, & ſtellæ novæ apparét, & occultantur aliæ: quod neceſſario ex terræ rotunditate provenit; ſi enim eſſet plana, aſtrũ in puncto orientis poſitum omnibus æqualiter & ſimul orietur. Patet etiá ex doctrina Cleomedis lib. 1. circularis inſpectio-

ctionis, imo ex experientia ipſa. Cũ mare, inquit, navigamus, in quo loco terra non ſpectatur circum circa in orizonte nobis cœlum imaginamur aquam con tingere, at cum eo pervenerimus, rurſus ſpectatur cœlum ſuperne incubare; procedendoque quovis navigio id contingit. Proinde ſi navigijs, vel ambulando terra circumeatur, nulla pars erit ubi cœlum non ſuperne incubet. Hincque Cleomedes probat cœlum eſſe rotundum; ſed probatur ſimiliter terrarum & aquarum congeſtam molem ſphæricam habere figuram. Ratio autem cur non in mari ſolũ, ſed etiam in terra, cœlum terrę coniungi in ambitu orizontis videatur, ea eſt, quia ſcilicet ſpatium illud intermedium inter orizontem & cœlum non attingitur à viſu; tum quia non terminatum, ſed ſolo aere inani ſeptum; tum etiam propter con vexitatem terræ, & cavitatem cœli. Quapropter cum viſus noſter ſoleat longiores diſtantias ex interiectis corporibus diſcernere, fit ut cœlum terræ coniungi viſus arbitretur, ſicut contingit etiam procul diſtantibus ab aliquo amne qui res ulteriores cum citerioribus coniunctas arbitrantur, quia ſcilicet nullum corpus intermedium vidẽt, nam propter alvei profunditatem ſuperficies aquæ interpoſitæ non videntur, ideoque utraque ripa continuari apparet. Hinc fit etiã ut Sol Occidens mergi ſub undas maris à pueris, rudibuſque credatur, uti cũ oritur ex aquis prodire, ob eandem ſcilicet aſpectus fallaciam. Verum eſt terrã non eſſe perfecte rotundam mathematice, nam ut patet, aliç partes declives ſunt, aliæ eminentiores. At vero tota illa terræ aut maris portio, quam è montis cacumine intuemur, plana ſecundum faciem iudicatur, neque ullus flexus, vel curvatura diſcernitur, quia ſcilicet cõpoſitione totius terræ, & aquæ parũ momenti habet. Aer item & ignis ſimul ſumpti figuram habẽt rotundam in convexa & concava ſuperficie, replent enim ſpatium inter cœlum & terrã, quod eſt rotundum, at convexa ſuperficies aeris, & concava ignis nõ ſunt perfecte rotundæ, ſed figura ovali, quia ut bene Clavius ad cap. 1. ſphæræ media aeris regio iuxta polos mundi latior, dẽ tiorque eſt propter frigoris rigorem, & caloris debilitatem, quod provenit ex diſtantia ſolis. At vero ſub Torrida Zona, eſt ſtrictior & rarior ob caloris abundantiam cauſatam à pręſentia ſolis: contra infima & ſupre ma regio ſub ęquinoctiali latiores, ſub polis vero anguſtiores ſunt.

DVB. VLTIMVM.

De terra, centro mundi elementalis nonnulla.

DE hoc quatuor pertractamus. Primum, an terra ſita ſit in centro mundi. Secundum, an & quatenus terra ſit quaſi punctum reſpectu cœli. Tertium, de centro magnitudinis, & gravitatis ipſius terræ. Quartum, an terra ſit elevatior, & eminentior mari.

Ad primum notandũ, in quovis corpore duplex eſſe cẽtrum,

unum magnitudinis, alterum gravitatis. Centrum ergo magnitudinis univerſi eſt punctum æque diſtans ex omni parte ab ultima ſuperficie orbis ſupremi. Centrum autem gravitatis eſt indiviſibile illud, à quo ſi ducantur lineæ ad totam circumferentiam corporis gravis per lineam rectam, manet æque pondus ex omni parte: quæ duo centra in idem punctum coincidant neceſſe eſt in globo qui eſt omni ex parte æqualiter gravi; at in globo inæqualiter gravi, ut ſi ex parte lignea, & altera plumbea conſtaret, certum eſt diverſa fore illa duo centra. Quo poſito

Ita Philoſophi cum Ariſtotele.

Dicendum, terram vi naturæ ſuæ gravitatis efflagitare ſibi in locum utrumque illud cētrum, & medium mundi. Ratio à priori ſumitur ex ipſa terræ gravitate fluente ab eius natura; gravitas autem eſt qualitas activa motus deorſum, & quietis in loco infimo; locus autem infimus eſt mundi mediū undique æque diſtans à cœlo, ergo terra ex vi ſuæ gravitatis in centro mundi eſt, & eſſet violenta in quovis alio loco, ſi eſſet alicui parti cœli propinquior quam alteri, aſcē deret enim, atque ita docet experientia omnia corpora gravia naturaliter deſcendere à quovis loco ſuperiori ad medium mundi, & in terram undique concurrere; ergo terra eſt in mundi medio, grave enim, ut dixit Ariſtoteles, eſt quod tendit ad mediū. Firmatur, quia terrea pondera non feruntur in centrum ſecundū lineas parallelas, ſed quo lōgius deſcendunt, eo ſibi magis appropiant. Vnde ſi puteus ad perpendiculum extrueretur uſque ad centrum, tamen parietes paulatim in anguſtum adducerē tur, & in cētro ſe quaſi piramidis cuſpide contingerent. Item ſi turris tantæ altitudinis, quanta eſt terræ profunditas ad perpendiculum extrueretur, eius faſtigiū duplo eſſet amplius quam fundamentorū ambitus, ut demonſtrat P. Clavius in ſphæra. Atque hinc oritur ut non indigeat terra alio corpore ſuſtentante, ut in medio mūdi ſit, quā nativa gravitate undique in cētrum recurrēte, iuxta illud pſal mi 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Et Iob 26. *Qui appendit terram ſuper nihilum.* In eadem etiam fundatur firmitas terræ: ut merito reiici debeat opinio illa quæ aſſerit, ex leviſſimo impulſu ictę palleæ titubare terram extractam videlicet à centro ſuę gravitatis: cum enim in ea tot, tantique motus, & impulſus fiant, neque pelvia terræ inſidens tinnit, neque aqua, qua eſt plena, effunditur, aut tremit: quod ſolet contingere in terræ motibus ex eruptionibus aeris vel ignis.

Ex hoc reſolvi poteſt tertiū, quod propoſuimus. Neceſſario enim ſequitur, idem eſſe centrū magnitudinis mundi, & gravitatis terræ. Ratio, quia ſumme gravia ad infimum locum propē dent non impedita, at terra ſumme gravis eſt, nec impeditur, ergo centrum gravitatis terrę erit illud pūctum quod eſt infimum in univerſo, ut diximus; atqui hoc punctum eſt centrum mundi; ergo idem eſt centrum gravitatis terræ, & magnitudinis mundi.

Ex eodem etiam conſequenter dicendum eſt, proportione quadam idem eſſe centrum magni-

gnitudinis & gravitatis terræ, & totius univerſi, licet non in rigore mathematico. Hæc ſecunda pars oſtenditur: nam cum terra non ſit perfecte rotunda, ſed habeat partes profundiores, ut cavernas, & valles, alias eminētiores, ut montes, non datur in rigore mathematico pūctum in terra, quod ſit centrum magnitudinis ipſius, nam non poſſunt ex uno puncto terræ duci lineæ æquales ad totam extrinſecam ipſius ſuperficiem, quia tamen illę partes altiores & depreſsiores reſpectu toti⁹ terræ ſunt per exiguæ magnitudinis, & nullius fere conſiderationis, ideo iure illi tribuitur etiam à mathematicis centrum magnitudinis, quod etiam ſit centrum gravitatis mundi. Ratio eſt, quia illis non obſtantibus, facta tamen cōparatione cum toto terrę globo, magnitudo ipſius terræ cenſetur efficere globum æqualiter gravem; ſed in globo æqualiter grave, idem eſt centrum magnitudinis, & parvitatis; ergo terra abſolute idem habet cētrum ſuę magnitudinis, & gravitatis; ſed centrum gravitatis terræ eſt idē cum centro mundi, ut dixi; ergo &c. Vnde licet mare cooperiat magnam terræ partem, & aqua ſit multo levior terra, adeoque ex ea parte globus ex terra & aqua multo levior videatur, tamē ſi recte conſideretur unum alio bene compenſatur ac libratur: nam licet longitudo, & latitudo maris reſpectu terræ ſit notabilis, profunditas vero eius eſt valde exigua, ut obſervant nautæ, & indicant inſulæ; arena etiam ſub mari exſiſtens multo gravior eſt alijs terræ partibus diſcoopertis, & ardoribus ſolis aduſtis.

Quantum ad tertium dicendum, terram non abſolute in ſe ipſa, ſed comparatam ad ſolem, alioſque cœleſtes orbes ſuperiores eſſe inſtar puncti quoad noſtrum aſpectum, hoc eſt habere magnitudinem pene inſenſibilem; habere itaque rationem pūcti, non phyſici, ſed mathematici in ordine ad menſuras mathematicas; ſicut enim ait Cleomedes 1. circularis inſpectionis, Amphorarū centū millia, per ſe inſpecta, magnitudinem ingentem habent, in maris autem cōparatione nullam; ita terra comparatione ſolis. Et ratio eſt, quia ſtellæ firmamenti videntur nobis inſtar puncti: conſtat autem ex mathematicorum demonſtratione minimam ſtellarum, quæ cernitur, eſſe longe maiorem tota terra, & aqua; ergo à fortiori terra reſpectu totius firmamenti erit inſtar puncti: unde recte Cleomedes ſupra pedalem nobis ſol ſuggerit magnitudinē. Intelligere igitur nobis par eſt, ſi à ſolari faſtigatio in terrā oculos deiecerimus, aut prorſus nihil nos viſuros, aut ſtellæ per exiguę magnitudinem. Idem cōfirmat quod in diverſis terrę plagis eodem tempore obſervatur à diverſis aſtronomis eadem magnitudo & diſtantia unius ſtellæ ab alijs; ex quavis etiam terræ parte videntur ſex ſigna firmamenti, & dimidiā ipſius partem: quod certe ſignum eſt totam profunditatem terræ à centro ad ſuperficiem, totamque eius ſuperficiei latitudinem pro nihilo reputari. Adde reſpectu Mercurij, Veneris, & Lunæ, iam terram pręferre notabilem magnitudinem. Vnde docent Aſtrologi, ſi quis in orbe Lunæ poſitus

tus terram proſpiceret futurũ, ut ei terra ter, vel paulo ampliꝰ, maior appareret, quam nunc Luna nobis apparet. Sed quæris, ſi terra ſolis reſpectu, quaſi punctũ eſt, quomodo ipſiꝰ alis gelu horrent, alia æſtu torrentur, alia têperie gaudent? quomodo etiam Sol nunc ad nos accedere, nunc recedere dicitur? Reſpondeo, horum rationem eſſe terræ figurã: unde ex diverſa circulatione ſolarium radiorum ad terræ climata illæ differentiæ exſiſtunt. Vide Plinium 2. naturalis hiſtoriæ cap. 68. & Seneca in exordio naturalium quæſtionum homines irridentes, quod de hoc terræ puncto ita inter ſe digladientur.

Ita Clavius in c. 1. ſphæra. Conimb. 2. de cælo c. 14. q. 4. ar. 2 Molina 1. p. tract. de ope re 6. dierum diſp. 11.

Circa ultimum, nempe an terra ſit altior mari, dicendum eſt, terram diſcoopertam eſſe ſuperiorem mari. Probatur primo ex Scriptura pſalmo 23. *Super maria fundavit eum*, id eſt, orbem terrarum. Pſalm. 106. *Qui deſcendunt mare in navibus*; ergo terra elevatior eſt, mare demiſsius. Secũdo à poſteriori & experientia, navigia enim ex alto ad littus appellentia non minore indigent remigum, vel aëris impulſu ut moveantur, quam dum ſolvunt, quod non eſſet ſi mare altius eſſet, tunc enim naturali pondere in portum deſcenderent: eſſet etiam ualde difficile, & multo laborioſius navim mercibus honuſtam, aut armis, è portu in altum deferre contra impetũ ſuæ gravitatis. Tertio, quia navigantes quãdo ad littus accedũt, primo cacumina montium cernũt, deinde medias partes, poſtremo infimas: quod non ita eveniret, ſi mare eſſet altius terra, nam è faſtigio illo tumoris quem mare ſupra terram efficeret, videri poſſent ſtatim omnia quę in littore ſunt; ſicut perveniens ad montis cacumẽ ſimul conſpicit omnia, quæ in ſubiecta planitie ſunt. Vltimo idẽ patet ex motu fluminum ad mare, qui motus deſcenſus eſt pro aquę natura: ſi vero mare eſſet altius, fluminum motus eſſet aſcenſus, unde non poſſent illa ſupra terræ ſuperficiem ad mare prolabi.

Dices, ſicut flumina exeunt de mari, licet per te terra ſit altior, poſſunt à terra in mare deſcendere. Reſpondeo eſſe rationẽ diverſam, nam tertia die creationis mundi quando Deus congregavit aquas in unum locum, conſtruxiſſe intra terræ viscera cavitates magnas, quę ab aliquibus abyſſus dicitur, aut baratrũ, per quas terra aquarum ſcaturigines impertit, non ſecus ac venę ſanguinem in humano corpore: id quod inde patet quod ubicunque fodiantur putei aqua reperitur. Vide P. Cornelium à Lapide ad cap. 1. Geneſis.

Exſiſtimant autem navigantes ad oram maritimam ſe altiores eſſe terra, propter ſenſus fallaciam: cuius erroris cauſa eſſe videtur, quia terræ color obſcurus eã facit apparere depreſsiorem, ut conſtat in picturis, in quibus atro colore infecta profundiora apparẽt. Poteſt etiam eius cauſa eſſe obliquitas, vel cõvexitas ſuperficiei maris, & terræ, ut mox dicemus. Neque obſtat item quod qui mare intrant in altum provehi dicantur, ipſiſque maris convexitas ad modũ gibbi protuberare videatur; id enim tantum probat ulteriores partes eſſe eminentiores prioribus, quod partim ex viſus falla-

cia,

cia, partim ex rei veritate ortũ habet. Primo ut demonſtrat Aquilonius obs. lib. 4. prop. 39. etiam planorũ ſub oculo iacentium partes, quæ ſunt à viſu remotiores, in altum efferri videntur propter viſus phantaſiã quãto magis id erit in globo. Atque inde eſt, ut templorum pavimenta ingredientibus altiora videantur; & orizon è ditiori loco ſpectetur, quam revera ſit. Iodidem ergo qui mare navigant ſcandere ſeſe perpetuo arbitrantur; quia licet omnes maris partes infra oculum reipſa ſint, & in eius ſummo ad perpendiculum ſpectator adſiſtat; tamen partes quo ſunt à viſu remotiores, eo ſemper in altum aſſurgere videntur. Idem per myricas, camposq. iter habentibus evenit, ſive enim eant, ſive revertãtur, ſemper conſcendere ſe putant; & membrorum defatigationem, quam ex ipſa ambulatione ſentiũt, locorum poſitioni adſcribunt. Adde ea etiam in re ipſa habere fundamentum, talis enim eſt natura corporis figura ſphærici, & globoſi, ut partes unæ continua quadam acclivitate alijs ſupereminẽat, atque adeo ſive eatur, ſive redeatur, perpetuo aſcendantur partes, nec unquam ultimum faſtigium attingatur reſpectu habito ad partem loci, quę relinquitur, ut in exemplis de maris, & camporum itinere ie ipſa contingit.

TRACTATVS
SECVNDVS,

De Ortu, & Interitu, ſive de Generatione, & Corruptione.

PROOEMIVM.

SECVNDVM aggredior tractatum, Ortus, Interituſque dilucidationem complectens: non etenim ſatis, ſuperque fuit communia cuivis naturali corpori meditari, materiam videlicet, formamque, quibus coagmẽtantur; non cauſas quibus aguntur, aluntur que rimari; non motus, temporiſque, locique ſeriẽ, quo vegetant, quo agunt, quo movent, moventurque receſſere. Hęc tradita ſunt in Phyſico auditu. Nec fuit opus conſiſtere in ſuavi cœlorum ſpeculatione; non ſemper ſyderum, planetarumque veſtigis obſervare; non accurate Aſtrorum nomerum, lucemque cum ſuis proprietatibus inſpicere; non tamdiu influxum in hęc inferiora rimari. Hæc in proxime de cœlo commentarijs

tarijs hauſta. Sed opus fuit aliquando corpora compoſita indagare, qui oriantur, qui intereant, qui moveantur, qui moveant, qui alterantur, qui alterent, qui rareſcant, qui denſentur, qui agant, qui reagant, qui patiantur, qui repatiantur, qui creſcāt, qui decreſcant, qui nutriantur, qui miſceantur, aliaque ſexcenta, quæ hiſce annexa paſsim offendemus. Hæc in hoc duplici ortus, interituſque libro tractanda, omiſit Philoſophus; in eorundem enodatione noſtra in præſenti deſudabit induſtria, eodem tenore ſervato.

SVBIECTVM.

Obiectum huius Tractatus corpus generabile & corruptibile. Etenim ſubiectum totius Philoſophię naturalis in communi non eſt motus, nec mutatio, ſed corpus ſubſtantiale ut dictum; ergo ſimiliter obiectum horum librorum non proprie erit generatio, & corruptio, nec minus alia mutatio rei corruptibilis propria, ſed corpus ipſum generabile, & corruptibile in communi: quæ enim eſt proportio partium Philoſophiæ ad totam Philoſophiam, eſt etiam ſubiecti partialis ad totale ſubiectum, maxime cū ad ſubiectum à nobis indicatū reduci omnia poſsint, quę in his libris tractantur de generatione, alteratione, &c. Tantum adde, ſubiectum eſſe corpus generabile, & corruptibile, tam ſimplex, quam mixtum.

INSCRIPTIO.

Inſcribitur hoc opus de generatione & corruptione, quia generatio eſt præcipua earum mutationū de quibus eſt hic ſermo, & à qua denominatur ſubiectū horum librorū corpus generabile: ſicut etiam lib. Phyſicorum, quorum eſt ſubiectum corpus ſubſtātiale inſcribuntur à quibuſdam de motu. Sed ais, cur ergo in hac Philoſophiæ parte nihil agit Ariſtoteles de corporibus vivētibus, quæ etiam ſunt corruptibilia? ſane enim ſi corpus corruptibile eſt ſubiectum huius partis, ipſius erit agere de illis corporibus. Reſpondeo, viventia corpora dupliciter poſſe ſpectari. Primo ut participant rationem entis generabilis, & corruptibilis reduplicative: Secundo ut ſunt animata. Primo modo ad hāc partem Philoſophię pertinent ſub ratione corporis ſubſtantialis corruptibilis in communi. Secundo autem modo ſpectant ad libros de Anima.

DISTRIBVTIO.

In ſeptem pręſentem tractatum findam diſputationes. In prima, agam de generationis & corruptionis eſſentia. In ſecunda, de nutritione, augmentatione, & accretione. In tertia, de alteratione, intenſione, & remiſsione qualitatū. In quarta, de rarefactione, & condenſatione. In quinta, de proportione inter agens & patiens. In ſexta, de qualitatibus primis, & elementorum generatione. In ſeptima, de generatione mixtorū ex mixtione elemētorum.

LIBER

LIBER PRIMVS, de Ortu, & Interitu.

CAPVT PRIMVM.

Referuntur variæ ſententiæ de rerum ortu, & interitu.

V*Eterum*, *&c.* Promiſit ſe acturum de varijs rebus in his diſputationibus, & primo ſuadet inſtituendam eſſe diſputationem de generatione, & corruptione, de earum cauſa, & accreatione, & commutatione. Notavit autem bene S. Thomas, Philoſophum dixiſſe ſe acturum de ortu, & interitu naturali, quaſi tacite oſtendat mutationes artificiales ad hanc diſputationem minime pertinere. Ante propriam ſententiam, veterum Philoſophorum proponit ſententiam.

Quia, &c. Adducit ſententiam veterum, dicentium motum, & commutationem non diſcrepare inter ſe: quam Ariſtoteles deducit ex eo quod illi aiebant, unum tantum eſſe rerum omnium principium. Nam inquit Philoſophus, ſi unum tantum eſſet elemẽtum, revera eſſet materia rerum omnium, ita ut ex illa omnia generarentur, & cũ materia debeat ſemper remanere, fieret ut maneret ſemper idem ſubiectum ſenſibile; atqui mutatio, quę eſt in ſubiecto ſenſibili, eſt commutatio; ergo Philoſophi conſtituentes unum rerum omnium principium, debent neceſſario affirmare, ortum, & commutationem nullatenus diſtingui.

Qui autem, &c. Recenſet etiam ſententiam aliorum, autumantium plura dari principia, & cõſequenter inferebant generationem, & corruptionem diſtingui maxime. Et antequam refellat huiuſmodi ſententias, docet cõmutationem diſtingui à generatione: nam ex eo inquit agnoſcimus commutationem diſcriminari à loci mutatione, quia eadem res exſiſtens in eodem loco accreſcit, & decreſcit, atqui eadem etiam res manens in eodem loco poteſt accreſcere, & commutari ſine eo quod generetur, aut corrumpatur; ergo generatio, & commutatio differunt valde inter ſe. In fine capitis varijs rationibus Empedoclis, & aliorum ſententiam evellit.

CAPVT II.

Proſequitur idem.

H*Abet, &c.* Proſequitur Philoſophus eandem diſputationem ex eo, quia veteres nihil aut parum de ortu, & interitu, & de alijs ſpeciebus mutus diſputarunt. Monet autẽ difficile eſſe prælibare, num ortus, & interitus diſcrepẽt à congregatione, & diſgregatione.

Democritus, &c. Refert ſententiam

tiam Democriti, dicentis principia rei naturalis eſſe corpora quædam inveſtibilia: ad quod demonſtrandum ſumebat ut fundamentum, omnem magnitudinem findi poſſe in infinitas partes, quem modum refellit Ariſtoteles, quia falſa eſt talis ſententia; non enim valet magnitudo dividi actu in partes infinitas. Poſtremo docet contra Democritum, motum & interitum non fieri diſgregatione, & congregatione, nam in congregatione, & diſgregatione ſemper manet idē ſubiectum ſenſibile, quod tamē non contingit in ortu & interitu: monet tamen iuvari ortum & interitum à congregatione, & diſgregatione.

CAPVT III.

Proponit nōnullas circa ortum & interitū quæſtiones.

Si enim, &c. Prima quæſtio eſt, an detur generatio, & corruptio ſimplex. Generatio ſimpliciter illa dicitur, quæ ordinatur ad ſubſtantiam, quæ eſt ens ſimpliciter. Generatio vero ſecundum quid, vel ex parte eſt, quæ terminatur ad accidens quod eſt ens ſecundum quid. Suadet iam non dari generationem ſimpliciter: nam ſicut generatio ſecundum quid fit ex non ente ſecundum quid, ut homo albus fit ex non homine albo; ita generatio ſimpliciter fit ex non ente ſimpliciter; ergo generatio ſimpliciter fieret ex nihilo, quod cum falſum ſit dicendum erit non dari generationem ſimpliciter. Reſpondet tamen Ariſtoteles generationē fieri ex materia, quæ tametſi ſit ens incompletum, non tamen eſt nihil.

De his, &c. Secunda quæſtio eſt, num ortus & interitus perpetui ſint. Videtur enim interitum non poſſe in infinitum durare, cum ſit mutatio terminata ad non eſſe. Reſponde tamē cauſam huius eſſe mutuam viciſſitudinem inter ortum, & interitum, cuius viciſſitudinis cauſa eſt materia prima, quę eſſe abſque aliqua forma nequit, & duas ſimul habere non valet. Tertia quæſtio, cur veteres Philoſophi generationem unius formæ, exēpli cauſa, ignis nuncupabāt generationem ſimpliciter, & alterius, verbi gratia terræ, vocitabant generationem ſecundum quid: & inquit cauſam eſſe, quia veteres generationē formæ perfectioris volebant generationē ſimpliciter vocitare: generationem vero formæ imperfectioris nuncupabant generationem ſecundum quid: abſolute tamen loquendo cuiuſcunque formæ ſubſtantialis generatio ſimpliciter generatio dicenda eſt.

Cauſa, &c. Quarta quæſtio, cur ortus ſubſtantiæ ſit ſimpliciter, accidentis ſecundum quid: ait rationem eſſe, quia ſubſtantia eſt ens ſimpliciter, accidens vero ſecundum quid, ac proinde generatio ad ſubſtantiam terminata eſt ſimpliciter generatio, & terminata ad accidens ſecundum quid, vel ex parte.

Sed quæri poteſt, &c. Quinta quęſtio eſt, cū omnis motus ſit inter extrema contraria, dubitat quænam ſit huiuſmodi contrarietas,

rietas, & oſtẽdit eſſe poſitivam. Sexta quæſtio eſt, num in duobus contrarijs extremis inter quæ fit generatio, eadem materia prima reperiatur. Reſpondet reperiri eandem realiter, & diverſam ratione, & per intellectum.

CAPVT IIII.

De diſcrimine inter motum, & commutationem.

POnit Philoſophus diſcrimen inter motum ſimpliciter, & alterationem, quia in motu ſimpliciter fit mutatio nullo ſenſibili manẽte: verbi gratia, quando ex embrione fit homo, quidquid erat in embrione ita mutatur, ut non remaneat forma hominis. Nomine totius ſenſibilis intelligit totum naturale ex materia, & forma coagmentatum. Cõmutatio vero fit ex una qualitatę ad aliam manente eodem ſubiecto ſenſibili, ut videre eſt cum ex calido fit frigidum.

Ex his, &c. Obijcit itaque quando ex aqua generatur aër, non ſolum eadem materia prima remanet, ſed etiam eadem perſpicuitas, eadem raritas, & frigiditas, quæ ſunt accidentia ſenſibilia: falſa ergo eſt illa doctrina. Reſpondet autem, tametſi maneant eadem accidentia, non tamen idem compoſitum ſenſibile, de quo tamen infra. Statim varias mutationis ſpecies recenſet, & eas proprijs nominibus diſtinguit; mutationem enim ad maiorem quantitatem, accretionem vocat; ad ſubſtantiam, mutationem, vel generationem ſimpliciter; ad qualitaté alterationem, vel commutationem; mutationem vero ad locum, lationem vocat. Demum concludit, materiam primam eſſe harum omnium mutationum ſubiectum.

DISPVTATIO PRIMA,

De generationis, & corruptionis eſſentia.

SI evolvenda de more prius rei natura convertamus, in limine noſtræ mentis indaginem in generationis intima, intrinſecaque; ipſa namque nos quaſi manuducent, ad ſecretiora huiuſce actiones facillimo negotio rimanda. Omittam veteres, obliteratasque Priſcorum ſententias, veriorem propono.

DVBIVM I.

De exſiſtentia, & definitione generationis, & corruptionis.

TRipliciter uſurpari ſolet generationis appellatio. Primo latiſsime pro productione cuiuſvis rei de novo, etiã accidentis, quo pacto ea utitur Ariſtoteles 5. Phyſic. tex. 7. & 8. Hic tamẽ quaſi ſe explicans lib. 1. cap. 3. eam cum addito diminuente vocavit generationem ſecundum quid. Secundo ſtricte, & proprijſsime pro productione, aut origine viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ: qua acceptione ſola viventium productio, quæ actus eſt potentiæ generativæ, dicitur generatio, & ſola proprie nativitas appellatur: de qua proprius eſt ſermo in libris de Anima. Tertio non ita ſtricte, proprie tamen & quaſi medie, pro quavis nova productione ſubſtantiæ, quam hic vocat Ariſtoteles generationem ſimpliciter, quia ſcilicet per eam producitur ens ſimpliciter, quæ eſt ſubſtantia, (accidens enim nõ dicitur ſimpliciter ens, ſed alterius ens) ex non ente ſimpliciter, id eſt, ex materia prima, quam ſecluſa forma vocare ſolet Ariſtoteles non ens ſimpliciter. Atque in hac tertia acceptione ſumitur hic generatio, quæ cum eſt productio ſubſtantiæ, ſeu formę, totalis generatio dicitur, cum vero productio tantum ſubſtantiæ aut formæ partialis ad generatio, aut nutritio.

Circa primum dicendum generationem, & corruptionem exſiſtere in rerum natura. Patet ſatis ex his quæ diximus initio primi Phyſi. docetque quotidiana experientia, qua videmus innumeras rerum trãſmutationes, quę, ut ibi diximus, fieri nõ poſſunt niſi per corruptionẽ unius, & generationem alterius in eodem communi ſubiecto; oriuntur enim ex incõpoſsibilitate, quam una forma habet ad eſſendum ſimul cum altera in eadem materia. Et confirmatur breviter, quia entia ſublunaria innatum habent appetitum ſeſe perpetuandi, in quo Dei immortalitatem adumbrant: cum autem ſeſe eadem omnino conſervare non poſsint; ſunt enim natura ſua obnoxia corruptioni, id præſtant perenni individuorum ſucceſsione; id quod media generatione fit. Quare merito Ariſtoteles tribus primis capitibus huius primi libri refellit Anaxagoram, & alios veteres, qui nullã ſubſtantiam generabilem & corruptibilem agnoſcentes, docebant generationem non eſſe productionem novam alicuius rei, ſed ſolum exitum rerum latentium, corruptionem vero latentiam rerum apparentium.

Circa ſecundum, Ariſtoteles quinto Phyſico. tex. 7. definivit generationem ſubſtãtialem. *Mutatio de non ſubiecto in ſubiectum ſubſtantiale*, id eſt, à privatione ad formam: Corruptionem vero *Mutatio de ſubiecto in non ſubiectum.*

Hic vero lib. 1. tex. 4. definit generationem, *Mutationem totius in totum nullo ſenſibili manente*, id eſt, mutationem qua totum aliquod ſubſtãtiale in aliud etiam ſubſtantiale mutatur per amiſ-

ſionem

ſionem formæ prioris,& productionem,ſeu unionem poſterioris, nullo compoſito ſubſtātiali manente,cum deſtruatur primū compoſitum per corruptionem formæ.

Vt huiuſmodi definitio & aliæ,quæ adduci ſolent prælibentur,aliqua ſunt notanda. Primū ea quæ generantur & corrumpuntur tanquam proprij termini non dici in rigore mutari,nā quod mutatur prius eſt ſub termino à quo,& poſtea ſub termino ad quem: ſola ergo materia, quæ ſub utroque termino manet, dicetur proprie atque in rigore mutari,quando generationem tempore præcedit.

Secundum,cum divina virtute non queat una forma generari quin corrumpatur altera, vel corrumpi præexiſtens ſine introductione novę,atque ita terminus eſſētialis generationi ſit privatio formæ genitæ,non vero corruptio alterius formę iuxta dicta etiam in primo Phyſic. fieri, ut accidentale ſit generationi, quod fiat cū alicuius formæ corruptione, & corruptioni,quod fiat cum alterius generatione; atque adeo definitionē generationis ab Ariſtote. adductam eſſe accidentalem. Convenit enim generationi ex natura rei,quam ille fuit aſſecutus.

Tertium,corruptionem ut ſic non eſſe actionem,aut influxum poſitivum, ſed actionem negativam; non enim ponit aliquid in re,ſed potius tollit; neque eius terminus eſt quid poſitivū, ſed negativum,aut privativum: unde etiam non eſt poſitiva mutatio,ſed privativa.

Dices. In generatione manere materiam primam, quæ eſt ſenſibile ſubſtantiale; ergo non recte addit Ariſtoteles nullo ſenſibili manēte. Reſpōdetur primo, abſolute,& communi more non dici vivere materiam,aut ſentiri,ſed compoſitum, ſicut non dicitur materia alba,ſed homo albus,& de hoc ſenſibili loquitur Ariſtoteles. Quando ergo mutatur homo de albo in nigrum,manet idem ſenſibile abſolute,ſcilicet idem compoſitum ſubſtantiale, ſecus vero quando mutatur in cadaver. Conſulto ergo Philoſophus eam adiecit particulam,ut generationem diſcerneret à mutatione ſolum accidentali.

Iuxta dicta accipi etiam poteſt aliorum definitio generationis: *Subſtantialis mutatio ex non eſſe ſubſtantia ad eſſe ſubſtantia in materia*, id eſt à privatione ad formam ſubſtantialem. Corruptionis vero, *Mutatio ab eſſe ſubſtantia ad non eſſe ſubſtantia, ſub eadem communi materia.*

In fine collige, mutationem eſſe de eſſentia generationis, ac proinde ad generationem non ſat eſſe eductionem formæ à ſubiecto, ſed debere eſſe eductionē formæ ex potentia ſubiecti tempore præcedentis formam eductam. Diximus enim primo Phyſic. privationem formæ venturæ eſſe unum ex tribus principijs generationis, quare formæ cœlorum, & elementorum in prima mūdi molitione non fuerunt factę per veram generationem, ſed per ſimplicem eductionem, quia generatio ſupra eductionem addit reſpectum ad privationem in ſubiecto præcedente in reali duratione ipſam generationem. Ex quo conſequenter dicimus,nutritionē qua nutritur

tritur homo ex ſpeciebus conſecratis non eſſe generationẽ adhuc partialem, quia illa nutritio fit per productionem novæ materiæ, quæ in eodem inſtanti quo creatur informatur anima rationali illius hominis, qui nutritur, & ita talis materia non præceſsit tẽpore cum privatione formæ; quo fit ut ibi non reperiatur vera mutatio, & per conſequens, neque propria generatio.

DVBIVM II.

Quo pacto differant generatio & corruptio, & quo pacto generatio unius ſit corruptio alterius.

Circa primum dicendum cũ communi ſententia, generationem, & corruptionem diſtingui eſſentialiter, & realiter diſtinctione negativa, quæ ſcilicet eſſe poteſt inter privationem, & rem poſitivam. Sic Ariſtot. 5. Phyſicorum tex. 7. ubi numerat, tanquam mutationes diverſas una à ſubiecto in non ſubiectũ, id eſt à poſitivo in privativum, quæ eſt corruptio: alia à nõ ſubiecto in ſubiectum, id eſt, à privativo in poſitivum, quæ eſt generatio. Ratio à priori, quia termini à quo, & ad quẽ generationis, & corruptionis differunt eſſentialiter, & realiter; corruptio enim procedit à forma ad privationem formæ; generatio vero à privatione ad formam. Vnde falſum eſt omnino, quod Bañes hoc loco, & Caietanus in 1. 2. quæſt. 113, dixerunt, terminum corruptionis eſſe non eſſe formæ corruptæ, quod idemptificatur cum forma genita. Quod ut intelligatur, & ſimul ratio noſtræ concluſionis, nota in generatione duplex non eſſe formæ corruptæ. Primum in forma genita, quatenus quævis res eſt non alia, & hoc non eſſe non eſt privatio, ſed negatio; eſt enim in ſubiecto non apto, nam forma genita nullam habet aptitudinem ut ſit forma corrupta. Secũdum in materia prima, quæ ex ſe apta eſt habere talem formã, & hoc non eſſe eſt privatio, & eſt terminus ad quẽ corruptionis: etenim terminus, & actio, debent in eodem ſubiecto recipi iuxta ſuam conditionem poſitivam, vel privativam; ſed corruptio non recipitur in forma genita, ſed in materia, ut patet; ea enim eſt generationum, & corruptionum ſubiectum; ergo terminus ad quem corruptionis eſt hæc privatio formæ corruptæ exſiſtens in materia, nullo vero modo negatio illa exſiſtens in forma genita. Liquet autem privationem, quæ eſt in materia, realiter, & formaliter diſtingui à forma genita; ſiquidem forma iſta pereunte, manebit adhuc in materia eadem privatio formæ corruptæ.

Confirmatur primo. Poſſunt mutationes iſtæ realiter ſeparari, ſi producat Deus, ut poteſt, unam formam ſine expulſione alterius, vel corrumpat unam ſine alterius productione; ergo differunt realiter. Secundo, aliunde etiam apparet diverſitas: Nam generatio non poteſt eſſe, etiã divinitus, ſine aliquo termino actuali, quia eſt actualis, & poſitiva.

tiva illi⁹ productio, & affectio; modus autem neque divinitus, &c. at corruptio intelligi poteſt,& eſſe ſine termino corruptos patet in homine, qui generatur ab homine ſimul,& à Deo, conſervatur vero a ſolo Deo;ergo hic prima illa generatio perijt;ergo tunc fuit corruptio,id eſt deſitio generationis ; & tamen manet terminus. Et ratio eſt,quia ex corruptione tûc tantum ſequitur deſtructio termini, quando non ſuccedit alia actio conſervans talem terminũ; atque ita tunc dici quodammodo poteſt eſſe corruptionem termini,& non corrumpi terminũ. Eſt tamen in hoc ipſo aliqua ſimilitudo ; quod ſicut non dicitur terminus abſolute genitus, quando ſupponitur genitus per unam actionem,licet per aliam ſimilem generetur : ita non dicitur abſolute corruptus per corruptionem, quando per ſecundam actionem conſervatur, ſed dicitur tantum deſinere eſſe genitus ex vi primę generationis. Similiter ſicut non eſt ſecunda generatio, quin terminus ſit aliquo modo genitus, ita non eſt prima corruptio,quin terminus ſit ſecũdum quid corruptus: attamen ſimpliciter manet. Tertio poſſunt eſſe plures generationes ubi unica eſt corruptio: ut ſi ad deſtructionem mixti plura elementa fiant, poſſunt item eſſe plures corruptiones ubi unica eſt generatio:ut quando ex corruptione plurium elementorum generatur mixtum. Quando vero divus Thomas ait, eundem eſſe motum ſecundum ſubſtantiam,quo una forma deſtruitur, & alia producitur, tantum vult eſſe ibi unicũ motum poſitivũ, qui ſolus abſolute dicitur motus. Vel dic,tantum velle actiones illas eſſe ſimul.

Notare oportet,in corruptione ſubſtantiæ duplex non eſſe. Vnum quaſi per modum actionis negativæ. Secundum per modum termini, ad quem negativa illa actio tendit,quod eſt ipſum non eſſe formæ præexſiſtentis quaſi in facto eſſe,vel potius in deſtructo eſſe. Primum illud non eſſe dicitur proprie corruptio; ſecundum vero eſt privatio relicta in materia,ut diximus.

Quo pacto corruptio ab annihilatione differat, cõſtare poterat ex alibi dictis:differt quippe proportionaliter, ſicut generatio à creatione ; non itaque annihilatio dicit quamlibet reductionem entis ad nihilum: nã ſi cœlũ deſtrueretur ſimul à Deo, ſicut fuit productum, eius deſitio non eſſet annihilatio,ſed corruptio;ſicut eius productio non fuit creatio,ſed eductio, quia tametſi fuerit ex nihilo compoſiti producti,non tamen ex nihilo, id eſt ex non ſubiecto. Corruptio ergo eſt deſtructio compoſiti,aut formæ cum dependentia à materia ; annihilatio vero eſt ſimplex deſitio rei ſubſiſtentis.

Quatenus generatio unius ſit corruptio alterius.

SEcunda dubij pars continet explicationem huius axiomatis,quod habet Ariſtoteles hic lib 1. cap.3 & propoſuerat iam tertio Phyſic. cap. 8. de quo primo certum eſt non poſſe eſſe verum in ſenſu formali,aut identico, iuxta ea quę modo dixi,

dixi. Etenim corruptio non fit per efficientiã poſitivam & propriam, niſi quatenus carentia alicuius eſſe conſequitur ad poſitionem vel effectionem alterius eſſe. Corruptio enim immediate tendit ad non eſſe: actio vero poſitiva immediate, ac per ſe non tendit ad non eſſe; ergo corruptio non eſt actio poſitiva, neque generatio formaliter, aut idemptice; tantum igitur eſt verum illud axioma ratione mutuæ cõnexionis, & concomitantiæ utriuſque mutationis, quæ eſt generatio, & corruptio; quia ſcilicet generationem unius comitatur alterius corruptio, & corruptioni unius it annexa alterius generatio, ita communiter Ariſtotelis interpretes.

Sed iuxta hũc ſenſum aliqua eget explicatione, non enim omnẽ habet univerſalitatẽ veritatis. Primo ergo ſuã propriã veritatem habet in ſubſtantijs iuxta naturalem, & ſtatutum ordinem rerum, ſecluſo miraculo. Ratio eſt, quia materia ſubiectũ generationis & corruptionis, neque poteſt naturaliter carere omni forma, neque ſimul pluribus informari; ergo generatio unius adiungi debet corruptioni alterius, & è converſo: ſi enim corruptio eſſet ſine generatione, maneret materia ſine forma; at ſi generatio ſine corruptione, haberet materia plures formas. Idem dicendum de generatione partiali, quæ eſt nutritio, divinitus vero, & de abſoluta Dei potentia eſſe poteſt generatio, vel productio ſine corruptione, aut è contra, imo de facto eſt, verbi gratia cum ſpecibus panis aut vini nutrimur eſt productio ſubſtantialis ſine corruptione formæ ſubſtantialis; quis materia quæ à Deo ſufficitur loco materię panis, non præhabebat aliam formam ſubſtantialem, quę corrumpatur per introductionem rationalis formæ.

Notandum etiam iuxta hunc ſenſum, generationem unius eſſe corruptionem alterius, non formæ ſemper, ſed informationis aliquando, ut comprehendatur corruptio hominis: non itaque eſt neceſſarium ut ad generationem unius formæ altera corrumpatur, ſed ſufficere ſeparationem eius à materia per corruptionem unionis, ut in hominis morte cõtingit. Sicut etiam non requiritur neceſſario, ut ad corruptionem unius formæ altera forma proprie generetur, ſed ſufficit uniatur: ut ad corruptionem embrionis unitur anima rationalis, quæ non generatur, ſed creatur. Conſtat etiam iuxta confirmationem ultimam primæ partis non eſſe neceſſe ut tot res generentur, quot corrumpuntur; neque ut tot ſint corruptiones, quot generationes.

Claret ex dictis, loquendo de termino totali generationis, qui eſt compoſitum ſemper generationem unius eſſe corruptionem alterius, tametſi inter formas non ita ſemper contingat, ut dixi.

Deinde vero in accidentibus non habet univerſalem veritatem illud axioma, etiam ex natura rei. Nam primo loquendo de qualitatibus habentibus contrarium, nõ ſemper habet verũ, licet enim in primis qualitatibus ſemper videatur verum habere, nunquam enim producitur calor aut ſiccitas, quin corrũpatur

patur frigus & humiditas ex to to, vel ex parte: at qualitates ſecundæ etiam contrarium haben tes aliquando fiunt ſine aliarum corruptione, quando ſcilicet mixtum immediate generatur ex elementorum mixtione, & fit ex materia quam informabant elementorum formę, non autem ex materia alterius mixti; in tali enim caſu fiunt colores, odores, & ſapores in mixto, quin corrumpãtur aliæ qualitates oppoſitæ, quæ in ea materia præexſiſterent, ſiquidem corpora ſimplicia carent colore, odore, &c.

Sæpe etiam aliàs produci videmus accidens ſine corruptione alterius. Primo in productione actuum, & habituum intellectus & voluntatis, quando nihil poſitivum in ipſis præcedit. Secundo, in productione ſpecierũ intentionalium, quæ cum contrario careant, ſine alterius corruptione producuntur. Tertio, in illuminatione aliàs videmus contra corrumpi accidens ſine productione alterius. Primo patet in lumine, ad cuius deſitionẽ nulla alia qualitas fit in eodem ſubiecto. Secundo in corruptione ſoni, & impulſus. Tertio, patet in agentibus liberis, qui poſſunt à ſuis actionibus ceſſare, quin teneantur eo ipſo exercere aliàs prioribus oppoſitas.

Rogas, quo ergo ſenſu dici ſolet, corruptionem non intendi per ſe à natura, ſed per accidens? Reſpondeo, non intendi per ſe, id eſt primario, & ratione ſui, id eſt boni alicuius particularis in eą contenti. Cum enim corruptio ſit privatio entis, ens vero eo ipſo quod tale eſt, bonitatem includat, quæ eſt entis paſsio; ea caret privatio & corruptio, quæ ut ſic potius eſt quid malũ, quod per ſe intendi, aut appeti non poteſt. Vnde licet ſit requiſitum ad productionem aliarum rerum, & ſæpe generationi coniungatur; tamen actio & primaria agentis intenſio ad terminum poſitivum tendunt; corruptio vero ſolum intenditur ratione generationis illi adiunctę, ideoque dicitur per accidens intenta.

Ex dictis primo collige, quatenus corruptio dici poſsit naturalis. Si enim dicatur naturalis quaſi ex inclinatione naturæ, & propenſione ad eam, ſic enim non eſt corruptio naturalis rei corruptæ: nulla enim res habet naturalem inclinationem aut exigentiam proprij exitii. Dici vero poteſt eſſe naturalis, ſeu connaturalis. Primo univerſę naturę, quæ per ſe inclinat, & attendit ad varias rerum generationes, & conſequenter ad corruptiones ex illis conſequutas: quo ſenſu dici poteſt corruptio intendi per ſe à natura, non tamen primario, ſed ſecundario; nullam enim corruptionem natura conaretur, niſi intenderet novas generationes, eiſque opus haberet ad ſuarum ſpecierum cõſervationem. Secundo, illi formæ ad cuius paſsivam generationem corruptio ſequitur: illi etiam ad cuius actionem generativam ſequitur corruptio. Eſt enim de inclinatione ſecundaria ignis, verbi gratia, corruptio formæ præexſiſtentis in ſubiecto in quo ipſe agit: ſicut revera eſt effectus ſecundarius utriuſque. Tertio materiæ, quę eſt cõmune ſubiectum generationum & corruptionum, & in ordine ad quod iſtæ ſuam exercent incompoſsibilitatẽ. Demum dici poteſt

poteſt corruptio naturalis, ſeu connaturalis rei ſuapte naturæ corruptibili, ut homini connaturale eſt eſſe paſsibilem frigoris, famis, & mortis; non quia corruptionem poſitiva potētia exigat, ſed quia cum ſit naturæ defectibilis ex vi agentium naturalium, indeque ſit obnoxius legibus moriendi, iure hic dicitur eſſe iuxta leges, ſeu conditiones naturæ ipſius. At neque corruptio cœli, neque alicuius rei annihilatio dici poteſt eo modo naturalis, quia cum ſit ſupra naturales omnium agentiū vires, eſt contra omnes naturæ leges.

Collige etiam ex his duabus actionibus, quæ ſunt ſimul tempore, priorem natura eſſe generationem, quam corruptionem. Ideo enim materia deſerit formam ligni, quia recipit formam ignis, non è cōtra: hæc enim cauſalis nō eſt vera, ideo ignis producitur, quia corrumpitur lignum, niſi enim accederet ignis ad igniendum lignum, hoc non corrumperetur, ergo prius intelligitur ignis generare ignem, quam corrumpi lignum. Vnde etiam ex duabus illis actionibus ex parte Dei, altera exhibitiva concurſus ad generationem ignis, altera ſuſpenſiva concurſus conſervationis ligni, illa poſitiva eſt natura prior, id eſt ideo Deus corrumpit lignum ſuſpendendo concurſum, quia iuxta naturæ leges hic & nunc concurrit ut generetur ignis. Quare etiam minus recte dicitur generationem ignis eſſe finem, atque adeo corruptionem eſſe in executione priorē; corruptio enim non eſt proprie medium ad generationem, ſed conſequens ad illam, & in executione ipſa ſecundarius effectus.

D V B I V M III.

An generatio ſit converſio.

PRo dubij reſolutione quinque ſunt notandæ conditiones converſionis, allatæ communiter à Philoſophis in præſenti, & approbatæ à Theologis in 3. par. quæſt. 75. Prima conditio, ut ſit inter duos terminos, à quo, & ad quem: ambos aſſerit Suarez debere eſſe poſitivos, quia in hoc differt converſio à ſimplici productione, in qua nullus rei poſitivæ deſitio requiritur. Conink tametſi aſſerat terminum denominatum eſſe debere poſitivum, ait terminos à quo & ad quem negativos eſſe poſſe, quia tenebroſum vere dicitur converti in lucidum, & è contra. Diſplicet hæc diſtinctio. Nō ſolum enim denominatur converti compoſitum, vel ſubiectū, ſed etiam termini à quo, & ad quem, ut infra dicam. Dico ergo difficultatē eſſe de modo loquendi: ſi autem uſurpetur converſio late, prout ſolū eſt tranſitus, & conſequutio duorum, poterit uterque terminus privativus eſſe, ac dici tenebras converti in lucem, & è converſo, quia ibi intervenit realis tranſitus ab uno ad aliud. Nihilominus ſi de ſtricta converſione ſermo ſit, aſſerendum requirere utrumque terminum poſitivum, tum quia id quod nihil eſt ſicut non fit, nec convertitur rigoroſe, tum etiā, quia id quod eſt

Vide Suarē eo. 3. in 3. p. diſp. 50. ſec. 2. Vaſquez eadem parte & tomo diſpu. 181. Conink. de Sacramentis q. 75. artic. 4. dub. 4.

eſt negativum non mutatur; ergo neque convertitur. Tum denique, quia alias in venerabili Euchariſtiæ myſterio concedenda eſſet alia converſio, nam non ſolus panis in Chriſtum converteretur, ſed etiam non eſſe Chriſti ibi converteretur in ipſum. Demum, id convertitur cuius loco poteſt aliud ſuccedere, nihil autem poſitivum proprie ſuccedit loco negativi, ergo.

Secunda, ut res quæ convertitur ſecũdum eam rationem qua dicitur converti, eſſe deſinat aliquo modo. Patet primo inductione in omnibus converſionibus. Secũdo, quia per converſionem terminus à quo tranſit in aliud; ergo non remanet idem ac antea, atque adeo deſinit eſſe ſaltem eo modo quo erat ante converſionem. Tertio, quia ſi uterque terminus perſeveraret, quinam illorum eſſet qui convertitur? & in quem convertitur? Vnde ſi Deus calorẽ aquæ non deſtrueret, ſed removeret ab ipſa, & collocaret in alio ſub iecto, induceret vero frigus in aquam, non eſſet converſus calor in frigus, ſed mutatus localiter, vel trãſlocatus. Adde, ſicut non poteſt aliquid localiter mutari, vel converti in aliud, niſi alterũ deſinat eſſe localiter ibi, ita neque dicetur aliquid vere converti quin eo modo deſinat eſſe.

Hinc deducitur, terminum à quo debere deſinere active, & quaſi ſubſtantialiter deſtrui. Primo quia aliàs ſola eſſet localis tranſmutatio, nam terminus ille à quo ſolum deſineret eſſe in loco, & amitteret præſentiam. Secundo, quia nõ datur vera mutatio ſubſtantialis ſine deſitione termini à quo; ergo neque converſio. Vnde ſi corpus Chriſti adhiberetur ſub ſpeciebus alibi ſervata panis ſubſtantia, non poſſet dici converſa ſubſtantia panis in corpus Chriſti, quia illa ſolum eſſet tranſlocatio ex parte panis, atque adeo, ſicut cum unum corpus truditur à loco ab alio ingrediẽte, dicitur proprie tranſlocari, ita diceretur tunc panis tranſlocatus.

Tertia, ut res etiam in quam fit cõverſio, & quæ eſt terminus ad quem incipiat eſſe aliquo modo. Contrarium tuentur Caietanus & Scotus citati à Suarez. Falſum tamen, quia ſi terminus ad quem eodẽ pacto ſe haberet ante & poſt converſionem, non eſſet cur terminus à quo diceretur magis in illum, quam in alium converſus. Secundo, in termino à quo requiritur vera deſitio; ergo & inceptio in termino ad quem.

Dixi in ſecunda, & tertia conditione aliquo modo: quia neque opus eſt ut terminus à quo ſecundum ſe totum eſſe deſinat, neque ut terminus ad quem ſecundum ſe totum fiat; ſed ſufficit ut mutatio ſecundum utriuſque formam fiat eadem ſubiacẽte materia; ut cernere licet in converſione uxoris Loth in ſtatuam ſalis, quę vera fuit converſio, & tamen remanſit eius materia, quod ſimiliter contigit in converſione aquæ in vinum Ioãnis 2. Nonnumquam tamen omnes cõpoſiti partes eſſe deſinunt ut in Euchariſtia, ubi fit converſio tam formæ, quam materiæ panis, & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſi. 13. cap. 8. can. 1.

L Roga-

Rogabis, an neceſſe ſit ad converſionem ut terminus ad quē incipiat eſſe ſubſtantialiter per veram productionem, aut reproductionem. Affirmātem partem tuetur Conink. Vaſquez vero admittit ſat eſſe actionem adductivam.

Dico primo. Ad converſionem non ſufficit mera actio adductiva ſine nova aliqua efficientia. Patet primo, quia ex vi actionis adductivæ ſolum fit tranſlocatio, quia actio adductiva ſolum terminatur ad præſentiam: vnde ex eo quod quantitas ſuccedat adductive in locū alterius, aut ſubſtantia Angeli in locum alterius, non fiunt veræ converſiones in omnium ſententia; ergo non ſatis eſt adductiva actio ad converſionem. Secundo, ex vi actionis adductivæ non pugnaret Chriſtus Dominus cum ſubſtantia panis, maxime indiviſibiliter exiſtens; at ad converſionem requiritur terminorum repugnātia, ergo, &c. Nec ſufficit pugnare ex vi verborum, ut mox dicam.

Dico ſecundo. Ad converſionem requiritur ut terminus ad quem, terminet aliquem modum intrinſecum, vel actionis, vel unionis. Probatur. Ad converſionem requiritur aliqua repugnantia intrinſeca phyſica terminorum, ut dicam, hæc nequit eſſe ſine modo aliquo ſuperaddito actionis, vel unionis, ergo, &c. Minor probatur. Duæ formæ vel repugnāt in ordine ad idem ſpatium, vel in ordine ad idem ſubiectum. Prima repugnantia eſt quantitatum, & localis; nec ſufficit ad veram converſionem, ut dicam. Secunda vero fieri nequit ſine actione, vel unione, quia duæ formæ non pugnant in eodem ſubiecto niſi ut uniię.

Adverte, poſſe dari actualem converſionem quin de novo terminus ad quem intrinſece reciperet aliquod eſſe, vel de novo produceretur, quia ſi Deus conſervaret ſimul frigus & calorē, ac poſtea ceſſaret à caloris conſervatione, actio conſervativa frigoris eſſet cōverſio actualis, non tamen terminus mutaretur intrinſece. Fore autem tunc actionem illam conſervativam cō verſionē, patet, quia actioni frigoris, ut converſio eſſet, ſolum deerat deſitio caloris, quam natura ſua poſtulat; ergo calore deſinente erit converſio, ſicut res in ſecundo inſtanti eſt durans, quia habet omnia ad durationē requiſita.

Quarta conditio, ut ſit aliqua connexio, & dependentia inter mutationes illas, quæ in converſione reperiuntur, ita ut terminus à quo deſinat eſſe ex vi productionis termini ad quem. Patet, quia aliàs unum nō converteretur in aliud, ſed eſſet pura deſitio unius, & ſimplex productio alterius.

Difficultas tamen eſt, an hæc connexio & pugnantia debeat eſſe phyſica. Conink autumat ſatis eſſe moralem connexionē, ſcilicet ex quadam congruētia, intentione, vel fine eius qui unam conſtituit, vel ſaltem ex divino decreto ex poſitione unius ſequatur deſitio alterius. Suadet in converſione hominis peccatoris in iuſtum, & vice verſa. Verum exempla non urgēt, tum quia in probabili ſententia, gratia phyſice opponitur peccato; tum quia converſio ex iuſto in peccatorem, & ſimiles, non ſunt

vere

vere converſiones ex defectu ter mini negativi.

Vaſquez, & alij recentiores ſatis eſſe volunt pugnantiam ex vi modi efficiendi, atque adeo dicunt in Euchariſtia pugnare ſubſtantiam Chriſti cum ſubſtãtia panis ex vi ſignificationis verborum conſecrationis. Cęterum hęc pugnantia præterquam quod theologice non mihi placeat, de quo non eſt fas in præſenti agere, tamen nec philoſophice ſufficit; eſt enim mere extrinſeca, imo & moralis, non enim pugnabit corpus Chriſti cum pane niſi extrinſece ratione ſignificationis verborum.

Dico ergo, ad converſionem phyſicam & realem, quæ abſolute converſionis nomine donanda eſt, requiri pugnantiam phyſicam extremorum. Primo, quia de converſione ſupernaturali loquimur proportione ac de naturali, ſed in omni naturali datur repugnantia phyſica; ergo & in ſupernaturali. Firmatur. Mutationi, Creationi, & Eductioni ſupernaturali eadem eſſentia cõceditur, ac naturali, demptis differentijs naturalitatis, & ſupernaturalitatis; ergo converſioni omni eadem natura concedenda eſt. Secundo, omnis realis mutatio petit repugnantiam phyſicam terminorum; ergo & omnis converſio. Patet conſequentia, tum à paritate, tum quia cõverſio includit in ſua eſſentia aliqualem mutationẽ. Tertio, omnis converſio exigit deſitionem phyſicam unius, & poſitionem phyſicam alterius; ergo & phyſicam repugnantiam. Poſtremo cum hæc repugnantia cõveniat omni naturali converſioni, ſi omni ſupernaturali non competeret, maxime quia explicari nequiret in Euchariſtia; hoc eſt falſum, quod leviter inſinuabo ad Theologiam. Exiſtimo enim cõnexionem inter Chriſtum & ſpecies ſacramentales eſſe unionem formalem, hęc autem unio pugnabit cum unione accidentium in ſubſtantia panis, quia idem accidens non poteſt ſimul habere duplicem unionem, alteram inhæſionis, alteram mere informationis; imo neque duplicem inhæſionis, aut informationis; ſimul ergo fiet hæc unio ſpecierum cum corpore Chriſti, & deſtruetur altera quã habebat cum ſubſtãtia panis, ac per conſequẽs deſtruitur ſubſtantia panis, quæ ſine ſuis proprietatibus, & accidentibus omnibus conſervari nequit, & ideo unio ſpecierum cum Chriſto habet repugnantiã phyſicam cum altera unione, & conſequenter cum pane. Admitto autem hanc unionem formalem, nõ ſolum quia poſsibilem, ſed quia neceſſariam, ea enim ſublata, neque corpus Chriſti efficeret unum totum cum ſpeciebus, neque proprie eſſet contentum ſub illis, eo modo quo per verba conſecratoria affirmatur. Ad hoc enim neque eſt ſatis ſola indiſtantia ab ſpeciebus, neque unio effectiva proveniens à corpore Chriſti conſervante ſpecies ſeparatas: cauſæ enim efficientes etſi mutuæ ſint, non cenſentur efficere unum cum ſuis effectibus, nec unam ita eſſe contentam ſub alia, ut de illa affirmari queat hæc eſt illa; hic autẽ talis unio Chriſti cũ ſpeciebus requiritur, ut ſit verum dicere: Hoc eſt corpus meum, & non ſolum, Hic eſt corpus meum.

Quinta cõditio eſt, ut aliquid

commune ſub utroque termino ſit, ſive ſit materia ut in converſione naturali, ſive ſpecies & accidentia, ut in converſione ſacramentali. Ratio, nam pugna phyſica ad converſionem requiſita non poteſt intelligi abſque aliquo communi circa quod pugnent, nam vel eſt per unionem formalem ad aliquam rem, & ſic requiritur unum tertiū in quod una introducatur unio, & pellatur altera, vel per pugnantiam in loco; hæc autem præterquam quod habeat tertiū ſcilicet ſpatium in quo pugnent, eſt tranſlocatio, non converſio proprie. Ex his definiri poteſt cōverſio, Trāſitus poſitivus unius rei in aliā ſub tertio aliquo communi.

His poſitis dicendum, generationem ſubſtantialem non eſſe eſſentialiter converſionem, naturalem vero generationem ſubſtantiæ, quam Ariſtoteles novit, reipſa eſſe converſionem. Prima pars probatur, quia terminus à quo eſſentialiter requiſitus ad generationem, eſt ſola privatio; ergo generatio non eſt eſſentialiter converſio: tum etiam quia converſio includit neceſſario duplicem mutationem, unam poſitivam, aliam privativam; generatio autē ſolam poſitivam exigit eſſentialiter; ſiquidem non eſſentialiter exigit habere concomitantem corruptionem alterius, ut patet in igne, qui poſſet generari ex materia ligni, tamet ſi lignum non corrumperetur. Ex dictis ſecūda pars probatur, nam generatio naturalis eſt actio poſitiva inferens privationē formæ præexiſtentis in materia, unde re ipſa ſemper eſt tranſitus ab uno termino poſitivo, qui corrumpitur, in alium, qui generatur, manente eodē ſubiecto communi, materia ſcilicet, ergo &c. Prænotandum tamen, quando communiter dicitur generationem eſſe converſionem realiter non eſſe intelligendum actionem poſitivam generationis non diſtingui realiter à cōverſione; hoc enim eſt manifeſte falſum, cum converſio etiam dicat realem deſitionem termini à quo, ſolum igitur eſt intelligendum eſſe realiter converſionem, quia habet cōiunctam corruptionem, ex qua & ipſa generatione converſio integratur.

DVBIVM IIII.

An generatio ſit unica, & ſimplex actio.

CVM in generatione detur forma per eam producta, ſi ſit materialis, & unio, qua talis forma materiæ unitur, dubitamus an generatio ſit unica, & ſimplex actio productiva formæ dependenter à materia, & unitiva eius cum ea; vel ſaltem productiva formæ, & unionis: an potius duplex, quarum una producat formam, & alia unionem eius cum materia. Hanc cōtroverſiam attigi in Logica diſputatione quarta de accidēte in communi, dubio primo, ubi dixi formā per eandem eductivā actionem per quam ſit, nō uniri ſubiecto, quā reiecimus in hunc locum ut aptiorem.

In primis moneo, controverſiam non eſſe de animæ rationalis unione; ea enim ſine dubio diſtinguitur ab eius actione creativa; nam hæc actio eſt indepē-

dens à materia, ſecus unio; unio producitur ab agente creato, actio à ſolo Deo. Quod idem dicendum videtur de compoſitis illis quorum partes ſic ſe habent, ut una non dependeat in ſuo eſſe, aut producatur dependenter ab alia, ut evenit in unitis per continuationem, tam ſubſtantialibus, quam accidẽtalibus. Diſſentio ergo ſolum circa unionem formæ materialis verſatur.

Pro hac ſententia citatur pater Suarez to. 1. in 3. p. diſp 8. ſect. 1. quanquam in Metaphy. diſp. 13. ſect. 9. n. 11. oppoſitũ docere videatur. Eſt Mendoza diſpu. 5 Phyſi. ſect. 2. & aliorum.

Aſſero primo. Actio productiva formę materialis nequit eſſe unio eius cũ materia. Suadetur primo, quia unio qua forma leonina, verbi gratia, unitur materię, cum ſit de eſſentia leonis, debet eſſe ſubſtantia; ſed generatio qua fit forma eſt accidẽs de prædicamento actionis; ergo generatio & unio realiter differunt: Eſt eadem enim entitas realis in re ſubſtantia & accidens eſſe nequit.

Reſpondebis, generationem poſſe ſumi bifariam, nempe ut actionem, & ut unionem, & primo modo eſſe accidens, ſecundo vero ſubſtantiam. Sed contra primo, quia non ſolum eſt abſurdum eandem formalitatem eſſe ſubſtantiam & accidens, ſed etiam eandem entitatem realem diverſimode ſumptam, quod ſic ſuadeo. Subſtantia, & accidens habeant eſſentias contrarias, ita ut de eſſentia accidentis ſit pendere realiter à ſubiecto, & ſubſtantiæ independere realiter ab illo; ergo nullatenus huiuſmodi rationes in eadem entitate reperiri valent: ſicut neque reperiri queunt rationes ſubſtantiæ, & quantitatis ſimul, vel qualitatis, &c.

Contra ſecundo, quia ſi unio formæ cum materia eſſet eadem actio productiva formæ, non ſolum realiter, ſed etiam formaliter, & eſſentialiter eſſet accidens, quod ſic oſtendo. Actio productiva formæ eſt unio eius cum materia; ergo tametſi non ſit unio formaliter ut actio eſt, erit tamen unio formaliter ut paſsio, cum iuxta contrariam ſententiam paſsio ſit receptio formæ in materia; ſed ut paſsio, eſt formaliter, & eſſentialiter accidens; ergo talis unio formaliter & eſſentialiter eſſet accidens.

Reſpondebis iterum, triplicẽ formalitatem diſtingui poſſe in generatione, nempe formalitatem actionis, paſsionis, & unionis, formalitatemque paſsionis diſtinctam eſſe à formalitate unionis, cum in ratione formali paſsionis includatur dependentia à ſubiecto, quæ non includitur in ratione unionis, ut videre eſt in partibus lineæ, quæ uniuntur abſque dependẽtia, ac proinde actionem & paſsionem eſſe accidentia, formalitatem vero unionis ſubſtantiam. Sed contra, nam paſsio eo ipſo quod eſt receptio formę in materia, debet iuxta adverſarios formaliter, & eſſentialiter eſſe vinculum & nexus formæ & materiæ; ergo debet eſſentialiter eſſe unio utriuſque, immo erit unio, & aliquid amplius, nempe unio cum receptione; ergo ut ſic unio non eſt formalitas ſubſtantialis, ſed accidentalis.

Suadetur ſecundo concluſio, quia illud quod pertinet ad terminum ad quem alicuius actionis, & ad quod ipſa actio per relationem realem tranſcendentalem refertur, debet eſſe realiter diſtinctum ab ipſa actione; ſed

unio formæ leonis, verbi gratia, cum materia pertinet ad terminum ad quem generationis ipſius formæ; quare ipſa generatio relatione reali tranſcendentali reſpicit ipſam unionem; ergo realiter diſtinguitur ab illa. Maior eſt certa, minor probatur, tum quia generatio formæ leonis eſt tranſitus à privatione formæ leonis ad formã, non quomodocunque, ſed unitam; ergo ipſa unio pertinet etiam ad terminum ad quem: tũ etiam quia ſola entitas formæ non eſt ſufficiens terminus formalis generationis ſpecificans, & diſtinguẽs illam à creatione: hæc enim etiam poteſt terminari ad entitatem formę; ergo per unionem ad ſubiectum conſtituitur in ratione termini formalis generationis, ita ut generatio terminetur ad formam ut unitam materiæ, creatio vero ad eandem ut exſiſtentem per ſe; ergo ipſa unio debet realiter diſtingui ab actione generativa ormæ.

Tertio. Si forma materialis per actioné per quam fit uniretur materiæ, ſequeretur unioné animæ rationalis per actionem generativam, per quam fit, uniri materiæ; ſed hoc eſt omnino à ratione alienum; ergo & primũ. Sequela admittitur ab adverſarijs, & admitti debet iuxta illius principia: nam ex eo autumant actionem productivam formæ materialis eſſe unionem illius cum materia, quia eſt actio eductiva illius de potẽtia materiæ, & idem realiter cum paſsione, per quam debet terminus productus uniri materiæ; ſed actio productiva unionis animę rationalis cum materia eſt eductiva illius de potentia materię, & realiter idemptificata cum paſsione; ergo etiam ex vi illius debet unio uniri materiæ. Dato hoc ſequi ſuadetur modo eſſe falſũ, quia unio eſſentialiter eſt id, medio quo forma in materia recipitur; ergo ipſa unio per ſuammet entitatem, ſecluſo quocunque extrinſeco, debet uniri materię, ſicut actio per ſeipſam pẽdet ab agente, quia eſt id, medio quo terminus ab eo dependet; ergo talis unio non unitur materię per unionem ſuperadditam, nempe per actionem per quam fit, ac proinde nullum erit adverſariorum fundamentum, aſſerens formam materialem uniri materię per actionem per quã fit, quia eſt eductiva illius de potentia materiæ.

Demum, unio quę primo producta fuit inter materiam & formam leoninam verbi gratia, eadem perſeverat poſt inſtans generationis, & tamen non perſeverat eadem actio, nam prima productio leonis pendet à Deo, & ab agente naturali, conſervatio vero pendet à ſolo Deo, & ita eſt diverſa actio, cum tamen unio eadem ſit; ergo actio & unio realiter diſcrepant.

Aſſertio ſecunda. Forma, & unio non producuntur per eandem indiviſibilem actionem, ſed per duplicem. Probatur primo evellendo adverſariorum fundamentum, nempe formam & unionem fieri per eandem actionem, quia habent eandem exſiſtentiam: nam ut viſum, quælibet entitas ab alia diverſa habet etiam exſiſtentiam diverſam; ſed forma & unio ſunt entitates realiter diſtinctæ; ergo habent exſiſtentias realiter diſtinc-

ſtinctas,ac proinde terminant diſtinctas actiones. Secundo,forma & unio ſunt termini diſtincti, ergo debent fieri per diverſas actiones; cum enim actio ſit modus termini,multiplicatis terminis, debent multiplicari actiones,ſicut multiplicatis fundamentis,multiplicantur relationes,& multiplicatis rebus præſentibus,multiplicantur præſentiç. Firmatur. Forma,& eius ſubſiſtentia fiunt per diſtinctas actiones, ergo etiam forma, & eius unio ad materiam. Vnde ſicut anima rationalis fit per unā actionem, & per aliam fit modus unionis illius ad materiam, ita per unam actionem fit forma leonina,& per aliam unio illius ad materiam; cum hoc tamen diſcrimine,quod prima illa actio terminata ad animā rationalem,eſt creativa,& indepēdens à materia,hæc vero terminata ad entitatē formæ leoninæ eſt eductiva,& pendens à materia.

Aſſertio tertia. Actio productiva formç eſt formaliter recepta in materia, & naturaliter cōnexa cum actione productiva unionis. Prima pars liquet, quia ſi actio productiva formæ non eſſet recepta in materia, iam nō eſſet eductio,ſed creatio,nam actio creativa eſt per ſe,non recepta in materia, atque adeo non idemptificata realiter cum paſſione,ſed illa prima actio in hac ſententia ponitur per ſe, & non recepta in ſubiecto, ac proinde non idemptificata realiter cum paſsione,ergo eſt creatio. Secūdo, illa prima actio fit ab agente naturali, ſed ab agente naturali ex nihilo nihil fit, i d eſt agens naturale nihil operatur,niſi cum cōcurſu præſuppoſiti ſubiecti, ſubiectum autem non concurrit niſi recipiendo,ergo à primo ad ultimum illa prima actio debet recipi in ſubiecto.

Reſpondebis,primam actionē fieri cum concurſu ſubiecti, & recipi in illo non formaliter, ſed radicaliter, id eſt ipſam in ſe,& formaliter eſſe per ſe,tamē naturaliter connexam cum alia actione eductiva modi unius ipſius formæ cum materia,ideoque dici radicaliter recipi in materia,& eſſe actionem eductivā. Sed contra, quia actio productiva animæ rationalis eſt vera creatio,& tamen eſt naturaliter connexa cum actione eductiva, per quam producitur unio ipſius animæ rationalis; ergo ſi actio productiva formæ materialis ponatur in ſua entitate,& formaliter per ſe,ſicut actio animæ rationalis productiva, non minus erit actio creativa quam illa,tametſi ſit connexa cum actione eductiva unionis;ac proinde ſicut actio productiva animæ rationalis non dicitur radicaliter educta, ſic nec actio productiva formæ materialis: aliud enim eſt actionem aliquam eſſe eductivam, & aliud eſſe connexam cum eductiva: ſicut aliud eſt actionem aliquam eſſe creativam,aliud vero connexam eſſe cum creativa.

Secunda concluſionis pars, nimirum actionē productivam formæ eſſe naturaliter connexam cum actione productiva unionis,ſuadetur, & explicatur, nam entitas materialis formæ virtute ſolius actionis productivæ adhuc præciſe ſumpta, & ſine unione, natura ſua pendens eſt à materia, fitque ab agente

creato

creato dependenter ab ea media paſsione, quæ eſt cauſalitas materiæ reſpectu formæ, ergo talis productio neceſſario ex natura rei poſtulat coniunctam productionem unionis, quæ eſt cauſalitas compoſiti; unde duæ tales actiones habent unitatem connaturalis coniunctionis, & concomitantiæ: unde etiam licet unio formarum materialiũ fiat poſterior quaſi natura, & actione diverſa ab ea qua fit earundem entitas; eſt tamen conditio ſine qua non debetur à natura exſiſtentia materialibus formis; unde eſt etiã prior, & prærequiſita in intentione, & genere cauſæ finalis, conſtitutionis ſcilicet compoſiti ex tali forma, quæ naturaliter nequit conſiſtere non unita ſuæ materiæ.

Dices. Ex vi prioris actionis forma materialis dependet à materia, & fit in illa; non enim fit extra materiam; ergo ex vi illius actionis præciſe eſt in materia; ergo unita materiæ. Confirmatur, nec eſſe, nec intelligi poteſt forma ſub prima illa actione ipſius eductiva, quin ſit, & intelligatur recepta & unita materiæ, licet ſint ibi duæ formalitates; ergo fruſtra ponitur diverſa actio unitiva, ſed eſt una eſſentialiter. Huic argumẽto, quod ſane continet totam difficultatem, dupliciter reſpõderi poteſt. Primo dicendo ex vi prioris actionis, formam eſſe in materia præciſe media paſsione, & tamquam effectus ipſius, prout paſſio eſt formaliter actus patientis ut patiens eſt, ac proinde per illam actionem tãtum uniri formam efficienter cum ſuo agente, & cum ſuo paſſo, non tamen uniri formaliter materiæ, ita ut cauſent compoſitum; unde talis actio præciſe nondum habet cõpletam rationem generationis, ſed tantum productionis formæ dependentis quidem á materia, ut dictum. Ad confirmationem reſpondetur, antecedẽs tantum eſſe verum de productione connaturali formæ materialis, & cõnaturali concomitantia duarum actionum; non tamen de productione ſupernaturali modo, nec de actionis indiviſibilitate; quare antecedens ſimpliciter eſt falſum. Poteſt itaque reipſa reperiri unio formæ materialis cum materia, ſine actione productiva dependenter à materia; nam poteſt Deus formam conſtitutam ſupernaturaliter cum modo per ſe eſſendi unire cum eadem materia, ſicut poſſet quantitatem cum modo per ſe eſſendi unire ſubiecto, quin ab ipſo proprie penderet; quæ tunc unio eſſet eadem, ſaltem ſecundum ſpeciẽ cum priore unione: ſicut unio animi rationalis poſt reſurrectionem corporum eiuſdem erit ſpeciei cũ pręſenti exprobabiliori ſenſu. Immo addo poſſe eſſe aliquo tempore actionem productivam formæ leonis verbi gratia, ſine unione ad materiam, & quin dicatur eſſe leo; ut ſi productio formę leonis duret in tempore, & eo tempore non uniatur materiæ: quid enim hoc implicat Deo?

Secundo reſponderi poteſt, ex vi prioris actionis formam non eſſe in materia, neque dependere ab ea in facto eſſe, atque adeo de ratione actionis eductivæ nõ eſſe ut ex vi illius terminus formaliter, & in facto eſſe recipiatur in materia, ſed ſolum in fieri, quod idem eſt ac dicere fieri termi-

termini, ſeu ipſammet actionẽ termini productivam recipi in materia.

Inſtabis. Actio productiva formæ eſt idem realiter cum paſſione, ſed paſsio formaliter eſt receptio formæ in materia, ac proinde unio ipſius cum materia; ergo eadem actio productiva formæ realiter erit receptio illius cum materia. Reſpondeo, iuxta hanc ſecundam ſolutionẽ dicendum eſſe, paſsionem non eſſe receptionem formæ in materia in facto eſſe, ſed in fieri, quia ipſamet actio quæ eſt fieri formę, quatenus recipitur in ſubiecto, dicitur paſsio.

Dices ultimo. Per eandem indiviſibilem actionem creativam per quam Angelus, verbi gratia creatur, conſtituitur formaliter per ſe; ergo per eandem indiviſibilem actionem eductivam per quã producitur forma, debet conſtitui formaliter in alio, ſcilicet unita materiæ. Reſpondeo negando antecedens, nam ſicut diximus dari unam actionem terminatam ad entitatem formæ, & aliam ad unionem illius cum materia; ita etiam datur una actio terminata ad entitatẽ Angeli, verbi gratia, & alia terminata ad modum eſſendi per ſe oppoſitum modo eſſendi in alio tanquam in ſubiecto, & diſtinctum ab ipſa actione creativa Angeli, ſicut etiam datur alia actio in ipſo Angelo terminata ad alium modum eſſendi per ſe, ſcilicet ad ſubſiſtentiam.

DVBIVM V.

An generatio ab alteratione prævia, & à conſervatione differat.

Circa primum dico primo contra Caietanum, & Fonſecam. Generatio realiter diſcrepat ab alteratione prævia. Ita expreſſe Ariſtoteles hoc libro cap. 4. diſtinguens alterationem à generatione, & ſanctus Thomas quæſt. 3. de potentia art. 5. & ſuadetur facile, quia mutationes diſtinctionẽ ſpecificam ſortiuntur à terminis; ſed generationis termini ſunt eſſentialiter diverſi ab alterationis: illius enim termini ſunt ſubſtantia, & eius privatio, huius vero qualitas, & privatio ipſius; ergo, &c. Secundo, quia actiones iſtæ, & earum termini, ſaltẽ à Deo poſſunt ſeparari introducente formam in materia cũ alterius corruptione ſine diſpoſitionibus prævijs, & alteratione ulla, aut poſita alteratione prævia impediente introductionem formæ ſubſtantialis, ſicut de facto conſervat omnia panis accidentia ſine pane. Vnde quando Ariſtoteles confundit generationem cũ alteratione, ſumit generationẽ pro alteratione prævia, quæ ad generationem ſubſtantialem ordinatur ut ad finem, in quo ſenſu 6. Phyſicorũ cap. 6. dicit mutationem non poſſe in inſtanti eſſe, & 5. Phyſicorum cap. 1. generationem inter ſpecies motus enumerat; non enim loquitur tunc Ariſtoteles de generatione formæ ſubſtantialis, quomodo nunc de illa agitur.

Caietanus 1. par. q. 54. art. 3. & de ente & eſſentia quæſ. 17.
Fonſeca 1. Metaph. cap. 1. q. 5. ſect. 3. & 4.

Vide Suariũ diſp.21. Metaph.ſect.2. & Vaſq.1 p. diſp.219.ca. 10.nu.46.

Circa ſecũdum dico ſecundo. Conſervatio, quæ fit ab eodem agente, & in eundem terminum fertur cum prima productione, eſt eadem actio cum ipſa. Probatur, nam non eſt unde poſsit variari, alias enim ſequeretur visionem beatam, qua beatus primo videt Deum eſſe aliam actionẽ qua poſt perſeverat in viſione Dei, unde prima actio non eſſet beatitudo, quia illi deeſſet perpetuitas, quod eſt abſurdum, differũt ergo ſola ratione, quæ diſtinctio in eo fundatur, quod creatio, ſeu generatio, ſub hac voce connotat generationẽ eſſe prius habiti, conſervatio vero ẽ contra connotat poſſeſsionem eiuſdẽ eſſe prius habiti. Si vero agens, aut termini varientur, actiones variantur, quod liquet ex dictis ad tertium Phyſicum de individuatione, & de ſpecificatione, actionis, & motus.

DVBIVM VI.

De cauſa efficienti ſubſtantiali generationis.

EX dictis ad ſecundum Phyſicum diſputatione quarta, conſtat quænam ſit efficiẽs cauſa generationis; ibi enim diximus quo pacto ſubſtantia ut cauſa principalis, & accidentia ut inſtrumẽta in generationem ſubſtantialem influant, nunc ergo ſolum reſtat videre, an etiam in generatione hominis naturale agens attingat unionem, vel ſolum concurrat ad diſpoſitiones.

1.par.q.18. art.2.

Dicendum cum Caietano, & communi ſenſu, in generatione hominis naturale agens attingere unionem ipſam, tanquam cauſam principalem. Ratio, quia generatio eſt actio ſubſtãtialis, re, & ſpecie diverſa ab alteratione, ut ſupradictum, quæ ſolum terminatur ad diſpoſitiones prævias; ergo ſi ſolum concurrit ad diſpoſitiones per alterationem, non dicetur in rigore generare hominem. Vnde etiam generatio humana non erit univoce generatio cum alijs, neque item in ſubſtantia filij fundabitur relatio filiationis ad patrem, cuius relationis fundamẽtum eſt ſubſtantia ipſa, & actio ſubſtantialis eſt conditio neceſſaria. Firmatur ex illo Ariſtotelis, Sol, & homo generant hominem. Illo etiam ex ſecundo de partibus animalium, Homo generat hominem, ut ſtirps ſtirpem.

Rogabis hic, an ad generationem viventium perfectorum, quæ fiunt ex commiſsione maris & fœminæ, uterque parens active concurrat. Negat Ariſtoteles 1. de generatione animalium cap. 19. & 20. & divus Thomas 3.par.quæſt.32. arti.4. nam via activa generationis eſt in ſemine, fœmina autem non contribuit ſemen, ſed ſanguinẽ. Oppoſita ſententia eſt communis Medicorum, oppoſito fundamento, quam etiam tenuit Scotus in 3.diſt.4. quæſt. unica. D. Bonauen.q.1.& alij, quos ſequũtur Suarez tomo 1.in 3.par.diſpu.10. Hurtadus hic diſp.2.ſect.5.eſtq. valde probabilis, habetque ſufficiens fundamentum in Philoſophia, Medicina, & Anatomia, ut tradunt Medici, nullumque incommodum in Theologia ratione myſterij Incarnationis,

tionis, ut erudite & acute explicant Suarez & Hurtadus citati. Lege Conimbricenſes hic quęſt. 27. utriuſque partis momenta expendentes. Suaderi poteſt primo, quia vir & fœmina habent formas eiuſdem ſpeciei; ergo & eaſdem potentias & proprietates, quę formam conſequuntur; ergo & virtutem activam generandi. Secundo, quia fœmina nativo calore in materiam fœtus agit, eam diſponendo uſque ad introductionem formæ, ergo poterit hanc, vel eius unionem effective attingere; unde fœmina non tantum ſanguinem, ſed etiā ſemen ſubminiſtrat, in quo eſt virtus generationis activa, inſufficiens tamē ut ſola perficiat generationem, niſi coniungatur cum ſemine viri, & ita ſemē fœminæ, & viri concurrunt ut duę cauſæ partiales, quarum una alteram adiuvat. Nota tamen magnum eſſe diſcrimen in modo quo mas & fœmina ad generationem fœtus concurrūt; ille enim ſolum concurrit active ſemine ex ſe deciſo, qui ſui vires in generatione, phyſico concurſu gerit, cum enim ſit abſens, quando fœtus generatur, nequit per ſeipſum phyſice, & immediate concurrere; at vero fœmina, & per ſuum ſemen, & per propriam ſubſtantiam, quia eſt ſatis propinqua fœtui, cōcurrit. Vnde ſatis probabiliter deducit Hurtadus hic diſpu. 8. quæſt. 6. §. 72. Marem ſi præſens adeſſet fœtui per ſuam quoque ſubſtantiam immediate influxurum, nā cum uterque ſit Agens eiuſdem ſpeciei, neceſſe eſt habeant eandem ſpecie potentiam generandi.

DVBIVM VII.

An forma ſubſtantialis in generatione concurrat active ad ſui unionem cum materia.

PRæcipua difficultas eſt in anima rationali, quę ſupponitur prius natura creata, quā corpori uniatur.

Sit aſſertio. Anima rationalis neque actione libera, neque neceſſaria, & naturali poteſt active concurrere ad ſui unionem cum corpore. Prima pars liquet, quia anima rationalis in primo inſtanti generationis nullū habet actum liberum. Secūda, quæ eſt contra Henr. quodlibeto 11. quæſt. 14. communis tamen modo inter Philoſophos, probatur primo, nam anima nihil operatur in corpore niſi per unionem, tanquam per cōditionem neceſſariam ad agendum; ergo anima non producit ſui unionem cum corpore, cui in prima generatione unitur. Conſequētia manifeſta eſt, nam ſi anima nequit agere in corpus niſi unita illi; ergo antequam agere incipiat, ſupponitur unita, ergo nequit per propriam actionem ad ſui unionem influere. Antecedens oſtenditur, nam anima non eſt actus aſſiſtens corpori, ſed illud informans; ergo quidquid operatur in corpore, operatur ut actus iam informans; atqui actus ut informans involvit unionē, ſicut agens, quod operatur ut calidum, & applicatum iam includit calorem, & applicationem; igitur anima nihil operatur in corpore niſi ut unita.

Firmatur, quia ſi non operatur ut unita; ergo agere poteſt ante unionem cum corpore; atqui in illo priori eſſet actus tantum aſſiſtens, & non informãs; ergo cum anima nihil agat in corpore niſi ut actus informãs, debet neceſſario agere ut unita.

Secundo, anima prius natura creata, & applicata corpori non poteſt in illo accidentia, & diſpoſitiones neceſſarias ad unionem producere; ergo ſignum eſt neceſſario requirere ſui unionẽ cum corpore, ut poſſit agere in illud, ac proinde nequibit ut principium activum concurrere ad unionem in prima generatione.

Dices, anima poteſt producere ſui unionem cum novis partibus materiæ, ut contingit in aggeneratione, ſeu nutritione; ergo poteſt producere ſui unionem cum materia in prima generatione. Nego conſequẽtiam, & diſcrimen eſt, nam in nutritione iam eſt anima ut actus informans corpus, & ut talis in illo operatur, cum habeat unionẽ; in generatione vero prima non ſupponitur ut actus informans, quia nondum habet unionem, pro quo eſt aperta inſtãtia; nam etiam anima poteſt diſponere materiam ad aggenerationem, non tamen ad primam generationem. Item anima unita corpori poteſt generare alium hominem, non tamen ante unionem.

DVBIVM VIII.

De termino generationis.

EX dictis hic, & ad primum phyſicum liquet quiſnam ſit terminus à quo generationis. Nunc ergo tantum agimus de termino ad quem, qui duplex diſtinguitur: unus terminus qui, ſeu totalis; alter terminus quo, ſive formalis. Terminus ergo totalis, qui ſcilicet producitur principaliter per generationem, quique eſt in intentione prius, tametſi ſit in executione poſterius, eſt compoſitum; in generatione humana verbi gratia, terminus qui eſt homo; hic enim fit per generationem, & eſt ultimus finis, ac præcipue intentus per eam, propter quem producitur forma & unio. Compoſitum item eſt per ſe ſubſiſtẽs potiſsime. Quare audiendi non ſunt, qui aiunt totum non fieri proprie, ſed unionẽ. Quis enim videns nunc eſſe hominem, qui modo nõ erat, neget factum eſſe hominem? ad quod ſufficit unionem fieri; productio enim unionis eſt formaliter productio totius compoſiti. Atque talis loquendi modus eſt familiariſsimus Ariſtoteli, & authoribus communiter, quos referunt, & ſequuntur Conimbricenſes hîc lib. 1. cap. 4. quæſt. 11. artic. 2.

De termino quo & formali Vaſquez vult eſſe ſolã formã, & non unionem. Fere eſt controverſia de modo loquendi. In qua tamen primo negari non poteſt, id quod immediate producitur per actionem eſſe terminum ad quem actionis. Ratio, quia terminus

Tom. 2. in 1. p. diſpu. 61. & to. 2. in 3. p. diſp. 19. c. 2.

minus ad quem actionis eſt ille ad quem terminatur actio; ſed terminatur ad id quod producit; productio enim eſt ad productum; ergo eſt terminus actionis id quod producitur. Firmatur: Id quod producitur immediate eſt finis immediatus producentis, ergo eſt terminus immediatus.

Deinde certum eſt, compoſitum denominari genitum per ſolam generationem unionis, ut liquet in homine; ergo in homine certum eſt unionem eſſe id quo tanquam termino totum compoſitum denominatur genitum: inquam tanquam termino, nam tanquam ratione agēdi denominatur à generatione. Conſequentia probatur, quia quod convenit toti, convenire debet ratione eorum quibus conſtat; ſed utraque pars hominis, ſive diviſim, ſive collectim accepta creatur; ergo à ſola unione habet homo eſſe genitum ut terminum totalem.

Ex his ergo certum videtur fieri, terminum quo, ſeu formalem generationis in homine eſſe ſolam unionem animæ cum materia; in alijs compoſitis materialibus eſſe formam unitam materiæ. Vtrumque patet ex dictis. Et firmatur, quia terminus formalis eſt qui fit exſiſtens per actionem immediate, quia immediate producitur ab agente, ac proinde qui dat actioni ſpeciem; ſed forma ut unita materiæ, vel ſola unio eſt eiuſmodi, ut diximus; ergo, &c. Illud etiā de compoſitis materialibus per ſe confirmatur, nam in illis generans immediate attingit adæquate formam & unionem, imo prius ratione intelligitur producta forma, quam uniri; unio enim ſupponit aliqua ratione extrema; ergo adæquatus immediatus terminus formalis in illis compoſitis neque eſt ſola unio, neque ſola forma, ſed forma unita.

Quod ſi obijciant. Terminus formalis eſt, qui conſtituit eſſentialiter terminum totalem, ſicut in divinis eſſentia divina eſt terminus formalis generationis Verbi, non vero ſubſiſtentia ipſius Verbi; ergo terminus formalis non eſt ille qui immediate producitur. Diſtinguo antecedens: Terminus formalis communicatus, qui eſt quaſi finis generationis eſt ille, concedo antecedens. Eſt terminus formalis in ratione producti, nego antecedens. Atque ita in generatione Verbi divini eſſentia divina eſt terminus formalis communicatus, non autem productus: nam terminus formalis in ratione producti eſt ille, à quo totum dicitur productum, & talis eſt perſonalitas Verbi, quam Pater producit, & à quo totum verbum dicitur genitum, non vero eſt eſſentia; huic enim ſemper convenit eſſe improductam.

Obijcit ſecundo Vaſquez ſecundo loco citatus. Terminus formalis reſurrectionis non eſt unio, ſed anima; ergo neque primæ generationis. Diſtinguo ſimiliter antecedens. Anima eſt terminus formalis communicatus, quia eſt quaſi finis generationis, aut reſurrectionis per quam conſtituitur homo; non autem terminus formalis productus. Diverſimode autem de formis materialibus, nam hæ tametſi ſint etiam terminus communicatus, ſunt tamen etiam termi-

nus immediate productus; ideo in his compoſitis terminus formalis non eſt ſola unio, ſed forma unita materiæ, ut diximus.

DVBIVM IX.

Num agens creatum aliquid creare valeat.

PRimo compertum eſt, de facto nullam creaturā aliquid creaſſe; ſolum enim Deū rerum omnium creatorem eſſe agnoſcit fides, & ſancti Patres docent, præſertim Auguſtinus 12. de civitate cap. 14. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, in fine. Hinc fit nullam creaturá de facto habuiſſe poteſtatem creandi: nam non eſt veriſimile Deum huiuſmodi facultatem conceſsiſſe alicui creaturæ, & uſum eius illi non permittere. An vero de poteſtia abſoluta talia potẽtia creaturæ communicari poſsit, eſt præſens controverſia. In qua

D. Tho. 1. p. q. 44. art. 5. & communiter Thomiſtæ contra Durãdum in 2. diſtin. 1. q. 4

Aſſero primo. Nulla creatura adhuc miraculoſe valet eſſe principalis cauſa creationis. Suadetur primo, quia de facto nulla creatura habet talem poteſtatẽ, ergo nulla eſt poſsibilis talis poteſtatis capax. Conſequentia liquet, quia ſi talis creatura eſſet poſsibilis, conſtitueret alium ordinem & gradum rerum, præter eos qui nunc ſunt, cum haberet altiorem modum operandi, nempe independenter à ſubiecto; ergo ad complementum, & perfectionem univerſi pertineret talis creaturarum ordo; ſed de facto in univerſo nõ eſt; ergo &c. Secundo, quia potentia principalis creandi deberet reſpicere omne ens creabile, quia cum ageret pendenter à ſubiecto non videtur limitari poſſe in operando. Cur enim talis potẽtia creare poſſet has rerum ſpecies, & non alias? ergo talis potentia eſſet infinita, ac proinde impoſſibilis. Tertio, quia cum omnis creatura mutabilis ſit, & conſtãs ex actu & potentia, non eſt veriſimile eſſe capacem potentiæ agendi, niſi per eductionem producendo actum in potentia paſſiva. Patet, quia modus operandi proportionatur modo eſſendi, & cum Deus ſit puriſsimus actus, talis poteſtas illi apprime quadrat.

Dices, rationem ſolum procedere de potentia naturali creaturæ, non vero de ſupernaturali à Deo indita. Sed in primis cum argumentum procedat de quacũque re creata, procedit etiam de quavis potentia ſupernaturali. Secundo, quia quęlibet potentia ſupernaturalis debet eſſe accidens, quod cum ſit natura ſua pendens à ſubiecto, habere non poteſt pro connaturali modo agendi, operari extra ſubiectum; ergo nulla creatura adhuc per virtutem ſupernaturalem poteſt eſſe virtus principalis creandi.

Ex his collige, nequire dari creaturam, quę habeat virtutem connaturalem adhuc inſtrumẽtalem ad creandum, quia omnis potentia activa naturalis reſpicit aliquam paſsivam in qua operetur.

Aſſero ſecundo. Divinitus nõ implicat creaturã aſſumi à Deo ut inſtrumentum ad creandum. Probatur, quia in hoc nulla apparet implicatio; inſtrumentum enim non debet eſſe proportionatum effectui; ergo licet virtus

Ita Magiſter in 4. diſt. 5. Palacios in 2 diſt 2 q. 4. Suarez. q. 10

tus creaturæ improportionata ſit, poterit elevari à Deo ut attingat creationem. Secundo, Ignis concurrit active ad generationẽ formę ignis; ergo poteſt concurrere ad productionem illius etiam ſi fieret extra materiam per creationem. Cur enim non poterit Deus ſupplere cauſalitatem materiæ, etiam ſi forma fiat ab agente naturali? Vnde tametſi producere per Creationem, tanquam per cauſam principalem, dicat infinitam virtutem, non tamen producere per creationẽ, tanquam per inſtrumentum per potentiam obedientialem, quia inſtrumentum agit in virtute cauſæ principalis, & cum ſubordinatione ad illam.

DVBIVM X.

Num aliqua accidentia recipiantur immediate in toto compoſito.

AFfirmant communiter Thomiſtæ de quantitate, & pleriſque qualitatibus media ipſa, oppoſita tamen ſententia quæ cõmunior eſt, nobis eſt amplectenda. Pro qua

Dico primo. Subſtantia per ſe ipſam eſt immediatum ſubiectũ aptum ad recipienda, & ſuſtentanda accidentia. Hæc concluſio eſt contra Sonci. 12. Metaphyſ. quęſt. 16. & alios, aſſerentes accidens recipi in ſubſtantia media potentia accidentali ad idem prædicamentum accidentis pertinente propter illud commune axioma, Potentia & actus ſunt in eodem genere. Probatur concluſio, nam ſi ſubſtantia recipit verbi gratia, quãtitatem, media aliqua re diſtincta, quæ ſit potẽtia ad recipiẽdam quantitatem, quæro an res illa ſit ſubſtantia, vel accidens. Si ſubſtantia, ergo iam ponitur ſubſtãtia immediate, & per ſeipſam receptiva accidentis. Si eſt accidens, utique eſt in aliquo ſubiecto proximo. Quęro igitur, an illud ſit potentia accidẽtalis realiter diverſa, vel ipſamet ſubſtantia. Si hoc ſecundum, habetur intentum. Si primum dixeris, de illo accidẽte idem iterum quæram, ſicque prodeundũ in infinitum, vel in ipſa ſubſtantia tandem ſiſtendũ erit, itaque licet ſubſtantia uniri poſsit alicui accidenti medio alio, ut poſtea dicetur; tamen cõparando ſubſtantiam ad totam collectionem accidẽtium, neceſſe eſt ut tandem aliqua ſubſtantia, & aliquod accidens immediate uniantur, id eſt nulla media re diverſa ab extremis unitis. Idem argumentum applicatum convincit, receptionem accidentis in ſubſtantia fieri non poſſe medio aliquo modo, non actualis unionis, de quo dictum in Phyſicis, ſed de modo aliquo potentiali, hoc eſt media aliqua potentia ex natura rei diverſa, tanquam modo.

Infertur ex hac concluſione, quod inſinuavi in Logica ad caput de Qualitate, nullam dari potentiam accidentalem purè receptivam re ipſa diverſam à ſubſtantia: quod brevi inductione oſtendi poteſt: nã in ſubſtantijs corporeis inanimatis nulla eſt receptiva potentia accidentalis accidentium, niſi quãtitas; at illa nõ eſt per ſe prima potẽtia receptiva, ſed eſt forma dans ſubſtantiæ materiali corpoream

poream molem, & extenſionem impenetrabilem. In viventibus autem ut ſic.non agnoſcimus po tentias aliquas pure paſsivas: nam omnes, quæ conveniunt vi ventibus, ut viventia, ſunt aliquo modo activæ, quod etiã cernitur in ſubſtantiijs Angelicis; ergo præciſe ob recipienda acci dentia non oportet fingere in ſubſtantiis potentias diſtinctas. Ratio à priori eſſe videtur, quia accidens additur ſubſtantię creatæ ad illam perficiẽdam, & ſupplendum id, quod ipſa propter ſui limitationem per ſe ipſam habere non poteſt; ergo neceſſe eſt ut in entitate talis ſubſtantiæ intime includatur capacitas ad recipienda accidentia. Ad axioma vero illud dico, communiorem ſenſum, & pluribus acceptum eſſe, ut nomen genus late ſumatur pro generalibus rationibus ſubſtantiæ, & accidentis, ita ut potentia per ſe ordinata ad actum ſubſtantialem ſit ſubſtantialis, ad accidentalẽ accidentalis; non autem quod ſit opus neceſſario, ut potentia & actus ſint eiuſdem prædicamenti accidentis, quãquam id ſit verum in ſubſtantia, eo quod ſubſtantiæ unicum ſit prędicamentum. Vide Suarium diſpu. 14. Metaph. ſect. 5. nu. 11.

Dico ſecundo. Subſtantiæ ſimplices per ſe ſubſiſtẽtes ſufficiẽtes ſunt ad recipienda accidentia ſibi proportionata. Suadetur ratione generali: omnis enim creata ſubſtantia, quia potentialis eſt, & imperfecta, eſt capax accidentium, cum vero ſit per ſe ſubſiſtens, erit etiam ſufficiens ad ea ſuſtentanda, nam de ratione ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe, & ſubſtare accidentibus.

Dico tertio. Nullum accidens immediate recipitur in toto cõpoſito ſubſtantiali tanquam in ſubiecto inhæſionis. Hæc concluſio conſtabit ſatis ex dicendis. Nunc probatur ſpeciatim. Dupliciter enim intelligi poteſt accidens ſubiectari in toto compoſito. Primo, ita ut accidẽs ſecundum unam partem inhæreat formæ, & ſecundum alteram materiæ. Secundo, ita ut ſecũdum ſe totum in utraque recipiatur. Ex primo nõ ſequitur idem accidens inhærere in eo eodem compoſito, ſed unam partem in uno, & alteram partem in altero, atque adeo eſſe per partes in ſubiecto, quod eſt contra adverſarios. Secundum vero dici non poteſt; ſequitur enim idem accidens ineſſe naturaliter duobus ſubiectis, quod de partialibus, etiam non admittitur. Sequela probatur, nam idem illud accidens haberet unam unionem ad materiam, & alterã ad formam; aliter enim intelligi non poteſt quo pacto ineſſe poſsit utrique, ergo &c.

Dices cum Vanez 1. de generatione quæſtione 9. omnes relationes ſubiectari in toto compoſito, etiam relationes materię primæ; vel ſaltem videtur non poſſe negare relationes totius ad quamlibet partem recipi in toto. Falſum tamen eſt quod ait Baſies, in omni opinione de Relatione. Primo, quia relatio creaturæ, quæ eſt in materia ad Deũ ut creantem, nequit eſſe in toto, vel in forma materiali, cum eorum neutrum per creationem fiat. Secundo, relatio idemptitatis, quã dicit materia hominis, verbi gratia ad materiam leonis, non poteſt eſſe in forma, vel in

in compoſito, nam tam totus homo, qua̅ eius forma ſpecie differunt à toto leone, & forma ipſius. Idem dicendum de relatione potentiæ quam dicit materia ad formam, & de relatione diverſitatis ad ipſam. Tertio, nã ſi aliqua ex relationibus, quas dicit materia ad formam, eſſet in toto, cum totum includat materiam, ſed etiam formam, talis relatio tam eſſet in materia, quam in forma, unde tam eſſet in termino, quam in fundamento, quod eſt abſurdũ. Quoad alterum dico, tametſi totum referri videatur realiter ad quamlibet partem ut unitam alteri, hãc tamẽ relationẽ proprie non eſſe totius, ſed partis, quia toti ſolum convenit per unam partem referri realiter ad alteram.

Dico quarto. Quãtitas non in toto, ſed in ſola materia prima recipitur. Suadetur primo. Quantitas in homine recipitur in ſola materia, & non in anima rationali; ergo in quovis alio compoſito. Conſequẽtia optima eſt; ſi enim in homine materia eſt ſufficiens ſubiectum ad quantitatem, & hæc illa ſola contenta eſt, cur non idem erit in alijs? Antecedens oſtenditur, tum in communiori opinione, quæ negat accidens corporeũ poſſe recipi in ſubiecto ſpirituali propter improportionem; tum quia nulla forma ex natura rei inhæret ſubiecto, cui nequit tribuere effectum formalem, nam otioſa eſſet in illo; ſed quantitas non tribuit ſuum effectum animæ rationali; ergo neque ipſi inhæret. Minor patet, nam ſive effectus quantitatis (ut volunt Thomiſtæ) ſit tribuere partes extra partes, & earum diſtinctionem, ſive (ut nos credimus) partiũ extenſionem Impenetrabilem, neuter cadit in animum, cum ſit partium expers, ergo ei quantitas nec tribuit, nec poteſt tribuere ſuum effectum formalem.

Ita Phyloponus, Auerroes, Simplici⁹ qui pro ſe adducit Ariſtotelem, & Platonem Suarez diſp. 14. Met. ſect. 3. n. 43. Conimbri. 1. de gene. cap. 4. q. 4. ar. 1. & 3 & 4. Hurtadus diſp. 6 Phyſi. à §. 22. & alii quos citant Conimbric.

Secundo, quantitas eſt diſpoſitio in materia formæ introductioni aliqua prioritate præcurrens, ſed in illa prioritate nondũ intelligitur forma, ergo nec quantitas in illa recepta, ſed in ſola materia. Maior patet, nam agens corporeum & extenſum operari non valet, niſi in ſubiecto quanto, & actu extenſo.

Tertio. Materia prima eſt ſufficiens ut cauſet materialiter quantitatem; ergo in illa ſola, & non etiam in forma recipietur. Conſequentia eſt optima, nam uni accidenti ſufficit una cauſa materialis, & receptiva habens ſufficientem vim. Antecedens eſt manifeſtum, tum quia eſt ſufficiens ad cauſandam materialiter formã corpoream ſubſtantialem, tum quia non obeſt eſſe entitatem partialem, nam rationalis animus partialis quoque entitas eſt, & tamen ſufficiens ad cauſandam materialiter, & recipiendum intellectum & voluntatem, ergo &c.

Dices, quantitatem debere recipi in forma materiali ut eam extendat. Sed contra, nam accidentia materialia ad extenſionem materiæ quantę extendantur, quin in ipſis uti ſubiecto quantitas recipiatur, igitur & forma ſubſtantialis ad materiæ quantę extenſionem poterit extendi quin ipſa ſit quantitatis ſubiectum.

Dico quinto. Qualitates materiales recipiuntur immediate

Ita D. Tho. 3. p. q. 77. ar ti. 2. Durand. in 1. diſt. 8. 2. p. q. 4. nu. 15. Pater Suarez diſp. 14. Met. ſec. 4. & tom 3. in 3. par. 56. ante primam ſect. & poſtea in ſect. 3. & ſupponitur cō muniter à Theologis.

in quantitate. Probatur primo, fundamento theologico, nam in ſacra Euchariſtia qualitates panis & vini poſt conſecrationem inhærent quantitati: ſic D. Tho. D. Bona. Scotus, & utriuſque ſchola, & alij, quos citat Suarez ſupra, qui omnes ſimiliter ſupponunt, eodem modo inhærere quantitati ante cōſecrationem: docent enim talem inhærētiam qualitatum in quantitate in ſpeciebus cōſecratis, nō eſſe ex ſpeciali miraculo diſtincto à conſtitutione quantitatis extra ſubiectum, ſed quia ante conſecrationem erat, & per conſecrationem non tollitur, ſed manet, atque adeo per conſecrationem nullam fieri mutationem in qualitatibus ex pane, & vino remanentibus. Quę omnia ſecus eſſe debēt ſi vera eſt contraria ſententia. Dicendum enim eſſet, omnes qualitates realiter diverſas poſt conſecrationem manere divinitus cum ſingulis modis per ſe eſſendi; quod non admittitur à Theologis, & eſt ſine neceſsitate miracula multiplicare. Sequeretur etiam non poſſe ſpecies cōſecratas naturaliter alterari, aut calor, verbi gratia, intendi, niſi per actionem creativā, quod eſt falſum: unde etiam nec calor, & frigus poſſent inter ſe pugnare, nec maxima unius intenſio alterius remiſsionem cauſare; tantum enim pugnant inter ſe formaliter in ordine ad idem ſubiectum, quod per contrariam ſententiam nullum habent.

Secundo probatur ratione metaphyſica, nā nulla eſt in natura repugnantia, quod unum accidens recipiatur in alio, tanquā in ſubiecto: licet enim nullum accidens eſſe poſsit primū & fundamentale ſubiectum alterius accidentis, quod dici ſolet ſubiectum quod, quia nullū accidēs poteſt ſuſtentare aliud, quin utrumque in altero ſuſtentetur, in quo progreſſu procedi non poteſt in infinitum; neque etiam ſiſti poteſt in aliquo accidente, aliàs tota collectio accidentium non eſſet in alio, ſed in ſe, quod repugnat naturæ accidentis, atque adeò neceſſario deveniendum ſit ad ſubiectum ſubſtantiale; tamen unum accidens eſſe poſſe proximam materialem cauſam alterius accidentis, communis eſt ſenſus in Metaphyſica, & docetur expreſſe ab Ariſtotele in 4. Metaph. quamvis item nō omne accidens poſſit in alio accidente proxime inhærere, quia cum tota collectio debeat neceſſario inhærere ſubſtātiæ, neceſſe eſt aliquod accidens immediate ſubſtantiæ inhæreat; tamen aliquod accidens inhærere poſſe proxime alteri accidenti, tanquam ſubiecto quo, ut dicitur, negari non debet. Vnde fit, & communiter conceditur, ut quædam accidentia inſint ſubſtantiæ medio alio accidente, & inductione, liquet: nā actus intellectus inſunt ſubſtantiæ ſpirituali medio intellectu, & actus voluntatis media voluntate; ergo ſimiliter qualitates materiales inhærent materiæ media quantitate, quam omnium eſſe ſententiam ait Suarez loco citato Metaphyſicæ. Et de quantitate eſt ratio peculiaris, nam qualitates, quæ datæ ſunt ſubſtantię ad operationem, ſunt productivę aliarum qualitatum; ergo quantitas, quæ materiæ datur ad receptionem, tanquā diſpoſitio, ſcilicet ad recipiendas for-

formas, eſt etiã receptiva forma rũ, ſaltem accidentaliũ. Etenim ſi quantitas eſſe dicitur proprietas materiæ, participare debet natura ſua conditionem recipiẽdi, & materializandi; non reſpectu formarum ſubſtantialium, quæ ſunt ei improportionatæ, ſed reſpectu accidentalium, quæ ei proportionatæ ſunt. Confirmatur inductio facta, nam habitus operativi immediate inhęrere debent potentijs ad quas adiuvandas ordinantur, cũ præbent inclinationem, & facilitatem potentijs, quare informare debent potentias, & in eis proxime recipi. Sic ſcientia recipitur in intellectu, & ſpecies impreſſæ in potentia cognoſcente ipſis proportionata. Sic docent Theologi fidem eſſe in intellectu, & charitatem in voluntate. Eadem, & maior ratio debet eſſe de actibus vitalibus, qui eſſentialiter ſunt actus immanentes, ideoque neceſſe eſt recipi in me diate in proximo & immediato principio à quo fluunt.

Ad completam intelligẽtiam huius ſecundæ rationis obiter nota in præſenti quod docet Pater Suarez diſp. Metaph. 14. ſect. 1. & conducit apprime ad præſens intẽtum de compoſito accidentali, ſcilicet entitatem accidentalem in abſtracto ſumptam non habere cauſam materialem ex qua intrinſece compo natur, ſed hoc modo dici cauſam materialem accidentis in concreto, ſeu compoſiti accidentalis. Prima pars oſtẽditur, quia tota ipſa entitas accidẽtalis eſt quędam forma; ergo non eget compoſitione intrinſeca, & reali ex propria materia, & forma. Conſequentia patet, quia forma ut forma non poſtulat, nec admittit compoſitionem ex potentia, & actu realiter diverſis, ut conſtat in ſubſtantialibus, & ex doctrina tradita de principijs. Antecedens declaratur, quia tota entitas accidẽtalis eſt in ſubiecto, tanquam forma; ergo nequit intrinſece eſſe compoſita ex materia. Quare qui in accidente, ut referũt Soncinas & Xavellus, ponebant dictam compoſitionem ex materia, neceſſe eſt fateãtur ipſi illam partem quã materiam vocant alterius partis formalis, eſſe reſpectu ſubiecti formaliter, & intrinſece actum & formam, ſaltem partialem. Vnde erit intrinſece, & eſſentialiter materia, & forma, quod eſt abſurdum. Vnde probatur altera pars, nam compoſitum accidẽtale intrinſece conſtat ex ſubiecto, & accidente, in qua compoſitione accidens rationem habet formæ; ergo ſubiectum habet rationem materialis cauſæ. Quare cauſalitas hæc reſpectu compoſiti accidentalis eſt pari modo explicãda atq. in ſubſtãtiali: ipſum enim cõpoſitũ in cõpoſitio ne eſt effectus talis cauſæ. Ratio, ſeu principium cauſandi eſt prima potentia, vel entitas, per quã ſubiectum recipit accidens. Cauſalitas vero in re non eſt aliud, quam unio accidentalis formæ ad ſubiectum, qua media ex ſubiecto & accidente unum compoſitum coaleſcit, quæ etiam unio una ſufficit ut ſupra. Ex his tamen ulterius non tollitur accidens quoad ſuam entitatem accidentalem præciſe, & abſtracte ſumptam habere materialẽ cauſam, non quidem ex qua componatur, ſed qua in ſuo eſſe ſuſtẽtetur. Vnde illa non eſt tantum

materialis cauſa accidētis quoad unionem, ſed etiam quoad eius entitatem, quam in ſuo genere cauſat, neque tantum eſt cauſa in facto eſſe, ſed etiam in fieri. Quæ ſufficienter probantur ex natura accidentis, & eius dependentia à ſubſtantia.

Tertio probatur phyſica ratione. Videmus enim albedinē in ſuperficie extenſam, & ſuperficiem in extenſione albam, calorem etiam cum per corpus diffunditur in eius quantitate extēdi; hoc vero non quia illæ qualitates in ſe quantitatem recipiant; ergo quia recipiuntur in quantitate. Confirmatur. Experimur in Euchariſtia albedinem exſiſtentem in ſpeciebus conſecratis eſſe ita extenſam in loco, ut penetrari nequeat ab alio corpore; ſed iſte eſt effectus formalis quantitatis; ergo id habet à quantitate; ergo vel quia quantitas eſt in albedine ut in ſubiecto, quod nullus dicit, vel quia albedo eſt in quantitate, quod intendimus. Neque videtur quo alio modo id fieri poſsit; nam ſi non uniuntur ad modum actus, & potentiæ, ſola remanet concomitantia in pręſentia locali, quę non ſufficeret ad illum effectū, ut per ſe conſtare videtur.

Dices, inde tantum fieri, quantitatem eſſe diſpoſitionem neceſſariam in ſubiecto, ut alia accidentia corporea poſsint in ipſo eſſe connaturali modo, & extenſo, non tamen quantitatem eſſe ſubiectum proximum cui talia accidentia vere inhæreant, ſicut de ſubſtantiali forma etiam dicitur non ingredi in materiam niſi extenſam, & quantam, ea vero ſuppoſita diſpoſitione immediate coniūgi entitati materiæ, & illi coexiſtendi; ergo ſicut forma materialis quanta redditur, & impenetrabilis, eo ſolū quod recipiatur, & uniatur materiæ quantę, idē erit de qualitatibus. Reſpondeo, illud abſolute ſufficere ad effectum quanti, & extēſi, tamen nunc eſſe diverſam rationem, nam ſubſtantialis forma cū ſit ordinis ſuperioris, eſt improportionata, ut accidenti proxime inhæreat. Item nō unitur per modum accidentalem, ſed ſubſtantialē, ideoque immediate debet ſubſtantiæ uniri ut unum per ſe faciat. At qualitas corporea eſt accidens, & per modum accidentalem unitur, quare proportionata eſt ut poſsit accidenti proxime inhærere, & inhærere quantitati probāt rationes factæ; ergo quando talis eſt qualitas (qualis eſt omnis materialis) ut per ſe, & neceſſario in ſubſtantia ſupponat quātitatem ad hoc ut mediante illa recipiatur, cum maiori fundamento dicitur in illa recipi immediate.

Collige ex dictis quatenus unum accidens eſſe poſsit reſpectu alterius ſubiectum Quo, aut Quod (ut vulgo loquūtur Philoſophi.) Nā ſi per ſubiectūQuod, intelligatur, ut frequentius intelligitur, quod eſt primum fundamentum, & quaſi baſis totius cauſalitatis materialis, ut ſic nullum accidēs dici poteſt ſubiectum Quod, prout dixi, nam illud ſoli convenit ſubſtantiæ, & iuxta hunc ſenſum dicitur accidens, quantitas verbi gratia, eſſe ſubiectum Quo, quia eſt id, quo mediante, tanquam vere recipiē te, & ſuſtentante ſubſtantia recipit, & ſuſtentat alia accidentia. Vitādum tamē in hoc quoddam extremum; nam alio ſenſu

dici

dici poteſt accidens eſſe tantum ſubiectum Quo, alterius accidentis, & nõ Quod, ſcilicet non per veram inhæſionem, ſed quatenus tantum eſt neceſſaria conditio, vel diſpoſitio præerequiſita in ſubiecto, ut aliud accidens ei poſsit inhærere; quo pacto dicunt aliqui, diaphaneitatẽ habere ſe ad lumen, & quo pacto quantitas ſe habet ad formam ſubſtantialem: & hoc ſenſu quãtitas, ut dixi, non tãtum eſt ſubiectum Quo qualitatũ, ſed etiã Quod: nam iuxta hunc ſenſum illud accidens non eſt vera cauſa materialis alterius, niſi tantum, quatenus cauſa diſpoſitiva ad materialem reducitur; quo pacto etiam accidens eſſe poteſt materialis cauſa ſubſtãtię. Quãtitas uero, ut ex dictis conſtat, vere recipit in ſe qualitates, & in ſe proxime terminat inhæſionem, & unionem earum; quare ipſis in eo ſenſu dici poteſt eſſe ſubiectum Quod, nõ quidem primum, ſed tamen proximum. Colligitur etiam, pleroſque ex autoribus, qui negant unum accidẽs eſſe poſſe materialẽ cauſam alterius, tantum negare de ſubiecto Quod primo radicali, & fundamentali.

11 Rogabis, an omnia accidentia materialia in materia recipiantur? nam potentiæ vitales etiam quæ pure ſpirituales non ſunt, non videntur ſubiectari poſſe in materia, alioquin denominabitur ſentiens, videns, nutriens, quę denominationes tribuuntur animæ, aut compoſito. Reſpondeo, accidẽtia corporea, etiam potentias vitales, quæ ſpirituales non ſunt in materia ſubiectari. In hoc ergo regula eſt compoſitum humanum, tanquam omnium accuratiſsimum: conſtat autem in homine, eiuſmodi potẽtias recipi in ſola materia; cum enim materiales ſint, eſſe non poſſunt in ſola anima, in qua tantum ſunt accidentia pure ſpiritualia: credendum vero non eſt potentias haſce materiales in homine non eſſe modo ipſis cõnaturaliori, & aptiori; ergo idem erit dicendum de alijs compoſitis, eorum ſcilicet proprium & cõnaturale ſubiectum eſſe ſolam materiam. Earum porro denominationes veriſsimè tribuuntur animæ; tum quia ipſa eſt principium effectivum earum potentiarum; tum etiam, quia ad earum actus vitales non ſolæ potentiæ concurrunt, ſed anima etiam per ſuam ſubſtantiam, tanquam univerſale principium omnium actuum vitalium. Deinde vero tribuuntur etiam tales denominationes cõpoſito; hoc enim ſimpliciter habere dicitur, quod ratione alicuius partis habet. Vnde ſicut dicitur intelligens, licet proprius ſola anima intelligat, melius dicetur ſentire, & videre, cum hoc ei ſecundum utramque partem poſsit convenire. Commune quippe eſt dictũ Philoſophorum, compoſitum eſt principale ſubiectum denominationis omnium accidentium, ut conſtat ex teſtimonio illo Ariſtotelis. Anima non tegit, nec iraſcitur. Imo divus Thom. 1. par. quæſt. 75. artic. 2. ad primum, dixit magis proprie dici hominem intelligere per animam, quam animam intelligere, licet anima ſit ſubiectum cui inhæret intellectus. Et ratio eſt, quia ſicut totum vere habet partes, ita vere habet omnia accidentia, quæ in earum *2. de Anima cap. 4.*

earum utralibet recipiuntur; ergo vere denominabitur ab illis. Immo ſicut partes ſunt propter totum, ita & earum accidentia; unde totum eſt, quod præcipue denominatur ab omnibus. Addo tamen etiam materiam, vel corpus denominari poſſe ſentire, videre, nutrire medijs facultatibus effectivis earum operationum, cum in ſe vere recipiat immediate tales potentias, & mediate earum actus.

DUBIUM XI.

An totum compoſitum dum interit reſoluatur vſq. ad materiam primam.

Senſus dubij (quod fere eſt expeditum dubio tranſacto) eſt, an quando unum compoſitũ corrumpitur ad alterius generationem, ita pereant omnia, quæ erant in illo, ut nulla accidentia, nec quantitas, niſi ſola materia prima maneant in genito.

Ita Suarez diſput. 14. Met. ſec. 3. num. 20. & 37. Hurtad. hic diſpu. 1. ſec. 5. & plures ex antiquis & recentioribus, contra Thomiſtas, Conimbricẽſes, Vazquez, & Rubium citatos ab Hurtado.

Sit aſſertio. In corruptione nõ fit reſolutio uſque ad materiam primam. Suadetur primo, quia ſi non manerent eadem aliqua accidentia quæ erant in corrupto, nunquam introduceretur forma ſubſtantialis cum ultima diſpoſitione, nam hæc nunquam daretur, quod eſt contra omnes. Probatur, nã calor ut octo v. g. ut eſt ultima diſpoſitio ad formam ignis, eſt qualitas determinata per aliquod indiviſibile, quod eius latitudinẽ claudit, atque ita antequam eo indiviſibili terminetur calor, nondum eſt ultima diſpoſitio, nam in partibus diviſibilibus non datur ultima, & ante illius indiviſibilis productionem, adhuc forma præexſiſtens cum ſuis diſpoſitionibus conſervatur; atqui diſpoſitio iſta non terminatur in tempore antecedente inſtans generationis; indiuiſibile enim terminans non fit in partibus temporis antecedentis, neque in alio inſtanti cõtinuativo illius, quia in nullo adhuc productę erant omnes partes qualitatis, unde neque earum terminus, ergo producitur illud indiviſibile in inſtanti generationis, ergo adhuc exſiſtit tunc qualitas illa quam terminat; aliàs exſiſteret naturaliter indiviſibile ſine partibus; ſed tunc iam non exſiſtit compoſitum corruptum, cũ inſtãs generationis intrinſecum eſt primum non eſſe talis compoſiti, ergo remanet in genito idem calor qui fuerat in corrupto. Hoc argumentum urget magis eos, qui admittunt proprias diſpoſitiones cõcurrere effective ad productionem formæ ſubſtantialis. Etenim ſi in inſtanti generationis, in quo introducitur forma, iam non fiunt diſpoſitiones ad illam, ergo præterquam quod unitur forma materiæ indiſpoſitæ, quia reciperetur in materia nuda, & non magis ad hanc, quã ad aliam formam determinata, ſequitur etiã accidentia illa nullo modo cauſaſſe formam intro ducendam, neque diſpoſitive.

Reſpondent aliqui Thomiſtę, ut accidentia illa cenſeantur diſpoſitive cauſare introductionẽ formæ, ſufficere quod immediate antea fuerint. Sed contra, primo à priori, quia actio eſt modus realis præſupponẽs cauſam realem, ſed cauſa non exſiſtens ſine

ſimpliciter eſt nihil, ergo ab ea nequit procedere realis actio. Probatur minor, quia in eo inſtāti eſt verum dicere nunc non eſt cauſa. Conſequentia patet, quia modus exſiſtere non poteſt ſine re cuius eſt modus, ergo cauſa non exſiſtente non poteſt exſiſtere eius cauſalitas. Secundo ab entitate in inſtanti antequam res exſiſtat, nō poteſt phyſice cauſare, ergo neque in inſtanti poſtquam extitit. Probatur conſequētia, quia ſicut ultimum inſtās eſt terminativum durationis præcedentis, & ut ſic ad eam cenſetur pertinere; ſimiliter primum eſt initiativum eiuſdem durationis; nam tota duratio cauſæ clauditur duobus illis inſtantibus. Itē cauſam extitiſſe tantum eſt extrinſeca denominatio in illo inſtanti; & ſimiliter in inſtāti initiativo; ſicut enim in uno immediate antea fuit, in altero immediate poſt erit, & poſtquam fuit, nullam virtutem relinquit magis quam antequam eſſet, nam fuiſſe nihil magis eſt actu, quam fore tertio, ad hominem, nam in ſententia Thomiſtarum cauſa materialis non valet recipere accidentia niſi actu exſiſtens, ergo neque cauſa efficiens. Probatur conſequentia, quia non minus pendet effectus ab efficienti quā à materiali cauſa, imo verius & proprius: quare conſequentes non ſunt Thomiſtæ, qui cū aſſerant, accidentia corrupti perire, quia perit compoſitum, ſeu forma à qua ſuſtentabantur, ſtatim dicunt formam geniti phyſicè effici à talibus accidentibus iam corruptis; nulla enim maior ratio eſt de uno, quam de altero.

Reſpondent alii, accidentia quidem non manere in eo inſtāti, relinqui tamen ab ipſis modum quendam in materia, quem vocant ſigillationem, quo materia manet diſpoſita, & determinata ad hanc formā potius, quā ad aliam, & ratione talis modi accidētia dici diſponere ad unionem formę ſubſtantialis. Sed cōtra, primo, quia talis entitatis additio ſine ullo fundamento ponitur ſolum ob effugium inutile. Secundo talis modus eſſe nō poteſt ſubſtantialis, ut liquet ex terminis; accidit enim materię, eiq. adeſt, & abeſt; producitur item à ſolis accidentibus, ergo eſt accidentalis, ergo iam non fuit facta reſolutio uſque ad materiam primam; ſiquidem manet illa ſigillatio accidentalis. Demum nō fugitur difficultas, quia illa ſigillatio perfecta materiæ non potuit induci ante inſtans generationis, quia ante illud inſtans nunquam fuit materia diſpoſita; ſed tunc iam non ſunt accidentia; ergo neque potuit ab eis hęc entitas, aut modus, vel ſigillatio cauſari magis quam forma.

Quod ſi vellint accidentia nō eſſe diſpoſitiones ad generationem formæ, adhuc convincitur manere poſſe, ac debere, poſita etiam opinione Thomiſtarū de receptione accidentium in toto compoſito. Nam una ex parte, accidentia illa non habent eſſentialem incompoſsibilitatē cum forma genita; ſunt enim ut ſuppono, accidentia cōmunia utriq. compoſito, ut quantitas, & ſimilia: & ex alia parte forma quę fit habet ſufficientem virtutem ad illa ſuſcipienda, ergo illa recipit in eo inſtanti. Patet, quia idē permanet effectus, quando ſublata una cauſa, ſuccedit altera eiuſdem virtutis ad talem effectum,

ut

ut liquet in calore producto ab igne, & à ſole conſeruato; ſed hic ſuccedit forma genita abſcedente forma corrupta: ergo, &c. Firmatur ad hominem, quia ipſi dicunt materiam ita pendere à forma, ut nec divina potẽtia poſſit exiſtere ſine illa: & tamẽ conſtat apud omnes pereunte una forma &, ſuccedente alia, non perire materiam; non alia ratione, niſi quia ſuccedit altera forma, quæ habet ſufficientem virtutẽ ad dandam exſiſtentiã materiæ; ergo à fortiori forma altera ſuccedens cauſabit materialiter eadem accidentia, tum etiam efficienter. Patet conſequentia, quia per eos etiam magis dependet materia à forma, quam accidens à ſubiecto.

Suadetur ſecundo manifeſta experientia; videmus enim in homine recens mortuo manere eandem quantitatem, figuram, cicatricem, imo & colorem, adeo ut uſus ſpeculi neceſſus ſit, ut dignoſcamus vivat ne adhuc, ergo manent in genito eadem accidentia, quæ fuere in corrupto. Dices eſſe eadẽ ſecũdum ſpeciẽ, non tamen ſecũdum numerum. Sed contra, quia ſæpe nulla apparet cauſa à qua illa accidentia, quæ in genito manent, de novo producãtur, igitur illa ipſa numero ſunt, quæ in corrupto extitere. Antecedẽs liquet. In homine enim repente mortuo calor manet, cuius nulla tunc nova cauſa poteſt aſſignari; nec enim tũc producitur ab aere circunſtanti, quia ſæpe frigidus eſt, neq. à forma cadaveris; ea quippe ſicut nõ habet vim cõſervandi calorem, ita nec primo producendi; neque veroſimile eſt calorem illum de novo produci à Deo, nã ſi Deus producere deberet, profecto quia illum forma ad ſui cõſervationẽ poſtularet, neq. adeſſet ulla alia cauſa à qua fieret immediate; ſed calor ille non eſt neceſſarius ad formæ cõſervationem; ergo, &c. Reſpondent, provenire calorem à forma ſanguinis, qui diverſa forma, ac totum vivens informatur, ideoque calidus aliquo modo manet. Sed contra, nam ſanguis ob ipſis ſpiritibus vitalibus calefit, qui ſtatim intereunt, niſi à corpore foveantur; ſanguis enim ſtatim, ac extra corpus eiicitur, quia deficiũt eiuſmodi ſpiritus, quos exigit, frigidus fit, unde ita dependet ab anima viventis, ut vix calorem ſine illa retineat, ergo forma ſanguinis non eſt cauſa eiuſmodi caloris.

Deinde demus calorem præfatum oriri à forma ſanguinis diverſa. Rogo nunc ulterius, à qua forma figura corporis, cicatrices, durities dentiũ, eadẽ oculorũ tunicæ, & aurium tympana producantur, cum ad formam cadaveris conſeruandam, quæ organica non eſt, non requirantur. Dices, produci à Deo ne fiat tranſitus immediatus materiæ ab uno extremo in aliud ſine medio. Verũ contra oppono. Aquam ex frigida immediate fieri calidam, & è converſo, quæ ſunt duo extrema immediata. Inſuper, aquam immediate tranſire in ignem in ſatis communi opinione, quæ per qualitatem aſſymbolã, inter ſe pugnant, & alia huiuſcemodi.

Suadetur denium, quia multũ cõducit ad religionis cultum, & venerationem reliquiarum, multum enim iuvat ad pie & ſancte colenda ſanctorum oſſa, credere quantitatem & alia accidentia, quę noſtris ſenſibus percipimus,

eſſe

eſſe eadẽ numero, quæ in ſanctorum vivis corporibus extiterit, & poſtea gloriæ dotibus exornãda ſunt: exiſtimare vero eſſe alia diverſa accidentia, & nihil in ſanctorum oſsibus remanſiſſe, niſi latentem materiam primam, quam immediate non attingimus, videtur nonnihil detrahere Chriſtianæ pietati: ſicut & dicere nõ manſiſſe in cadavere Chriſti eandem quantitatem, figuram, &c. quæ prius erat in Chriſti corpore vivo, & poſtea in Reſurrectione diverſa eſſe illa omnia accidentia ab his, quæ erant in cadavere Chriſti. Præterea in noſtra ſententia, cum nutrimur nos ex ſpeciebus cõſecratis, eadem quantitas ſub qua erat Chriſtus Dominus, unitur noſtræ quantitati inhærens in materia de novo à Deo creata, quæ eſt magna noſtra dignitas, & ſolatium, quo privat nos oppoſita ſententia, quæ docet accidentia illa corrumpi eo tempore quo ſubſtãtia panis, ſi adeſſet, corrumperetur, & alia de novo generari, quia ſubiectum novũ, ac diverſum diverſa poſcit accidentia.

Lib. 1. c. 4. Opponis primo. Ex Ariſtotele, generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili manente: ſed ſi maneat aliquod accidẽs in genito, manebit aliquod ſenſibile: ergo, &c. Huic teſtimonio Ariſtotelis, quo nituntur Thomiſtæ, reſpõde cum Philopono, 1. de gen. cap. 4. & Toleto ibidẽ, Ariſtotelem nomine ſenſibilis non intellexiſſe accidentia ſenſibilia, ſed ſuppoſitum, vel compoſitum ſubſtantiale, quod abſolute denominatur ſenſibile. Et patet ex primis capitibus lib. 1. quibus agit Ariſtoteles contra Anaxagoram, & alios opinantes, nullam dari tranſmutationẽ ſubſtantialem, ſed tantum accidentalem, manente ſemper eodẽ ſubiecto ſubſtantiali ſenſibili. Contra quos cap. 4. definit generationem, ut vidimus, *Mutationẽ totius, &c.* ubi textu. 23. quaſi explicans quid ſit illud ſenſibile ex mutatione accidentali, ait: *Alteratio eſt, quando ſenſibile ſubiectũ permanẽs in ſuis mutatur affectibus: ſicuti corpus idem permanens, viciſſim, modo ſanum, modo egrũ eſt.* Statimq. textu eodem ait de mutatione ſubſtantiali: *At cum totum mutatur, nec ſenſibile quidquam ut ſubiectum idem permanet, ſed perinde evenit, ut cum ex toto ſemine ſanguis, aut ex tota aqua aer, aut ex aere tota aqua fit; iam, quod eſt tale, generatio huius eſt, & illius corruptio.* Ex quibus verbis interpretes collegerunt definitionẽ generationis, & corruptionis ſupra poſitam. Apparet ergo quã lõge abſit Ariſtoteles à ſenſu Thomiſtarum.

Opponis ſecundo. Divũ Thomã opuſculo. 32. c. 4. & 1. parte, quæſt. 67. art. 6. in corpore dicentem nullas diſpoſitiones accidentales præexiſtere in materia ante formam ſubſtantialem. Sed licet in his locis D. Thomas Thomiſtis faueat, in alijs tamẽ noſtram expreſſe ſequitur, nam 3. part. q. 9. art. 3. ad. 2. quærẽs an in Chriſto fuerit ſcientia infuſa ſimul cũ beata, obijcit ſibi, quia cum ſcientia infuſa ſit diſpoſitio ad beatam, nequit componi cum illa. Et reſpondet. *Per calorẽ diſponitur materia ad formam ignis, qua tamen adveniente calor nõ ceſſat, ſed remanet quaſi quidam effectus talis formæ.* Indeque infert: *Et ſimiliter in Chriſto ſimul cum ſcientia beatitudinis manet ſcientia indita.*

Itaque non eſt locus ut dicas, lo qui D. Thomam de alio calore numero diſtincto. Primo, quia verba ipſa reclamāt. Secūdo, quia vult probare manere in Chriſto eandem numero ſcientiam infuſam; quare deſtrueret ſuummet intentum, ſi adhibuiſſet exemplum in accidente numero diverſo. Idem habet. 1. 2. quæſt. 74. ar. 4. ad. 13 & quæſt. 15. de veritate, art. 5. ad. 3. Diſpoſitio, inquit, qua patiens diſponitur ad recipiendam formam, eſt in eodem cum forma. Vnde exſiſtimo, tametſi locis memoratis cōtrariam tenuerit ſententiam, eā tamen mutaſſe, ut etiam fatetur Capreolus in 2. diſtin. 15. q. 1. etſi ipſe contrariam ſequatur ſententiam.

Opponis tertio cum Conimbricenſibus. Si in genito maneret eadē numero quantitas quæ fuerat in corrupto, ſequeretur firmiorem eſſe unionē materiæ cum quantitate, quam cum forma ſubſtātiali, quod eſt à ratione alienum; quia quæ per ſe cōiunguntur, & faciunt ad idem genus, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, aptiora ſunt ad unionem diuturniorem ſervandam, quam quæ ſunt diverſi generis, & faciunt unum per accidens, ut ſunt materia & quantitas: ergo, &c. Reſpondeo admittendo ſequelam. Ad probationem dico, ſolum eſſe veram cæteris paribus, in præſenti vero non ſunt cætera paria: nam quantitas eſt proprietas materiæ, & illi coęva, & non habet oppoſitionem, vel repugnantiam cum aliqua forma à qua expellatur à materia, quod non convenit formę ſubſtātiali, & ita poteſt eſſe firmior unio inter quantitatem, & materiā, quam inter formam ſubſtantialem & materiam.

Ex dictis liquet vetus pronūtiatū Thomiſtarum; In corruptione totius fit reſolutio vſque ad materiam primam; neq. Philoſophi, neque Diui Thomę mēti eſſe conſentaneum, imo nec veritati, aut rationi, cum plura ipſiſsima numero accidentia, quę fuere in currupto, ſenſu ipſo teſte, ſuperſint in genito. Dixi plura, & non omnia, quia ea, quæ ſunt peculiaria alicuius cor rupti ratione formæ à qua pendent uti proprietates veluti inſeparabiles, qualia ſunt accidentia pecularia hominis, manere nequeunt in genito. Manent igitur ea accidentia, quæ ſunt communia, & in omnibus, aut plu ibus reperiuntur, ut quantitas, figura, & qualitates; quæ ut diſpoſitiones prævivere in corrupto ad geniti formam.

CAPVT V.

De augmentatione.

IN Hoc capite Philoſophus docet accretionem ab alteratione, & generatione diſcriminari, quia accretio terminatur ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, generatio ad ſubſtātiam. Deinde monet, augmentationem, ſeu accretionem ſecum ferre loci mutationem, tametſi augmentatio, & localis motus diſcrepent, quia augmentatio ad quantitatem, latio vero ad vbi terminatur, & augmentatio prior eſt ſecundum naturam mo-

tu

tu locali: nam ex eo quod vivẽs adquirit maiorem quantitatem per accretionem, dicitur dilatari,& occupare maiorem locum. Docet præterea, id quod accreſcit, accreſcere ſecundum omnes partes formales tamen, non materiales, vel accretionem fieri ſecundum formam, non vero ſecundum materiam. Similiter, inquit, id quod augetur manere idem poſt augmentum. Quarto docet, vivens ipſum, non autem alimẽtum augeri. Quinto, alimentum in principio eſſe diſsimile,& per alterationem fieri ſimile viventi,& augere illud, ut eſt quantum, nutrire vero ut eſt ſubſtantia, quia ſcilicet accretio ad quantitatẽ, nutritio vero ad ſubſtãtiam terminatur.

DISPVTATIO SECVNDA, de nutritione, augmentatione, & accretione.

VIDIMVS generationem corporis ſubſtantialis, & ipſius naturam, ſequitur nunc ut veras mutationes, quas genitum ſubire ſolet, ſcrutemur: quoniam autem inter eas nutritio, augmentatio,& accretio primum obtinent locum, ideo de eis in præſenti erit ſermo.

DVBIVM I.

Quid ſit nutritio, & augmentatio, & quomodo inter ſe differant.

VT præſens dubium commodius expediatur, prænotandum primo eſt, ad generationem eſſe quandam partialem generationem, quæ ſupponit generationem factam, & cum ea continuatur: ut cũ ignis genitus in uno palmo ligni ad ulteriores ligni partes ſuam formam extendit; vel cum animal inducit ſuam formam in maiorem materiam, vel priori amiſſa in novam.

Prænotandum ſecundo, duas eſſe ad generationis ſpecies, unã viventium, quæ vocari ſolet nutritio; altam non viventium, quę proprio caret nomine, dici tamẽ poteſt ſubſtantialis augmentatio non viventium. Vtramque ſpeciem in varias dividi, conſtabit ex dicendis. His poſitis,

Nutritionem non eſſe adquiſitionem novæ ſubſtantiæ, tenuerunt olim quidam, quorum ſententiam D. Thomas. 1. par. q. ultima, art. 1. late exagitat,& irrationabilem appellat: quia ſi nutritio ſolum eſſet adquiſitio novæ quantitatis, aut modi quãtitativi, ſane nutriremur,& augeremur, vel ſola rarefactione, vel maiore extenſione, vel quantitate, quę omnia ſunt aperte falſa, ut videbimus.

Recentiores aiunt ſic definiri nutritionem. *Motus à minori ad maiorem ſubſtantiam.* Inepta eſt,

quia etiā unio unius partis materiæ ad aliam eſt motus ad maiorem ſubſtantiam, non tamen nutritio.

Communiter nutritio definitur. *Converſio alimenti in ſubſtantiam viventis.* Reijcienda etiam, quia ſicut converſio non eſt de eſſentia generationis, ita neque partialis generationis, qualis eſt nutritio:tum, quia converſio dicit ordinem ad formam præeuntem, neutiquam nutritio:etſi enim in materia nova nulla præextitiſſet forma, per introductionem novæ formæ leonis in eam, nutriretur leo.

Definienda ergo eſt iuxta dicta de generatione; ſi enim nutritiō eſſentialiter capiatur, definiri poteſt. *Receptio ſubſtantialis eſſentialis in novam materiæ partem.* Dicitur, *Subſtantialis*, ut comprehendatur tam receptio formæ ſubſtantialis in leone, quam unionis in homine. Additur *Eſſentialis*, ſcilicet compoſiti eſſentialis, non integralis, vel alicuius ſubſtantiæ, quæ totum eſſentiale componat. Illa particula, *In novā, &c.* innuit reſpectum nutritionis ad præcedentem partialem ſubſtantiam in alia parte materiæ illi unitæ. Definita eſt nutritio prout communis eſſe poteſt viventibus, & non viventibus, quamvis non viventia, non dicantur proprie nutriri; ſi autem ea definitio applicanda ſit ſolis viventibus; dicatur, *Receptio ſubſtantialis eſſentialis viventis in novā materiæ partem.* Vel ſi mavis, *Receptio ſubſtantialis eſſentialis in novam materiæ partem per intus ſumptionem applicatam*, per quam particulam differt nutritio ab accretione non viventium, quæ eſt in materia per iuxta poſitionem applicata, de quo ſequenti dubio. Nutritionem vero ut mutationem ſic definiri. *Mutatio ſubſtantialis, &c.* Terminus ad quē nutritionis erit vel unio ſubſtātialis producta in homine, vel partialis forma producta in alijs viventibus.

Augmentatio ſi accipiatur, ut communis ſubſtantiali & accidentali erit, vel motus à minori ad maius compoſitum, vel unio integralis ad novam partē, qualis erit, vel unio unius materiæ cum alia, vel partis unius formæ cum altera; vel etiam unio duarum partium quātitatis, vel qualitatis. Adde terminum augmentationis non eſſe propinquitatem localem unius partis cum alia; hæc enim eſt quid extrinſecum augmentationi, ſed extrinſecam unionem, qua fit illud totum maius. Patet, quia ex ſola propinquitate non fit aliquod totum maius, imo nec totū, ſed tantum propinquior una pars alteri; ergo motus terminatus ad propinquitatem non eſt augmētatio. Et hinc patet diſcrimen inter nutritionem & augmētationem; nutritio enim eſt nova productio formæ, vel unionis formæ cum materia; augmentatio vero productio unionis integralis ad novam partem.

Quæres primo, an nutritio, & generatio ſpecie differant, & realiter? Certum eſt realiter diſtingui, quia poteſt reperiri tota generatio ſine nutritione. Certum item ſpecie differre, ſi actio nutritiva accipiatur, ut dicit omnes reſpectus qui in definitione nutritionis continentur: nam nutritio ut ſic, dicit reſpectum ad partem præexiſtentem formę in alia parte materię, quem reſpe-

reſpeƈum non dicit generatio. Solum eſt difficultas, an aƈio prima generativa leonis, v.g. & aƈio nutritiva, qua poſtea producitur partialis eius forma, phyſice differant eſſentialiter ſpeƈatæ. Dixi eſſentialiter, & phyſice ſpeƈatæ, id eſt, præciſis reſpeƈibus extrinſecis, quos dicit nutritio ut ſic, ſcilicet præciſo illo reſpeƈu ad formam præexiſtentem, qui accidentalis eſt, eſt extrinſecus aƈioni phyſice ſpeƈatæ. Aſſero ergo non differre ſpecie. Hæc eſt communis ſentētia, quæ ſaltem ita debet intelligi, & vera eſſe, ut omnis nutritio eiuſdem viventis ſimul ſumpta non diſtinguatur ſpecie ab eius totali generatione; & ſingulæ nutritiones à ſingulis partibus generationis. Verbi cauſa nutritio oſsis à parte generationis eiuſdem oſsis. Dixi ſaltem, quia ſunt qui cenſeāt partes heterogeneas eiuſdem viventis, ut os & carnem eſſe ſpecie diſtinƈas, ex quo aperte ſequitur ſingulas nutritiones ſpecie diſtingui à generatione integra, an vero illud verum ſit, ad libros de anima videbimus. Probatur concluſio efficaciter contra pleroſque recentiores ſine vlla reſtriƈione affirmantes, ea quę ſpecie diſtinguntur nequire continuari: ſed generatio & nutritio continuatur non minus, videlicet quā ipſarum termini: ergo nō diſtinguntur ſpecie. Secundo abſolute probatur, quia aƈiones accipiūt ſpeciem à terminis: ſed generationis, & nutritionis termini nō diſtingūtur ſpecie: ergo nec ipſæ. Minor probatur iuxta communiorem ſententiam, & quæſtionis ſenſum, quia generatio leonis terminatur ad totam formam leonis, & nutritio ad formæ partem: ſed forma leonis, & eius pars non cenſentur ſpecie diſtingui: ergo, &c. Firmatur, quia prima introduƈio formæ ignis in materia ligni eſt eiuſdē ſpeciei cum proſecutione introduƈionis eiuſdem formæ ignis in alias materiæ partes: ergo ſimiliter prima introduƈio formæ leonis in materia erit eiuſdem ſpeciei cum proſecutione introduƈionis eius formæ leoninę in alias materię partes: ſed prima introduƈio eſt generatio, & ſecunda nutritio: ergo generatio, & nutritio ſpecie non differunt. Demus tamen diſtingui ſpecie, probatur in ſenſu propoſito: ſicut generatio cōſtat partibus quibus omnes partes viventis primo generantur, ſic nutritio diuturna conſtat innumeris nutritionibus, quibus omnes illæ partes inſtaurantur: ergo omnes nutritiones ſimul ſumptæ non habent terminum ſpecie diſtinƈum à termino totalis generationis; & nutritio oſsis ſeu partis B. non habet terminum ſpecie diſtinƈum à termino eiuſdem generationis partialis.

Oppones primo. Nutritio eſt aƈio vitalis, & non generatio: ergo ſpecie differunt. Data priori parte antecedentis, diſtinguo alteram: generatio non eſt vitalis ſecundum omnes partes colleƈive, concedo; ſecundum ſingulas ſeorſim, nego. Ratio eſt, quia ſingulæ partes generationis, ſi ſeorſim conſiderentur, habent aptitudinem ut fluant ab eadem ſubſtantia, quæ generatur, in quo cenſent adverſarij vitalitatem conſiſtere; at vero ſimul ſumptæ, non habent eam

aptitudinem, quia ſic ſunt effectio integrę ſubſtantiæ, ac proinde debent ab alia numero diſtincta fluere. Dixi ſingulas partes generationis habere aptitudinem, ut fluant ab eadem ſubſtantia geniti, non quidem eaſdem numero, ut per ſe patet, ſed eaſdem ſpecie, quia ipſarum termini poſſunt effici ab eadē ſubſtantia geniti, ſuntque eiuſdem ſpeciei in generatione, & nutritione.

Oppones ſecundo. Generatio fieri poſtulat ex congreſſu & ſemine utriuſque parentis diuturna calefactione, &c. Nutritio vero perit fieri ab eadē ſubſtantia quæ nutritur, nec poſtulat congreſſum, nec ſemen parentum; & poteſt à ſpadone fieri: ergo actiones iſtæ ſpecie differunt. Nego conſequentiam, nec illa ſunt ſufficientia indicia diſtinctionis ſpecificæ: nam prima generatio quę ſimul tendit ad opus, ac velut ædificium integrum, requirit ſemen præparatum, diuq. calefactum, & capax integræ generationis, & quia tē dit ad producendum filium, requirit in ſemine partē utriuſq. parentis, activam, & paſſivam. Activam ut filius à parente fiat, ut inſtrumento ſupplente parentis abſentiam, ſeu diſtantiā. Paſſivā, ut filius ſit aliquid parētis: & quia ſpadones carent officina ſeminis, ideo generationem elicere non poſſunt naturaliter.

Quęres. 2. actiones præcurrentes nutritionem. Fuſe hac de re Conimbricenſes hic c. 5. quęſt. 3. Tres decoctiones illam præcedunt; cibus enim ore exceptus, dentibuſque contuſus, & præparatus ad decoctionem deorſum mittitur, curante natura epiglotidis miniſterio ne quid cibi, potuſve in arteriam vocalem relabatur, occludatq. reſpirandi viā. Recipit cibi maſſam ventriculus, ubi prima efficitur cōcoctio: tum nativo eius calore; tum vicinarum partium adiumento, iecoris, cordis, &c. Qua decoctione perfecta, ex perfectiore cibi parte fit maſſa pura alba & liquida, Latine cremor, Græce chilus appellata, reliqua excrementa deorſum per inteſtina abeūt. Chilus trahitur deinde per venas meſaraicas ad iecur, cuius caloris decoctione, quæ ſecunda eſt, purior redditur, ex quo gignūtur quatuor humores, ſanguis, pituita, flava, & atra bilis. Sanguis vero recrementis perpurgatus per venam amplam dictā Cava magna, fertur ad cor, ubi purior multo, & nutritioni aptior effectus, diſtribuitur in omnem corporis partē per multiplices venas, quæ appellātur, propter earum tenuitatem, venæ capillares. Per poros harū venularum derivatur ſanguis ad omnem carnis partem alimēto, & nutritione indigentem, ubi tertio decoquitur, ut accipiat mollitiem, duritiem, & temperamentum eius partis proprium: mox materia alimenti viventi connectitur, in eaque inducitur forma vivens, in qua introductione dicitur conſiſtere nutritionem.

DUBIUM II.

De neceſſitate, tempore, & partibus quæ nutriuntur.

Difficultas prima, cur ſit neceſſaria nutritio. Reſpondeo, quia

quia vita continetur in calido & humido certa ratione tẽperatis;nã calor eſt opifex functionum vitalium,humidum eſt pabulum caloris ; & quia calor natiuus humidum ſemper carpat,& abſumat;aer etiam circũfluus, aliæque cauſæ externę in humidum ſęuiant, illudque exſiccent,neceſſe eſt illud humidũ corruptum diſcontinuari à viuẽte;atque adeo neceſſe etiam eſt, ut in eius locum alimenti materia,quæ vivẽtis formam induat, ſubrogetur. Vnde idem calor natiuus per ſe diſponit materiã ad introductionem formæ vivẽtis; idemque adiutus aliis externis cauſis eandem ad corruptionem diſponit, quamvis etiam calor in hac pugna aliquod decrementum repatiatur.

Difficultas ſecunda, an toto vitæ decurſu ſit neceſſaria nutritio? Reſpondeo non eſſe neceſſariã ſine vlla prorſus interruptione; probabile tamen eſt in multis viventibus nunquam ceſſare. Prior pars patet,quia cõtingere poteſt,ut ultima diſpoſitio ad nutritionem aliquo ſaltem inſtanti non reperiatur in aliqua viventis parte, nec ideo continuo moreretur. Poſterior pars conſtat, quia in tanta partiũ, quæ nutriuntur multitudine,vix eſt credibile eſſe aliquod inſtans, in quo nulla prorſus nutriatur; quod intellexerit de viuente quamdiu valet.

Tertia: utrum quoties nutritur vivens, nutriatur ſecundum omnem ſui partem. Reſpõdeo, nec id eſſe neceſſarium, nec poſſibile.Prior pars oſtẽditur, quia neceſſe non eſt, ut quoties vivẽs habet alimentum ultimo diſpoſitum in una parte,illud habeat diſpoſitum ultimo in omnibus. Poſteriorem partem intelligo de nutritione, per quam amiſſa pars inſtauratur;nam in pueris, qui nulla deperdita novam comparant, non eſt vera illa pars cõcluſionis.Probatur aperte, quia ut vivens ſimul eodem inſtanti, vel tempore modo illo nutriretur,ſecundum omnes partes deberet immediate antea ſimul carere omnibus partibus,& conſequenter ipſum deſinere. Quomodo ergo ſeipſum nutritione reficeret?

Quarta. An adulta ætate, vel in ſenecta remaneant in animali aliquæ partes materię primæ generationis, vel pueritiæ. Toletus hic quæſt. 9. aſſeruit vivens amittere poſſe partes omnes nutrimentales,id eſt,nutritione adquiſitas,non vero ſpermaticas,ſcilicet partes ſeminis, quæ fuere formatæ in generatione;alii voluere partes ſolidas & duras,ut oſſa,nervos, & cutẽ non amitti, bene vero reliquas. Aſſero tamen nullam eſſe partẽ, quæ non poſsit decurſu temporis amitti,aut minui,quia nulla eſt pars,quę vi caloris augeri, vel nutriri nõ poſsit,vel mediate,vel immediate:ergo nulla eſt quæ ab eo minui nequeat. Verũ eſt non ita ſenſibiliter experiri oſsium decrementum ſicut carnium, quia cum partes ſolidæ difficilius reſolvantur,prius abſumuntur illæ partes carnis,quę ad interitum ſufficiũt, quã pars aliqua nobis ſenſibilis ex oſsibus.Nec obeſt cicatrices nervorum ſemper eaſdem apparere; nam partibus amiſsis ſuccedũt aliæ nouæ eiuſdem figuræ.

Dices, ergo ſucceſſu longiſsimi temporis vivens non mane-

bit

tractionis, tum quia ventriculus vacuus contrahit, & corrugat latera. Quartum, ſenſio divulſionis, quæ dolorem cauſat. Quintum, actus appetitus cibum appetentis. Totidem cum ſua proportione cõcurrunt ad ſitim defectu ſucci, & potus.

Fames ergo conſiſtit in ſenſu divulſionis ventriculi ortæ ex attractione cibi. Sitis etiam eſt ſenſus divulſionis vẽtriculi ortę ex attractione potus. Ita fere Galen. ſup. & Conimbric. lib. 1. c. 45. q. 5. art. 2. & recentiores, quia fames & ſitis ſunt dolores, ex quibus proxime naſcitur appetitus, potus & cibi vere deficiẽtis: at in nullo alio doloris ſenſu, pręter dictum conſtitui poſſunt: ergo, &c.

Hinc apparet quomodo fames, & ſitis ad nutritionẽ ſe habeãt. Sũt enim nutritionis cauſa, vel occaſio, quatenus movent ad alimentum procurandum, & ſunt nutritionis effectus, quatenus conſumpto per nutritionem alimento, ſtatim excitantur fames, & ſitis.

DISPUTATIO TERTIA, de alteratione, intenſione, & remiſsione.

HAEC eſt una ex nobiliſsimis Phyloſophiæ quæſtionibus, res ſcitu digna, controverſiæ indiga, ſententiis plena, veritati impervia, variæ enim varii de illa philoſophantur authores. Sic ego philoſophor.

DUBIUM I.

Quid ſit alteratio, intenſio, & remiſsio.

CIRCA primum dico primo. Alteratio eſt motus ad qualitatem terminatus; motus indicat privationem qualitatis in ſubiecto præexſiſtentem: non quod eſſentia illius actionis privationem prærequirat, ſed ſolum ſub nomine alterationis, ſicut actio productiva ſubſtantiæ corporeę ſub nomine generationis. Motus differt à generatione ut ſic, tanquam ſpecies à genere: à generatione ſubſtantiali differt eſſentialiter, eo quod hæc ad ſubſtantiam, alteratio vero ad qualitatem, terminetur. Alteratio, & intenſio comparari poſſunt ſicut in ſubſtãtiis viventibus generatio & nutritio; alteratio enim eſt veluti prima caloris generatio; intenſio vero eſt additio gradus ad gradũ, dicitq. ſub hoc nomine reſpectũ ad partem præexſiſtentẽ in eadem ſubiecti parte, quem non dicit alteratio ut ſic; quamvis etiam frequenter alterationis nomen ad intenſionem extendatur.

Hinc aperte deducitur, terminum à quo alterationis ut ſic, eſſe privationem qualititis; terminũ ad quem ipſam qualitatem, terminum qui, compoſitum ex ſubiecto, & qualitate.

Circa ſecundum dico ſecũdo.

Intẽſio eſt actio perfectiva qualitatis in eodem ſubiecto. Dicitur actio, quia calorem aquæ remiſſum intendit ignis, non niſi ut cauſa efficiens: ergo per verã actionem. Hæc dicitur perfectiva qualitatis, quia poſt actionem intẽſionis qualitas eſt fortior ad agẽdũ & reſiſtendũ: ergo perfectior. Dicitur perfici qualitas in eadẽ parte ſubiecti; nã intẽſio differt ab extẽſione, quod extẽſio fit in diverſis partibus: ut quando calor qui ſolũ erat in digito, extenditur per manum novis additis partibus, quæ novis ſubiecti partibus reſpondeant; at intẽſio fit in eadem parte ſubiecti, cui partes omnes additæ ſimul cum præexiſtentibus inhærent, ut cum digitus qui totus erat calidus ut duo, redditur calidus, ut tria, vel quatuor.

Dicitur autem intenſio fieri in eadem partem ſubiecti, nõ quod extra ſubiectum fieri nequeat: nam certiſsimum nobis eſt poſſe calorem à ſubiecto ſeparatum intendi magis, ac magis: ſed dicitur fieri in ſubiecto, quia ſic ex natura rei poſtulat fieri: ſicut enim qualitas, quia accidens eſt, poſtulat fieri in ſubiecto, ſic partes illæ quibus perficitur, & intẽditur cum accidentales ſint.

Circa tertium dico tertio. Remiſsio eſt diminutio qualitatis in eadem parte ſubiecti; vel clarius, deſitio partium intẽſionis: quia remiſsio non eſt actio poſitiva, ſed mere negativa, ac proin de deſitio partium intenſionis. Reliquum definitionis notũ eſt; quia remiſsio eſt contraria, vel contradictoria intenſioni, & verſatur circa idem ſubiectum, & eundem terminum.

DVBIVM II.

Quæ res ſint intenſionis capaces.

ASSERO primo. Nulla ſubſtantia ſive reſpuens natura ſua ſubiectũ, ſive illud reſpiciens, eſt capax intenſionis. Probatur primo communi illo axiomate Philoſophorum: *Subſtantia non ſuſcipiunt magis & minus*; non enim dicimus unum leonem eſſe magis leonem quã alium, ſicut dicimus eſſe magis calidum. Et quidem de ſubſtantiis omnino ſubiectum reſpuentibus, ut Angelo, anima rationali, & materia prima certius eſt; nam intenſio verſatur inter gradus perficientes natura ſua idem ſubiectum. De alijs ſubſtantijs, quæ à ſubiecto pendent, ut ſunt formæ ſubſtãtiales materiales, ſuadetur primo: quia ſi forma ſubſtantialis materialis, v.g. aquæ, eſt capax intenſionis, ſicut frigus, ergo quando frigus remittitur gradu aliquo oppoſito introducto, ita & ſubſtantia aquæ remitti poſſet forma ignis in idem ſubiectum cum forma aquæ, ſaltem in gradu remiſſo, introducta, quod peregrinum eſt in Philoſophia, diſſonumque rationi. Secundo, ſi forma aquæ intenderetur, & remitteretur, tunc maxime colligeremus ita fieri, quando frigiditas, quę eius eſt diſpoſitio intẽderetur, aut remitteretur: at ex hoc ſequitur aquam calefactam non poſſe ſeipſam reducere in primam frigiditatem, ſicut nec poſſet ſibi reſtituere priorem intenſionem formæ ſubſtantialis, quod repugnat experientiæ,

Ita communior ſententia Philoſophorum, quam ſequitur Suarez diſp. 42. Meta. Hurtadus diſp. 14. Meta. ſect. 5.

tiæ. Nec refert dicere, habere occultam quãdam qualitatem, qua ſibi poteſt reſtituere frigus amiſſum. Nam id eſt abſurdũ in Philoſophia, & in doctrina de cauſis.

Secundo, quia ea permiſſa non ſequitur, etenim quilibet gradus aquæ haberet cum proportione, maxime in ea ſententia, illã qualitatem magis aut minus intenſam pro maiori vel minori ſua intenſione, quia illam qualitatẽ habebit forma ad producendam intenſionem frigoris ſibi debitã: unde forma intenſa ut duo peteret qualitatem intenſam ut duo, & illa media frigus ut duo, poſſet ſibi tantum producere, & nõ ut octo.

Aſſero ſecundo. Quantitas non eſt capax intenſionis. Ratio eſt, quia intẽſio petit partes ſuæ formæ in ordine ad eandem partem ſubiecti, atqui extenſio quantitatis petit ſuas partes in ordine ad diverſas partes ſubiecti inter ſe diſtantes, quia partes quantitatis impenetrabiliter extendunt partes ſubiecti, & ideo ipſæ debent eſſe inter ſe impenetratæ, ut partes ſubiecti quas afficiunt, ergo non recipit intenſionem.

Aſſero tertio. Nec relatio formaliter eſt illius capax. Ratio à priori eſt, quia gradus fundans, v.c. ſimilitudinem cum alio, ut primus gradus unius albedinis cum primo alterius non ſuſcipit magis & minus in illa ſimilitudine: ergo, &c. Firmatur, nã ſi albedo illa ut unũ intendatur, quamvis creſcat relatio ſimilitudinis, tamen illæ partes non recipiuntur in eodem ſubiecto cũ præcedenti relatione, id eſt in primo illo gradu, ſed in novis qui adduntur, ergo illa relatio ſimilitudinis non ſuſcipit magis & minus, prout oportet ad intenſionem; hæc enim dicit additionem partium in ordine ad idem indiviſibile ſubiectũ, quod ſi albedo ut duo dicitur ſimilior albedini ut duo, quam albedo ut unum, id eſt fundamentaliter, non vero formaliter in ratione ſimilitudinis, & ut ita dicam, ſecundum maiorem intenſionem.

Ex his conſtat in præſentia, ſitu, duratione, & habitu, nullam intenſionem reperiri.

Aſſero quarto. Actio & Paſsio terminata ad qualitatem intenſibilẽ capax eſt intẽſionis. Probatur primo ex Ariſtotele id docente in Logica, capite de actione & paſsione. Secundo, quia forma qualitatis, quæ habet varias partes inter ſe diſsimiles in perfectione indiuiduali, & ſubordinatas in ordine ad eandem partem ſubiecti, habet intenſionẽ; ergo & actio & paſsio ad eiuſmodi qualitatẽ terminata; habet enim ſimiliter varias partes in perfectione diſsimiles, & ſubordinatas in ordine ad eandẽ partem ſubiecti, in qua terminus recipitur. Verum eſt intenſionem actionis & paſsionis oriri tanquam ex radice à qualitate ad quam terminatur, quod in cauſa eſt, ut à Philoſophis ſola qualitas intenſionis capax communiter dicatur. *Ita Hurt. citatus. §. 19.*

Aſſero quinto. Qualitas eſt capax intenſionis, non tamen omnis. Prima pars patet in quatuor primis qualitatibus, quæ ſenſu teſte intenduntur & remittũtur, & in pluribus ex ſecundis, tum etiam in luce; intẽſior enim eſt meridiana, quam veſpertina. Secunda pars liquet tum in figura, quæ ſicut quantitatẽ ſequitur in

tenſione cum illa proportionem ſervet cum ſpecie impreſſa a qua fit. Et quidem alias cum ſingulis momentis quo magis appropinquat obiectum perfectius ipſum videamus, continuæ mutaretur tota illius viſio, niſi in ſua entitate & perfectione intenderetur. Firmatur ſecũdo, ſentimus enim ipſo exercitio in nobis habitus cognoſcitivos augeri, maiorem quippe facilitatem poſt diuturnam exercitationem circa alicuius obiecti intelligentiam experimur, ergo ſignum eſt habitus auctos fuiſſe per intenſionem, nã ab illis provenit facilitas, ſed habitus iſti ſaltẽ acquiſiti nequeũt niſi per actus intenſiores augeri, ergo, &c. Firmatur ultimo contra Salas, nã in eius ſententia (ſequitur enim in hoc Thomiſtas) actus amoris intẽditur, quia magis unitur & radicatur in appetitu, ſed nulla eſt ratio cur non poſsit actus ille cognitionis radicari in ſua potentia, ergo datur intenſio in actu potentiæ cognoſcitivæ, & conſequenter in habitibus.

Ad rationes oppoſitas facile reſponderi poteſt, intenſionem cognitionis conſiſtere in eo, ut plures partes individuali ratione perfectiores illius entitati addantur ad eiuſdem obiecti repræſentationem: unde poſtea oritur ut obiectum perfectius cognoſcatur, ſicut obiectum magis calidũ fit, ex eo quod plures & perfectiores gradus caloris ſuperaddantur. Illam vero intenſionem maiorem actus, ſolemus explicare per maiorem potẽtiæ conatum, quia quanto maiorem adhibet, tanto actum elicit intenſiorem.

DVBIVM III.

Quomodo fiat, vel in quo proprie conſiſtat intenſio qualitatum.

PERFECTIO qualitatis in qua poſuimus intenſionem, quid proprie ſit, vel quomodo fiat, gravis eſt difficultas in hoc dubio explicanda.

Durandus & alij apud Suarez diſp. 46. ſect. 1. num. 2. autumant fieri intenſionem producta nova integra qualitate, & priori tota deſtructa. Nititur fundamento pleriſque ſententijs communi: quia duæ qualitates eiuſdẽ ſpeciei nõ poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: ergo nova inducta debet deſtrui prior.

Impugnatur primo hæc ſentẽtia evertendo eius fundamentũ. Habitus charitatis producit efficienter charitatis actum: ergo in eo inſtãti, quo producitur actus, neceſſe eſt exiſtat habitus: ſed in eo inſtanti habitus intẽditur: ergo iam duę qualitates ſeu formę eiuſdem ſpeciei, quarum una ſe habeat ut remiſſa, altera ut intẽſa, coexiſtunt ſimul in eodẽ ſubiecto. Secundo, quia cum intenditur calor non eſt à quo deſtruatur calor prior. Nõ enim ab agẽte; quia agens naturale nõ corrumpit ſibi ſimile, cum potius intẽdat producere ſimile; vel ergo non inducet aliud ſimile, vel ſimile non deſtruet ad inducendũ ſimile: neque etiam reperitur ibi diſpoſitio aliqua contraria, quæ determinet agens ad deſtruendũ. Neque item à calore perfectiore adveniẽte, quaſi qualitate incõpoſsibili cum imperfectiore:

Tum, quia fingitur ſine fundamento talis incompoſsibilitas; duo enim calores eiuſdem ſpeciei, non ſunt mutuo contrarij; & tametſi demus eſſe diverſæ ſpeciei, non ſunt contrarij, cum non habeant effectũ repugnãtea, ſed potius ſe iuvantes, atque adeo continuabiles: etenim eſſe magis calidum non dicit cũ minus calido repugnantiam, ſicut maior viventis quantitas nõ dicit repugnantiã, aut incompoſſibilitatem cum minore, ſed potius illam ſupponit, & cum illa continuatur. Tum etiam, quia tã ſimiles ſunt duo calores quã duo ignes, ergo ſicut unus ignis non deſtruit alium ignem, ſed unitur cum illo, & unita virtute roboratur; ſic neque unus gradus caloris expellet alterum, neq. agẽs unum alterum deſtruet, ſed potius inter ſe unietur quo melius conſerventur & agant. Tertio, vel calor intenſus eſt diviſibilis, vel indiviſibilis: ſi diviſibilis fiet ſucceſſive, & partes eius quę nunc fiunt permanebunt cũ partibus quæ poſtea fient: ergo iam in eodem ſubiecto erunt plures formæ, ſeu partes eiuſdem ſpeciei. Si eſt indiviſibilis, fiet in inſtanti; nec intenſio erit actio productiva termini cõtinui, ſed plurimorum nullo nexu cohærentium, imo formaliter ſeſe deſtruentium, ſicut præſentiæ per motum adquiſitæ. Quarto, conſequenter hæc opinio tueri debet in remiſsione caloris. v. c. qui eſt in aqua deſtrui formam perfectiorem, & produci imperfectiorem; quod eſſe falſum conſtat; quia non eſt agens potens producere formam illam imperfectioris caloris: nõ aqua, quia hęc non eſt productiva caloris, ſed deſtructiva: nõ aer, aut medium aliud, quod ponimus tunc eſſe frigidiſsimum, &c. Idem cõſtat, quia ſimiliter quãdo remittitur habitus vitioſus, non eſt à quo producatur vitioſ⁹ imperfectior; non actus virtutis à quo deſtruitur intenſio vitioſi, nam virtutis actus non eſt productivus habitus vitioſi: alioqui ſi illum non inveniret, in potentia produceret, quod eſt impoſsibile. Nec eſt alia cauſa, niſi cõfugias ad Deũ, ut ſolus producat habitum vitioſum: quod plane vitioſum eſſet, prӕterquam quod parum philoſophicum.

Aegidius, & Aſtudillo relati à Suar. ſup. num. 5. ſentiunt intendi qualitatem per productionẽ perfectioris exiſtentiæ in eadem præexiſtente qualitate: quæ ſententia, ut monet Hurtadus diſp. 5. ſect. 2. §. 9. nullo nititur fundamento, & ſolum inventa eſt ad eludendam vim argumentorum, quæ contra radicationem qualitatis in eodem ſubiecto fiũt. Sed non evadit. Primo, quia diſtinguit exiſtentiã ab eſſentia: quod eſſe falſum vidimus. 1. Phy. diſp. 4. dub. 5. Secundo, admiſſa tamẽ diſtinctione, vel perſeverat prima exiſtẽtia formæ remiſſæ, vel deſtruitur. Si primum, eadem forma habebit plures exiſtentias, quod eſt abſurdum. Si ſecũdum, recidit hæc ſententia in opinionem Durandi, quare iiſdem rationibus impugnetur. Tertio licet demus exiſtentiam eſſe modum à re diſtinctũ, deberet eſſe proportionatus eſſentiæ, ergo non poſſet perfici, quin eſſentia etiam perficeretur. Quarto, per intenſionem calor accipit plus virtutis activæ, ſed exiſtentia nõ eſt vis activa, niſi conditio ad agen-

agendum: ergo intenſio non eſt productio nobilioris exiſtentiæ. Minor patet in iſta ſentētia exiſtimantium Chriſti humanitatē exiſtere per exiſtentiam verbi increatam, & nobiliſsimam; nec tamen ob hoc humanitas illa eſt magis activa intrinſecè, & phyſice loquendo, quam cæteræ. Vltimo hic modus philoſophandi incurrit eaſdē difficultates propter quas Thomiſtæ negant in intenſione addi novas partes qualitatis. Nam vel manet exiſtentia qualitatis remiſſæ reddita perfectior, vel non: ſi non manet, impugnata manet ex dictis contra Durandum: ſi manet, ergo iam admittunt intenſionem per diverſas partes exiſtentiæ: vel ergo illæ ſunt eiuſdem rationis: quare ſimul eſſe non poterunt, vel diverſæ: unde non poterunt continuari.

Quodlib. 2. q. 14. & hic lib. 1. q. 18. & 23. Aegidius contendit intenſionem fieri expulſione contrarij, itaque calor in aqua dicitur intēdi, quia frigus ex aqua pellitur. Falſo tamen. Primo, quia ſic intenſio non eſſet actio poſitiva, ſed negativa, quod aperte falſum eſt. Secundo, quia plures qualitates contrario carentes, intenſionem habent, ut lux, plurimi habitus ſupernaturales, ſpecies itē impreſſę. Tertio, quia formæ ſubſtantiales truduntur à ſubiecto introductione oppoſitæ formæ, & ſunt expertes intenſionis: ergo, &c. Quarto, expulſio contrarij fit per eandem actionem, per quam intenditur forma oppoſita, ignis enim non aliter remittit frigiditatē aquæ, niſi augēdo in ea calorem; ergo intenſio non eſt ſola expulſio contrarij, ſed poſitiva productio alicuius pertinentis ad qualitatem, quæ intenditur.

Celebris eſt opinio Thomiſtarum aſſerentium intenſionē fieri ſine additione partis ad partem, ſed ſola maiori radicatione indiviſibilis qualitatis in eadē parte ſubiecti: quam radicationē varijs declarant metaphoris: appellant enim maiorem poſſeſsionem, communicationem, victoriam, atque eductionem, quaſi per ipſam qualitas magis poſsideat, communicet, participet, & vincat ſubiectum, & ex ipſo magis educatur.

Duplex autem modus eſt hāc ſententiam tuendi. Prior per maiorem radicationem nihil prorſus denuo produci: Poſterior, hanc radicationem eſſe productionem novæ unionis eiuſdem qualitatis cum eodem ſubiecto. Impugnatur primus modus. Primo, nam intenſio eſt nova actio, & non mere conſervativa termini præexiſtentis: ergo per ipſam novum aliquid producitur. Secundo, quia per intenſionem radicari magis qualitatem, nec novum aliquid produci perinde eſt ac ſi dicas, arborem altiores in terram mittere radices, nec tamen in arbore quippiam novū produci, vel ipſi adiūgi. Tertio. Minor radicatio, quidquid ſit, vel manet aduentu maioris, vel deſtruitur: ſi manet, ergo iā duo accidentia eiuſdem ſpeciei ſimul exiſtunt in eodē ſubiecto: ſi deſtruitur, ergo per actionis poſitivæ ſuſpenſionem: ergo id quo formaliter deſtruitur, phyſicum, & poſitivum eſt. Impugnatur ſecundus modus. Primo, nam cum intenditur qualitas productione novæ unionis, vel remanet prima unio, vel deſtruitur. Secundū impugnandum eſt eiſdem rationibus

Hanc ſententiam tuetur Suarez diſpu. illa 46. ſect. 2. Vazquez 1. par. diſp. 82. à c. 3. Fonſeca 8. Met. a. 3. q. 2. Tolet. hic lib. 1. c. 3. q. 4. Hurtadus diſp. 5. ſectio. 3. & 4. & q. hac tempeſtate communis, ſi Thomiſtas demas.

ſionem producitur nova pars qualitatis, & nova pars unionis in ſubiecto, ac proinde intenſio fit additione gradus ad gradum in eadem parte ſubiecti, ſicque recte intelligitur maior radicatio in ſubiecto, & ſic eã docuit D. Thomas, ut patebit ſtatim. Probatur primo. In intẽſione datur vera, realis, & nova actio: ergo per ipſam producitur verus, realis, ac nov⁹ terminus. Antecedẽs patet, nã ignis phyſice cauſat red ditq. intẽſum calorẽ aquæ, non materialiter, nõ formaliter, nõ finaliter, ac proinde efficienter, & per veram actionem, quod nec adverſarij negant. Conſequentia liquet: nam illa nova actio non eſt conſervatio prioris termini: ergo inducit novum aliquid in ſubiecto. Firmatur, nam fieri nõ poteſt ſeiũgi à facto eſſe; in intẽſione datur novum fieri, ergo novum factum eſſe, ſive novus terminus. Hic terminus reddit calorem magis activum, quod non præſtat nova exiſtentia, nec nova radicatio, vel unio, ut oſtenſum eſt. Secundo: viſio intenſa melius attingit albedinem, quã remiſſa, ergo intenſio eſt nova pars viſionis. Patet conſequẽtia: nam videre perfectius albedinẽ, eſt eam perfectius repræſentare: ergo niſi viſio ſit perfectior in eſſe repræſentativo, non eam perfectius attinget: ſed eſſe repræſentativum non eſt unio, nec radicatio, ſed ipſamet eſſentia viſionis per ſeipſam eſſentialiter exprimens albedinem: ergo pars intenſionis eſt pars viſionis. Idẽ eſt de actu voluntatis, intellectus, appetitus, & cuiuſque ſenſus. Tertio, quia ſi aliquid obſtaret, maxime quia nequeunt diverſa ſolo numero accidentia recipi in eodem ſubiecto, ſed id eſt falſum, ſi habeant diverſa munera, ut contingit in diverſis partibus qualitatis, quæ omnes copulantur ad integrandam unam perfectiorem qualitatem. Quarto, gratia gratum faciens per intenſionem augetur, & fit maior, atqui nequit eſſe gratiæ augmentum, niſi nova illius pars accedat, ergo additur per intenſionem, & idem erit in cæteris qualitatibus. Maior nec negatur ab adverſarijs, nec negari poteſt, quia Cõcilium Tridentinum eo utitur termino, definiens hominem mereri augmentum gratiæ, & gratiam bonis operibus in Chriſto factis augeri. Minor probatur, nam ex gratia præexiſtẽte, & de novo accedẽte, conſurgit compoſitum quod eſt maius, & eſt gratia, eſt enim eiuſmodi compoſitum homogeneum, ergo id quod accedit per intenſionem eſt gratia, ratione enim eius compoſitum fit maior, & maior gratia. Firmatur, nam quod advenit homini iam grato per maius & novum meritum, reddit illum obiectum cõgruum maiori dilectioni, ſed maior dilectio Dei fertur in novam & maiorem gratiam, ergo, &c. Minor liquet, nam ſola gratia reddit nos Deo gratos, & amabiles, nihilque præter illam poteſt movere Deum ad maiorem & maiorem dilectionem, etenim unio non reddit amabiles tanquam ratio terminandi amorem Dei, ſed ut vinculum uniẽs nobis rationem formalem, quæ terminet amorem Dei. Firmatur ſecundo, augmentum gratiæ, & cuiuſvis qualitatis eſt augmentum quantitatis virtutis, & perfectionis, ergo debet fieri additione novæ partis virtutis

ſimilis in ratione qualitatis præ cedentibus. Patet conſequentia à paritate, nam augmentũ quantitatis molis fit additione novę partis quantitatis molis alijs ſimilibus, ergo & augmentum quantitatis virtutis. Aſsignetur diſcrimen.

Nec dicas proportionem tantum eſſe, quia ſicut quãtitas extenditur, & occupat plus loci, ſic qualitas plus radicatur in ſubiecto, & educitur ex illo. Dixi radicari in ſubiecto nihil aliud eſſe poſſe, quam augeri virtutem, & entitaté qualitatis. Item educi magis nihil eſt aliud, quã terminare maiorem eductionem, ergo illa maior eductio producit novas partes qualitatis per quas augetur, & radicatur qualitas. Conſequentia probatur. Tũ, quia ut bene Divus Thomas, virtus qualitatis, & eius eſſentia ſunt idem, ergo idem eſt augeri virtutem, & eſſentiam qualitatis. Tũ, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis; ergo ſicut ſimpliciter educi eſt ſimpliciter fieri, ita magis educi eſt magis fieri: at hoc magis fieri, terminari non poteſt ad partem iam productam educendam, quia iam erat in actu, educitur autem id tantum quod eſt in potentia.

Quod ſi dicas ſufficere intenſionem terminari ad modum aliquem, qui augeatur per novas partes ei advenientes ſine nova adquiſita qualitate: ſicut quantitas augeſcit raritate, ſine additione quantitatis. Primo ergo iam concedis quod negabas, diverſas ſcilicet partes eiuſdem accidentis in eodem ſimul ſubiecto; melius ergo eſſet illas admittere in ipſa qualitate. Secundo, ergo intenſio differt ſpecie à prima productione qualitatis, nam modus ille ſpecie differt à qualitate, unde non erit qualitas quæ intenditur. Tertio exemplum de raritate potius eſt contra te. Raritas enim non eſt motus ad maiorem quantitatem, ſed ad maiorẽ locum; quia tamen quantitas extenditur ad plures partes ſpatii dicitur fieri maior dimenſive. At ea ratione qua fit maior, habet novas partes additas prioribus, nempe præſentiæ in ſpatio.

Ex dictis colligitur primo, remiſsionem qualitatis fieri per deſtructionem partium entitatis eiuſdem qualitatis, quas partes appellamus gradus: nam oppoſitorum eadem eſt ratio. Secundo, poſſe divinitus qualitatem extra ſubiectum intendi, quia partes eius cùm entitates ſint, poſſunt divinitus creari, & extra ſubiectum poni unitæ in eodem ſpatio. Tertio ſimiliter infertur poſſe extra ſubiectum remitti, ut per ſe liquet.

DVBIVM IIII.

D. Thomæ mens oſtenditur, & adverſariorum argumentis itur obviam.

Divi Thomæ mens videtur lubrica in hoc, tamen ſi attente legatur, nũquam negat intenſionem per additionẽ intenſivam entitatis novæ, & gradus diſtincti, prout nos dicimus, ſed potius eam fatetur. Nã 2.2. q. 24. artic. 4. quęrit utrum Chriſtus poſsit augeri: & in ſolutione tertij refert opinionem eorum, qui negarunt charitatem in-

intendi per additionem partiũ eſſentiæ, ſive entitatis, ſed vel per ſolam maiorem radicationẽ in ſubiecto, vel per maiorem virtutem ferventius operandi. Subdit hos authores propriam vocẽ ignoraſſe. Deinde priorem illius diſiunctivę partem refutat; quia cum accidentis eſſe ſit inesse, charitatẽ magis ineſſe, & magis radicari in ſubiecto, erit plus entitatis habere. Poſteriorẽ; quia cum charitas non ſit aliud quam virtus activa, idem erit augeri in entitate & in virtute ferventius operandi. Verba ſancti Doctoris hæc ſunt: *Ad tertium dicendum quod quidam dixerunt, charitatẽ non augeri ſecundum ſuam eſſentiam, ſed ſolum ſecundum radicationem in ſubiecto, vel ſecundum fervorem, ſed hi propriam vocem ignoraverunt, cum enim accidens ſit: eius eſſe eſt ineſſe. Vnde nihil eſt aliud ipſam ſecundũ eſſentiam augeri, quam eam magis ineſſe ſubiecto, quod eſt eam magis radicari in ſubiecto: ſimiliter etiam ipſa eſſentialiter eſt virtus ordinata ad actum.* In hoc ſenſu quem ſanctus Thomas intendit, libentiſsime admittimus qualitatem intẽdi per maiorem radicationem. In quo etiam libenter admittimus qualitatem per intenſionem magis ac magis educi, quia ſcilicet novæ partes eius ex ſubiecto educuntur. Hunc tamẽ ſenſum iam vidimus à Thomiſtis reijci. Niſi ergo velis ut Doctor ſanctus ſibi ſit omnino contrarius, dici nõ poteſt alicubi repugnare noſtræ ſententiæ: quod ut facilius conſtet, moneo, ſanctum Doctorem illud accidens tantum vocare numero diverſum, quod eſt in in ſubiecto diverſo, ut indicat 1. par. q. 50. artic. 4. in corpore, inquiens, *Impoſsibile eſſet dicere quod eſſent plures albedines ſeparatæ, aut plures humanitates, cum albedines nõ ſint plures, niſi ſecundum quod ſunt in pluribus ſubſtantijs.* Quando igitur negat qualitatem intendi per additionem qualitatis præciſe vult non intendi per additionẽ qualitatis numero diverſæ, quia id quod additur ponitur in eodem ſubiecto cum priori, quod clare innuit in 1. ſentẽtiarum, diſt. 17. q. 2. art. 2. aſſerens non poſſe addi qualitatem qualitati, niſi ſubiectum ſubiecto addatur, non tamẽ negat addi poſſe partem qualitatis ex qua cum præexiſtente una numero qualitas integra, quia unum numero afficit ſubiectum, conſtetur, nos autem quibus non eſt in uſu ille modus philoſophãdi de diſtinctione numerica, abſolute dicimus intenſione addi novum gradum gradui, vel qualitati partiali novam aliam partialem numero diſtinctam.

Oppones primo, Ariſ. c. de qualitate, docet concreta ſuſcipere magis, & minus, non vero abſtracta, ergo, &c. Reſ. Ariſtotelẽ non negare abſtracta ſuſcipere magis, & minus, ſed ſolum hoc eſſe per ſe notum in concretis, cum de abſtractis multi dubitẽt. Adde non admittere Ariſtotelẽ eã locutionẽ in abſtractis, ſicut in cõcretis, quia ſignificaretur, illud magis & minus eſſe in differentia conſtitutiva, & eſſentiali ratione caloris; quod eſſet falſum, nã in illa non eſt latitudo, ſed in integritate caloris: ideo unus calor non dicitur magis calor quam alius, ſed maior & perfectior; ſicut linea non dicitur magis linea, ſed maior: calidum autem dicitur magis calidum, quia nõ ſignificatur exceſſus in differentia eſſentiali caloris,

ſed in participatione formæ cōſtituentis calidum, quo ſolū ſignificatur exceſſus accidentalis.

Inſtabis. Calor ut unus ſeparatus à ſubiecto poſſet intédi & fieri ut octo per divinam potentiam, in quo eventu talis actio vocari poſſet intenſio, non quidē prout hæc vox ſignificat mutationem ex ſubiecto, ſed prout ſignificat productionem aliquorū graduum qualitatis inſēſibilis, nam talis productio fieri poteſt per modum creationis. Et patet, quia ſicut poteſt Deus efficere extra ſubiectum totum accidés, ita poteſt illud efficere per partes, ſi ſit diviſibile, ergo augere poteſt in perfectione intenſiva calorem ſeparatum, ſicut poſſet ſucceſsive augere ſecundum extenſionem lineam, vel ſuperficiem ſeparatam. At ex hoc ſequitur non tantum unum calidum eſſe magis calidum quam aliud, ſed etiam unum calorem magis calorem, ſiquidem non ſolum ipſum ſubiectum magis afficitur, ſed etiam iſte calor magis haberet de entitate caloris. Reſp. totum quod aſſumitur ut verū admitti. Ad id quod infertur dico, quod ad rem attinet etiam eſſe verum, ſcilicet ipſam formam caloris eſſe magis perfectam, & integram in ſua entitate: neq. hoc negare potuit Ariſtoteles: quare eo ſenſu abſtracta etiam in re ſuſcipere poſſe magis & minus. Addo tamen quoad formam locutionis, hanc magis admitti in concretis quam in abſtractis; tū quia nec reperitur forma naturaliter ſeparata, nec ſeparata poſſet naturaliter augeri; tū etiā, quia ex diverſo modo ſignificādi abſtracti & concreti, in illo magis & minus ſignificant potius exceſſum in eſſentiali conſtitutivo, non ſic autem in concreto, ut dixi.

Oppones ſecundo, Ariſtot. 4. Phyſi. textu. 84. aſſerit, ex calido fieri magis calidum nullo facto calido de novo, ergo nullo producto calore de novo. Reſpondetur primo, Ariſtotelem aſſerere calidum fieri magis calidū nullo adveniente alio ſubiecto calido; fit enim intenſio non additione partis caloris in diverſa, ſed in eadem parte ſubiecti. Hunc Germanum eſſe ſenſum ex textu cōſtat, nam pro illis (nullo facto calido) ſic habet, *Nullo facto in materia calido quod non eſſet calidū quando minus erat calidum.* Non ergo denegat additionem partis caloris, ſed novi ſubiecti. Refellit etiam illic ſententiam aſſerentium corpus fieri magis calidū appulſu corpuſculorum calidorum. Secundo reſpondēt alij, fieri magis calidum nullo facto alio calore novo qui per ſe calor ſit: calor enim de novo productus intenſive, non eſt abſolute calor diverſus, ſed pars caloris efficiens integrum calorem per ſe cum alijs. Vnde neque propriè dici partem caloris addi alteri ex modo loquendi D. Thomæ, quia ut diceretur addi neceſſe eſſet ut prius exiſteret ſeparata per ſe in alia parte ſubiecti, & deinceps necteretur alteri: quem modum loquendi uſurpat divus Thomas 2. 2. q. 24. art. 4. ait autē albedinem addi alteri quando parieti albo additur alter præexiſtens, ea q. propter negat charitatem addi charitati, ad hoc enim neceſſe eſſet mentem rationalem addi menti rationali.

Opones tertio. Duo accidētia eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul

mul eſſe in eodem ſubiecto; ſed gradus ſecundus & tertius ſunt accidentia eiuſdem ſpeciei; ergo non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, ac proinde nec facere intenſionem. Nego maiorē, nam in aere reperiuntur ſpecies duarum albedinum, imo & ſpecies directa ac reflexa eiuſdem albedinis: in oculo etiam plures ſpecies numero diſtinctæ, ut viſiones Petri & Pauli: in intellectu ite cognitiones. Adde quoſdā exiſtimare hos gradus eſſe ſpecie diverſos.

Oppones ultimo. Si qualitas augetur eo modo producetur eſſentia qualitatis, atqui hæc augeri non poteſt, nam eſſentiæ rerū conſiſtunt in indiviſibili; ergo. Reſpōdeo, eſſentias conſiſtere in indiviſibili quoad numerū prædicatorum eſſentialium, generū, & differentiarum, non tamen quoad numerum partium participantium eadem prædicata eſſentialia, ut conſtat in partibus quantitatis, ſubſtātiæ corporeæ, & ipſius qualitatis extenſivæ. Non itaque augetur qualitas ſecundum eſſentiam quoad prædicata eſſentialia, bene tamē quoad aliquam partem novam habentem eandem eſſentiam, & in hoc ſenſu dici poteſt ſecundū eſſentiam entitative augeri. Aliud itaque eſt eſſentiam eſſe indiviſibilem, aliud longe diverſum cōſiſtere in indiviſibili. Primū nō convenit nulli qualitati corporeæ, nec ſpiritali omni quoad intenſionem, ſed ſolū quoad extenſionem: ſecundum vero convenit rebus omnibus modo dicto.

(?)

DVBIVM V.

Sintne gradus qualitatis diſsimiles in perfectione, & inter ſe ſubordinati.

SIT Aſſertio. Gradus intēſionis eiuſdem qualitatis, ſunt inæquales, & diſsimiles. Suadetur primo. Primus gradus caloris, v. gratia, expellit octavū frigoris, & non alium, ergo ſunt diſtinctæ rationis cum alijs gradibus eiuſdem qualitatis. Liquet conſequentia, alias non eſſet cur potius unus expelleretur, quam alius. Quidā reſpōdent, ſolū ultimū expelli, nō quia ſolus ipſe ex natura rei opponatur primo magis quā alij, ſed quia eſt ultimo loco introductus: nā ordine deſtructionis faſtigium quod ultimum imponitur, primū deſtruitur. Contra primo, quia ſæpe omnes gradus ingrediuntur ſimul in primo inſtanti: ut cum quis eliciens actum nobiliſsimū caſtitatis producit in ſe habitum caſtitatis intenſiſsimum, qui poſtea per actus contrarios, & habitus item contrarios remiſſos paulatim remittitur: ergo tunc non eſt ratio cur per primū gradū habitus inhoneſti expellatur ultimus honeſti potius quā alius. Secūdo, nā ordo ille deſtructionis ex eo ſumitur: quia fundamentum ſuſtinet tecti molem; at primus gradus in tua ſententis non ſuſtinet reliquos: ergo non eſt cur in eis deſtruendis ille ordo ſervetur. Tertio, quia reddenda eſt ratio cur unus ingrediatur primus quam alter, neo in tua ſententia reddi poteſt, in noſtra facile.

Ita Suarius diſp. 46. ſe. 1. n. 38 Murcia hic lib. 1. diſp. 2. q. 1. Hurtad. diſput. 5. ſe. 6. & recentiores communiter.

Reſpondent alij, negotiũ eſſe primæ cauſæ determinare quinã gradus ſit prius alijs deſtruẽdus. Verum ſæpe docuimus non eſſe philoſophicum ad Deum confugere, cum ſufficiens adeſt cauſa ſecunda; in præſenti autem aſsignari poteſt, aſsignata his gradibus inæqualitate perfectionis. Præterea, ſi illi gradus ſunt ęquales, ergo primus omnibus opponitur formaliter, ergo non poteſt ſine miraculo cum eorũ aliquo coniungi. Liquet prima conſequentia, quia quod ſeipſo expulſivum eſt alicuius, expellít ex ſe omnes ſimiles, nam expulſio formalis non eſt intellectualis & voluntaria, ita ut diſcernat hũc ab alio æquali & ſimili, ſed eſt incompoſsibilitas intrinſeca unius cũ alio, ergo ſi ex ſe unus gradus, eſt incompoſsibilis cum alio, cum omnibus illi ſimilibus erit incompoſsibilis. Confirmatur, vel primus gradus frigoris ex ſe, & ex natura rei eſt incõpoſsibilis cum aliquo gradu caloris, vel non: hoc ſecundum dici nequit, cum ſint formę cõtrariæ. Si primum aſsignetur quia ille ſit in particulari, non enim cum omnibus pugnat.

Dices, quem Deus deſignaverit. Contra, ergo ante deſignatio nem Dei non habent repugnantiam, ex quo ulterius ſequitur pugnantiam iſtam formarũ contrariarum non eſſe intrinſecam, & formalem ex natura rei, ſed extrinſecã ex deſignatione Dei, atque adeo præciſa deſignatione extrinſeca Dei nullam habẽt oppoſitionem. Confirmatur. Si quivis illorum graduum remanentium eſſet aſsignatus à Deo ut pelleretur, eſſet expulſus, ergo expelli modo eſt extrinſeca denominatio aſsignationis Dei. Tum, quia intrinſeca formalis repugnantia eſt incompoſsibilitas intrinſeca cum alio, ſed gradus primus non habet intrinſecam incompoſsibilitatem cum alijs gradibus remanentibus, ergo non habet pugnãtiam formalem cum illis: atq. adeo, ſi Deus aliquem horum remanentiũ deſignaſſet, non eſſet expulſus formaliter à primo, ſed extrinſece à Deo.

Secundo. Si in manu coniungerentur octo gradus primi caloris, non experiretur quiſpiam maiorem calorem formaliter: ergo intenſio maior non ſit additione ſimilis partis. Antecedens probatur. Secunda pars adueniẽs non continet in ſe maiorem calorem quam prima: ergo neque tribuet formaliter maiorem eſſe ctum caloris. Probatur conſequentia. Effectus formalis, eſt ipſa forma communicata: ergo ſi forma in ſe æqualis omnino ſit, tribuet æqualẽ effectũ formalẽ.

Tertio. In eodem medio ſunt duæ ſpecies intenſionales eiuſdẽ albedinis, una directa, & alia per ſpeculum reflexa: & in eodẽ oculo ſimul duæ viſiones eiuſdem albedinis, una directa, alia reflexa eiuſdem ſpeciei, & ſimul in eodẽ intellectu, duæ intellectiones eiuſdem prorſus obiecti omnino ſimiles, nec tamen faciunt intenſionem. Ergo ſolus cumulus pluriũ qualitatũ eiuſdẽ rationis nõ faciũt intẽſionẽ, ſed oportet eſſe diſsimiles, & inæquales.

Reſponderi poſſet, eas ſpecies, & actus non facere intẽſionem, quia non uniuntur inter ſe, ſed cum ſubiecto. Sed contra, quia reddenda eſt ratio cur inter ſe non uniantur, cum non differẽs

inter ſe magis quam primus & ſecundus gradus, & alioquin uniantur cum eadem parte ſubiecti, quæ ratio reddi non poteſt.

Quarto. Calidum ut quatuor, ſi reperiat in ſubiecto quartum gradum caloris, non producit quintum; ergo calor ut quatuor, non æquat perfectionem gradus quinti. Si enim æquaret, cur non produceret? non defectu virtutis, ut patet: non ſubiecti, hoc enim capax eſt plurium graduum: nõ diſpoſitionum, quia ſubiectũ habẽs quatuor gradus caloris, proxime diſpoſitum eſt ad recipiendum quintum; ergo ratio cur nõ recipiet eſt, quia calor ut quatuor nõ æquat perfectionẽ quinti, & ſic nõ valet illũ producere.

Aiunt nõ eſſe hanc rationem: ſed quia ſimile non agit in ſimile. Contra, nam huius reddenda eſt ratio cur ſimile non agat in ſimile, quam iſti nõ reddunt, nos facile: quia ſimile non habet formã æque perfectam cum ea quã in ſimili deberet producere. Dices, quia intenſio agentis naturalis eſt aſsimilare ſibi paſſum, & eo fine obtento ceſſat actio. Contra, nam intenſio agentis naturalis eſt producere quantũ poteſt: & quia producere nõ poteſt perfectiorem ea forma quam habent, ideo non amplius intendit, quam producendo formę ſuæ ſimilem, aſsimilare ſibi paſſum. Iſti vero nunquam dicẽt cur intentio agentis illa ſit.

Quinto, plus perficitur qualitas intenſione quam extenſione, ſed ſi gradus eſſent æquales, nõ plus perficeretur: ergo, &c. Maior patet, tum ex locutione communi, tum, quia perfectio intenſiva cenſetur perfectio ſimpliciter, extenſiva vero ſecundum quid: unde Deus & creatura non dicitur eſſe ſimpliciter maior perfectio quam ſolus Deus: bene tamen maior perfectio extenſiva. Minor probatur, quia gradus intenſionis, & partes extenſionis per ſe ſunt omnino æquales, ergo non magis perficitur qualitas per illos quam per iſtos. Confirmatur. Tam ſimilis eſt ſecundus gradus caloris primo, quam ſecũdus palmus quantitatis primo: ergo ſicut quantitas non perficitur ſimpliciter extẽſione, ita neque calor intenſione.

Dices, intenſione perfici ſimpliciter, quia perficitur in eadẽ parte ſubiecti. Verum contra, nam perfectio illa intẽſiva qualitatis non fit per unionem alterius partis qualitativæ ad ſubiectum, ſed ad qualitatem præcedẽtem, atqui id reperitur etiam in extenſione, ergo æque per eam qualitas perficitur ac per intenſionem, niſi hæc gradus diſsimiles prioribus adiungat.

Ex his collige, inæqualitatẽ perfectionis non ſolum debere eſſe in partibus intenſionis determinatis, quales ſunt primus, ſecundus, & reliqui gradus, ſed etiam partes proportionales cuiuſcumque gradus diſsimiles eſſe in perfectione, utrumque enim probant adductæ rationes. Ex his autem gradibus ſuperior eſt perfectior inferiori, nã ſuperiore addito augetur virtus, & detracto minuitur, ergo eſt perfectior abſolute. Nec obeſt ſecundum pendere à primo, non ẽ cõtra; licet enim id verum eſſet, de quo dubio 7. ſolum tamen indicaret perfectionem ſecundum quid, ſic forma perfectior eſt materia abſolute, licet hæc independens ſit, illa vero dependens.

DV.

DVBIVM VI.

Adverſariorum argumenta proponuntur, & enervantur.

Vazq. 1. 2. diſp. 81. c. 6. nu. 15. Toletus libr. 1. c. 3. q. 4. Conimbr. q. 2. art. 3. ad vlti. Rub tract. 3. q. 5. Salas 1. 2. tract. 13. d. 5. ſectio. 5. Lor. 1. 2. d. 81.

VAzquez, Toletus, Conimbricenſes, Rubius, Salas, Lorca, & plures huius tẽpeſtatis authores tuẽtur gradus qualitatis eſſe prorſus ſimiles, & æquales; addítq. Lorca ex noſtra ſententia excitari multas, & inſolubiles difficultates. Sed aggrediamur earum ſolutionem.

Prima. Ex eo ſolum quod cõcipiantur plores partes ſimiles & æqualis perfectionis coniungi invicem in eadẽ ſubiecti parte, intelligitur ea qualitas perfectior, & efficacior ad operãdum, ergo non eſt neceſſaria diverſitas, & diſsimilitudo graduum ad intenſionem. Antecedens probatur. Virtus unita fortior eſt, cõtingit etiam ſæpe multitudinem agentiũ ſimilium deſervire plurimum ad effectum præſtantiorem eliciendum, ergo. Antecedens primum negandum eſt de perfectione intenſiva, concedendum vero de perfectione quaſi extenſiva: ſicut duæ animæ rationales æque perfectę dicunt maiorem perfectionem extẽſivam, quia id quod additur non continet maiorem perfectionem altero invicem comparatis. Ad oſtenſionem antecedentis dic, plura agentia ſimilia per ſe non habere maiorem virtutem quã quodlibet ſigillatim, per accidens vero efficiunt aliquando duo agentia ſimilia aliquid, quod unicum ſolum non præſtaret, contentum tamen intra virtutem cuiuſque. Vnde quamvis Deus coniũgeret octo gradus primos, non producerent niſi primum gradum, citius tamen propter agentiũ multitudinem.

Secunda. Gradus ſecundus eſt perfectior primo? ergo continet eum formaliter: ergo adveniente ſecundo peribit primus. Prima conſequentia falſa eſt, nec legitime deducta; Angelus enim præſtat rebus omnibus corporeis, & albedo coloribus cunctis, nec tamen eos formaliter cohibet. Ratio vero eſt, quia continere aliquid formaliter eſt in ſe obtinere conceptum alterius eſſentialem, vel eſſe formã, quæ per ſe in genere cauſæ formalis tribuat illum effectum, vel eſſe rationem cur aliquid ſit per ſe tale: at ſecundus gradus non cõtinet in ſe primi conceptum, neque eſt ratio cur ſubiectum ſit calidum ut unum, ſed ut duo. Continet quidem ſecundus primum eminenter, eo quod virtutem eius productivam contineat, ut dicam dubio nono.

Tertia. Vel gradus ſunt eiuſdẽ ſpeciei, vel diverſæ: non diverſę; quia quæ ſpecie differunt, continuari non poſſunt: non eiuſdem, quia non poterit explicari quomodo diſsimiles ſint, & perfectione inæquales. Reſp. Hurtad. gradus eſſe ſpecie diverſos, & tamẽ cõtinuari poſſe, quia nõ differũt ſpecie totali, ſed partiali. Nõ placet, quia cõtra cõmunem ſententiam, nec neceſſarium. Quare reſpondeo eſſe eiuſdem ſpeciei, & inæquales in perfectione individuali; quæ inæqualitas negari non poteſt. Cernitur enim inter duos actus Angelicos, quorũ unus repręſentat ſolum Petrum, alter Petrum ſimul & Paulum:

inter duas viſiones Dei, quarum una plures, alia pauciores creaturas attingit: & inter duos actus fidei, quorum uno creditur unus articulus, alio plurimi. Hoc tamē ex profeſſo diſputandum eſt ad primum de anima.

Quarta. Gratia nō intenditur per gradus diſsimiles, ergo neq. cæteræ qualitates. Antecedens oſtenditur. Mereatur quis per actum charitatis gratiam ut ſex, poſtea eliciat alium actum remiſſiorem. v. g. miſericordiæ. Modo ſic, hoc actu ſecūdo remiſſo, vel meretur aliquid gratiæ, vel non. Primum dici nequit, cum omnis actus bonus elicitus ab homine iuſto, gratiæ, & gloriæ ſit meritorius, igitur meretur aliquē gradū gratiæ, qui additus illis ſex, erit ſeptimus; ſed iſte gradus ſeptimus non eſt perfectior illis, nā aliàs actus iuſti remiſſus perfectius præmium mereretur, quā actus intenſus, quod eſt rationi abſonum; ergo gratia non intenditur per gradus diſsimiles.

Cōfirmatur primo. Adeat quis Sacramentum Pœnitentiæ cum diſpoſitione ut unum, tunc obtinebit primum gradum gratiæ, redeat iterum cum diſpoſitione ut unum, ergo ſi intenſio gratiæ fieret per gradus diſsimiles, túc nullum gratiæ gradum reciperet, quod plane eſt falſum. Conſequutio autem iſta patet, nam túc deberet recipere gradum gratiæ quo prior intenderetur, & ipſe homo fieret magis gratus, ſed non poteſt tunc mereri niſi primum, vel ſimilem primo, quem iam habet, quia cum eo tantum habet diſpoſitio proportionem, & ſi iſte detur erit ſuperfluus, ergo ſi non fiat intenſio gratię per gradus ſimiles, tunc nullum gradum reciperet. Confirmatur ſecundo. Homo redditur ſanctior bonis operibus, ſi ergo exequatur tres actus bonos, ſive illos eliciat. 1. remiſſum. 2. intenſum. 3. medium, aut è contra, æque ſanctus evadet; eandem enim proportionem habent tres gradus gratiæ reſpondentes tribus bonis operibus ordine inverſo, vel directo ordine factis, ergo gratia quæ pro illis bonis operibus datur, ſemper eſt eiuſdem rationis.

Reſpondeo, negando primum antecedens. Ad probationē dico primo cum Hurtado hic. §. 62. meritum non tantum ex intentione operantis, ſed ex perſonæ dignitate, ſeu eius gratia expendendum. Quare cum actus ſecundus remiſſus, v. c. miſericordiæ, procedat iam à perſona magis grata, inde habet ut maius & perfectius præmium quam primus actus intenſus charitatis procedens à perſona minus grata conſequatur: nam quod deficit in illo opere, ſuppletur ex maiori gratia operantis, itaque ſæpe gratia præcedens novo opere bono, ſive intēſo, ſive remiſſo, augetur acceſſu gratię perfectioris. Vel ſecundo dico cum ipſo Hurtado §. 63. poſitis primo duobus principiis in Theologia ſatis receptis. Primo, Deum noſtra opera afficere præmio uberiori quam ipſis condigne debeatur, quod ſonat adagium Theologicum, *Deus præmiat ultra condignū, & punit citra condignum.* Secundo. Gratiam non augeri phyſice per bona opera, ſed moraliter, cum dignitate tamen orta, tum ex eorum bonitate, tum ex gratia gratum Facientè. Nunc inquam dico ſecundo, quodlibet opus bonum ex

R Chriſti

Chriſti gratia, & in gratia elicitum ex ſe eſſe condignū augmēto gratiæ, eſſeque aliquem gradum illi condigne reſpondentem; quando autem ante opus remiſſum præceſsit intenſum, tantum fuiſſe ob intenſum, gradum gratiæ condigne reſpondentem operi remiſſo: quia tamen id per accidens eſt, non impedit quominus per ſe mereatur augmentū gratiæ, & quia Deus ſtatuit, ut nullū opus abeat indonatum præmio, item cuivis operi ſtatuit præmium ultra cōdignum. Hinc fit ut iuſto plus gratiæ, quā ipſe condigne mereatur, tunc rependat. Vel etiam ultimo dico, illi operi remiſſo poſtea ſuccedenti, & elicito ab homine iam grato ut ſex, tribui aliquam minorem particulam de gradu ſeptimo multo minorem quam ſine primo gradu eſſet tribuenda, illius enim exiguitate fiet præmium proportionatum actui remiſſo poſt intenſum ſuccedenti, quia portio minima de ſeptimo gradu ſua perfectione æquat portionem maiorem de primo gradu tribuendam. Sicut ſi dominus duobus vineæ operariis æque laborantibus ſtipendium pro opera redderet uni argento, & alteri auro, plus uni tribueret argēti quam alteri auri, cuius parvitas æquaret pretio argenti magnitudinem. Ex his facile quis duarum confirmationum ſolutionem conijciet.

Vrget Salas inde fieri intenſionem actus mali aperiendam eſſe in confeſsione, quia addit actum deteriorem cæteris. Suarez to. 3. 3. partis, diſp. 12. ſec. 4. nu. 12. & Conink. diſput. 7. de integritate confeſsionis, dub. 3. num. 14. tūc aſſerunt intenſionem actus conſitēdam eſſe cum prodit in actus externos, v. g. ſi quis occiſum iā inimicum pluries cōfoderet, vel quando talem voluntatem haberet, aliás ſi mere interna ſit intēſio, difficile poteſt deprehendi, ideoque nec eſt cur multum aliquem ſolicitum reddat.

Quinta. In rebus per ſe ſubordinatis datur una, quæ ſit prima cęterarum: & alia quę ſit poſtrema; aliás abiretur in infinitum, ſed in partibus intenſionis quippe quæ continuæ ſint, non datur prima, nec vltima, ergo nō ſunt per ſe ſubordinatę. Reſpondeo, quamvis in partibus proportionalibus intenſionis non aſsignetur prima, nec ultima, ſicut neque in partibus proportionalibus extenſionis; bene vero in partibus determinatis, in eis enim licet unam primam partem determinatam comparatione cęterarum ſimilium, ſicut & ultimam deſignare, quarum quævis ex infinitis proportionalibus coaleſcit: quod vero detur infinitus proceſſus in partibus intenſionis proportionalibus, non eſt incommodum, ſicut neque quod detur in partibus extenſionis.

Sexta. Ex noſtra ſententia ſequitur primum gradum eſſe omnium imperfectiſsimum, & octavum eſſe perfectiſsimum, ſimul vero imperfectiſsimum eſſe perfectiorem perfectiſsimo, quod eſt abſurdum. Probatur: nā primus gradus caloris opponitur octavo frigoris, & illum pellit à ſubiecto, ergo imperfectiſsimus gradus unius qualitatis præſtat perfectiſsimo alterius, & eſt illo perfectior. Admitto, primum eſſe imperfectiſsimum in eadē qualitate, & octavum perfectiſsimū. Falſo tamē infertur ex eo quod

pri-

primus expellat ultimum, imperfectiſsimum eſſe perfectiorē perfectiſsimo. Cum enim expulſio non fiat effectivè, ſed formaliter, non tam reſpicit perfectionem, quam incompoſsibilitatem; atque ita videmus res longe imperfectiores expellere perfectiores; nā privatio expellit formā, & inter formas contrarias, & poſitivas forma cadaveris expellit rationalem. Imo ſi recte attendatur, in præſenti eſt peculiaris ratio, ut requiratur maior perfectio ad expellendum primū quā octavum: nam gradus pugnans cum octavo ſolum pugnat cum eo, non cum alijs, quare neque alios deſtruit; deſtructo enim octavo gradu, naturaliter manent ſeptem alii. At vero gradus repugnans primo, repugnat toti formæ, nam cæteri gradus ipſum ſupponunt, & in eo quaſi fundantur, ideo illo pereunte, pereunt ex natura rei. Vnde caſu quo produceret Deus in aqua octavū gradum caloris ſine alijs prioribus, corrumperentur omnes gradus frigoris, quia octavus caloris pugnat cum primo frigoris, illūq. deſtruit, ſine quo nequeunt cæteri naturaliter conſervari.

Septima. Duo corpora ex quibus unumquodque ſit grave ut quatuor æquali pondere & velocitate deorſum petent ac grave unum ut octo, ergo intenſio fiet additione partium ſimilium. Antecedens probatur, quia experimento conſtat corpus grave additione aliorum æqualium magis gravitare, ergo ita creſcere poterit additio partium æqualiū ut quatuor, ut æquet pondus grave ut octo. Negandū antecedens. Ad eius oſtenſionem ut reſpondeas, adverte, ſæpiſsime corpora gravia, nō producere motum localem iuxta menſuram intenſionis propriæ gravitatis, quia ſæpe impediuntur, tum à medio reſiſtente (aer enim obſiſtit deſcenſui gravis) tum ab aere qui aliquando in magna copia includitur in poris corporis gravis, & leuitat. Argumento eſt, quia res multum poroſę innatant ſummis aquis. Diſpoſitio etiam & figura corporis plurimum confert ad velocitatem motus: res enim acuminata æqualis ponderis cum alia plana, velocior deſcendet, quia eſt aptior medio ſcindēdo, eiuſque ſuperanda reſiſtentia. Ex quo dicendum ad argumentum cæteris paribus nullam multiplicationem corporum gravium ut quatuor producere gravitatem ut octo, neque deſcendere velocitate ut octo, nihilominus frequēter corpus grave ut unū v.g. non edit integrum effectum cuius habet virtutem, vel ratione reſiſtentiæ medij, vel aliunde; ideoque adveniente alio corpore ſimilis intēſionis iuvatur ad maiorem effectum producendum ex his, quos in ſua virtute continet; dicemus enim infra multitudinem agētium deſervire per ſe ad maiorem effectum, non ſupra virtutem agentis, ideoq. neganda conſequentia probationis antecedentis.

Octava. Sit pondus, quod ut moveatur egeat impulſu ut octo: applicentur illi duo homines, unuſquiſque ſecundum virtutē ut quatuor, movebunt illud, ergo ille motus eſt intenſus ut octo per ſolam applicationē duarum virtutum ſimilium ut quatuor. Reſpondeo. Si pondus ita conſtituatur ut indigeret impulſu ut octo, nō movebitur niſi

applicentur ita, ut producant impulſum ut octo, ad quem uterq. concurret ut cauſa partialis.

Nona. Si aqua calida ut ſex dividatur, quævis pars eſt calida ut ſex; at pondus ut ſex, diviſum non remanet in quavis eius parte ut ſex, ergo ſignum eſt fieri intenſionem additione partium ſimilium. Hoc argumentũ ſi quid valeret, probaret intenſionem ponderis fieri additione partium extenſionis, & remiſsionem detractione earundem, cum minus grauitet pondus, quo plures partes extenſionis ab illo auferuntur. Vnde reſpondeo, ſi pondus ita conſtituatur ut gradus intenſionis ſextus, extenſus ſit per totum pondus, ſicut & per totam aquam, diviſione facta etiam remanere in partibus pondus ut ſex. Nec obeſt diviſione facta nõ tãtum gravitare partes ſingulas quam totum coniunctum; hinc enim ſolum fit effectum gravitatis augeri additione partium extenſionis, quia effectus ſolet augeri additione agentium, & eorundem extenſione ut infra. Effectus ergo gravitatis cum ſit, vel motus localis deorſum, vel impulſus impreſſus in alio corpore obſiſtente, ſi plura addãtur agentia erit intenſior, non ſupra virtutem propriam, ſed quia multitudo agentium, & facilius conducit ad ſuperandam contrarij reſiſtentiam, & ad præſtantioré effectum: & ideo additis partibus corpori gravi plus gravitat.

DVBIVM VII.
De ſubordinatione graduum inter ſe.

HI Doctores qui gradus cõſtituunt, eorumque partes in perfectione abſimiles, omnes conſtituũt ſubordinationem inter illos, quæ in hoc primo ſita eſt, quod gradus imperfectiores ſint, veluti diſpoſitiones ad ſuperiores, hique ab illis pendeant: quam quidem ſubordinationem & dependentiam exiſtimant eſſe per ſe, nec ſolum per accidens.

Huius aſſerti apud ipſos non invenies efficacem rationem niſi ſolum ipſam experiẽtiam, eoquod nunquam producãtur perfectiores ſine imperfectioribus: quod indicium ſufficiens nõ eſt; poteſt enim illa concomitantia graduum provenire ex efficacitate cauſæ, & diſpoſitione ſubiecti, ex eo ſcilicet, quod cauſa productiva graduũ ſuperiorũ, ſit ſimul productiva inferiorũ, & cauſa receptiva ſuperiorũ ſit etiam capax ſimul recipere inferiores. Quando enim ſubiectum eſt capax ſimul recipere aliquos effectus, & cauſa potens ſimul eos producere, producuntur illi quãvis invicem dependentiam non habeant, ut cernere licet in Sole, qui ſimul producit plures effectus accidẽtales in aliquod ſubiectum capax illorum, neque tamen omnes effectus quos ſimul producit dependentiam habent invicem. Poteſt id ipſum declarari in igne, & calore, qui non poſſunt producere niſi plures partes extenſionis caloris: inde tamen non fit unam partem extenſionis eſſe diſpoſitionem ad

aliam,

aliam, aut dependere neceſſario unam ab altera determinatam, ergo recte ſtare poteſt plures effectus ſimul produci & ſine dependentia invicem. Et quidem cum gradus iſti ſuperiores & inferiores eiuſdem qualitatis non ſint incompoſsibiles inter ſe, fit inde, ut idem ſubiectum ſit capax ſimul recipere illos omnes, atque adeo etiam cauſa activa ſimul eos producet poſitis requiſitis. Quod vero prius aliquando inferiores ſine ſuperioribus producantur, provenire poteſt ex duplici capite, ſcilicet, vel ex eo quod cauſa non ſit debite applicata; non enim in magna diſtantia habet vim producendi perfectiorem intenſionem, & ex imperfectione agentis creati provenit, ut agat uniformiter difformiter intra ſuam ſphæram; vel etiam provenit ex diſpoſitione contraria ſubiecti. Si enim ſubiectum habeat contrarium reſiſtens, non poteſt ſimul totū trudere contrarium, ideoque incipit à facilioribus, ſcilicet imperfectioribus.

Dices, gradus inferiores corrūpi nequeunt niſi deſtructis ſuperioribus; at ſuperiores corrumpi poſſunt non corruptis inferioribus; ergo illi habent ab iſtis dependentiam. Minor probatur, primus frigoris pellit octavum ſolum caloris. Reſpondeo dato antecedente, negando conſequentiam, quia id non provenit ex aliqua dependentia inter ſe, ſed quia primus gradus conſervatur à pluribus cauſis, ſcilicet à reliquis gradibus ſuperioribus principaliter, ut dicam: at ſuperiores non conſervantur à tot cauſis, ideoque facilius pelluntur quā inferiores: ex quo provenit, ut gradus ſuperiores pellantur ex natura ſua à forma imperfectiori in intenſione: è contra vero gradus inferiores truduntur à gradu perfectiori.

Aſſero ergo, gradus inferiores non eſſe proprie, & rigoroſe diſpoſitiones ad ſuperiores, ac per conſequens, neque ſuperiores habere depēdentiam propriam ex natura rei ab inferioribus tāquam à diſpoſitionibus, ſi ſermo ſit de dependentia orta ab ipſis gradibus, non à cauſis. Suadetur primo. In omnibus alijs diſpoſitionibus experimur non poſſe dari naturaliter ultimam diſpoſitionem ſine ea re ad quam diſponit, ſed hic datur gradus inferior ſine ſuperiori immediato; ergo inferior non eſt proprie diſpoſitio ad ſuperiorem. Et ſane hoc ineſt diſsidii inter cōditionem & diſpoſitionem, non enim conditio exigit neceſſariam cōiunctionem cum re ad quam requiritur, diſpoſitio vero ultima requirit neceſſariam coniunctionem ex natura rei cum forma: quod adeo verum eſt, ut poſita ultima diſpoſitione, etſi non detur cauſa creata potens producere effectū, non ideo ultima diſpoſitio reperiri poteſt ſine effectu, ſupplente tunc cauſa prima ſecūdarum defectus. Secundo. Diſpoſitiones ſolent eſſe proprietates rerum, ad quas diſponunt, vel quaſi proprietates, eo quod habeant neceſſariam connexionem cum illis, ut inductione conſtare poteſt in omnibus diſpoſitionibus; ſed gradus inferiores non ſunt proprietates ſuperiorum, ergo neque proprie diſpoſitiones. Tertio, gradus ſuperior ex eo præciſe quod ſuperior & perfectior ſit, non requirit diſpoſitio-

nem aliquam inferioris perfe-ctionis, ergo non habent dependentiam ab aliqua diſpoſitione inferioris gradus. Antecedens probatur. Primus etiam gradus lucis aut caloris qui nunc primus cēſetur in igne v.g. eſt perfectior alio poſsibili inferiori, qui primus eſſet, & tamen neq. requirit aliũ imperfectiorem diſponentem, neque pendet ab illo, ergo neque reliqui perfectiores gradus exigunt imperfectiorem diſponentem. Confirmatur. Si Deus de facto produceret gradum illum inferiorē primo, uniretur huic qui modo eſt primus, non ſecus ac iſte reliquis ſuperioribus, & tunc etiam ſuo ordine prius expelleretur hic gradus, qui modo eſt primus, quam inferior, & tamē ille gradus non haberet dependentiam ab inferiore, ergo etiam ſuperiores gradus qui modo ſunt producti, non dependebunt ab inferioribus ob ſimiles rationes. Quarto, leonea diſsimiles in perfectione contenti in virtute alicuius cauſæ, non habent in productione aliquam ſubordinationem, aut ordinem, aut dependentiam inter ſe, ergo neque hi gradus numero diſtincti & abſimiles in perfectione. Vltimo ignis producit plures partes extēſionis caloris ſine ſubordinatione & dependentia earum inter ſe, licet aliter non poſsit producere calorem, ergo ſimiliter producet plures gradus caloris ſine vera dependentia eaũ inter ſe.

Dicendum ſecundo, dari aliqualem ſubordinationem inter hos gradus, non ſolum ortam ex virtute cauſæ, ſed etiam ex ipſis gradibus. Primũ & ſubordinatione orta ex virtute cauſæ patet: cauſa enim, quæ eſt determinata ad octavum gradum producendum, eo ipſo eſt determinata ad ſeptimum, ſi ille non præſupponatur in ſubiecto, atque adeo nō poterit produci octavus ſine ſeptimo; non tamen eo quod cauſa ad productionem octavi indigeat productione ſeptimi, ſed ex eo quod cum ſubiectum ſit capax utriuſque gradus, & cauſa potens utrumque ſimul producere, producit tanquam cauſa naturalis utrumque, ſuperiorē ſcilicet, & inferiorem, ſi hunc non inveniat in ſubiecto. De ſubordinatione vero orta ex ipſis gradĩbus cōſtat, quia ſi ſuperior uniēdus ſit alicui inferiori connaturaliter, unietur immediato, non mediato: hoc tamen etiam reperitur in gradu inferiori, quia ſi alicui ſuperiorum nectendus eſt, erit immediato, non mediato, atque adeo hæc ſubordinatio mutua eſt. Idemque erit de partibus proportionalibus dicendum.

Dici etiam poteſt inferior aliqualis diſpoſitio ad ſuperiorem. Tum quia cōducit ut citius producatur concurrens inſtrumentaliter ad eius productionem ut infra. Tum quia ſuperior uniendus eſt cum inferioribus, quos invenit in ſubiecto, non tamen cum omnibus, ſed ſolum cũ immediato, ideoq. iſte erit aliqualis diſpoſitio ad gradum ſuperiorem.

Adverte, in extenſione poſſe reperiri aliam ſubordinationem inter ipſas partes, quia ſcilicet pars extenſionis proximior agēti poteſt eſſe conditio ut agens agat in locum diſtantem, non enim agit in remotum ſine medio. At neque hæc ſubordinatio hic

hic admittenda eſt, nam nullũ eſt eius indicium. Tum quia ea ſubordinatio provenit ab agẽ te unde nuſquam agens poteſt aliter operari ſcilicet in remotum quin agat in proximum, eo quod ob ſuam imperfectionem limitatam ſphæram habeat: at ignis & calor ſæpe producunt intenſiorẽ effectũ quin producãt minus intenſum, quando illum iam inveniunt in ſubiecto, ergo non habent prædictam ſubordinationem provenientem ab agẽte. Adde etiam, ſi hoc daremus non opponeretur tamen aſſertioni propoſitæ, quæ ſolum negat dependentiam ortam ex ipſis gradibus, non vero ab agente. Dependentia vero quam habet pars caloris in ultimo ſphæræ loco ab alijs partibus caloris medii oritur ab agente non potente operari in remotum, niſi per medium.

DVBIVM VIII.

Qui gradus contrariarum qualitatum invicem opponantur.

SEcundum quod aſſeritur cõmuniter iuxta graduũ ſubordinationem eſt, primum gradum unius qualitatis, v. g. frigoris, opponi octavo contrariæ ſcilicet caloris, non primo gradui. Quod probari poteſt vel ex dicta ſubordinatione, quia ſi primus expelleret primũ, remaneret ſecundus ſine ſua diſpoſitione à qua dependet, quod eſſe nequit, quod fundamentum labefactatum iam. Vel probari poteſt ipſa experientia. Videmus enim cum ſucceſsive minuitur intenſio ex calidiori fieri ſubiectum minus calidum, cum occidit etiam Sol ex lucidiori fieri aerem minus lucidum. Ineffi cax ratio: licet enim deſtructio inciperet ab inferioribus, ex calidiori fieret ſubiectũ minus calidum, nam ab illo auferretur vera perfectio caloris. Et licet remanerent gradus ſuperiores & perfectiores caloris, non tamen ſentiretur tantus calor ob commiſtionem contrariæ qualitatis: cum vero fit remiſsio ſine introductione contrarii per ſeparationem ſucceſsivam cauſæ, v. g. in remiſsione lucis, tunc dicẽdum eſſet deſtructionem & remiſsionem inciperẽ à perfectioribus, quia quo magis abeſt cauſa, eo minus poteſt conſervare perfectiores gradus; agens enim in locum remotiorem imperfectius agit.

Nihilominus tamen communis hæc ſententia, quæ vera eſt, probari poteſt primo. Si primus primo pugnaret, non videt quomodo poſſet primus gradus frigoris pellere primum caloris, cum uterque gradus primus æquales poſſet habere cauſas, & ex alio capite calor ex ſua natura potentior eſt ad agendum, ergo etſi primus gradus frigoris procederet ab omnibus gradibus frigoris, non poſſet primum caloris gradum trudere, maxime quando hic conſervaretur ab octo gradibus caloris, qui ſua natura frigori ſunt potentiores. Secundo cum aqua calida ut quatuor reduceretur ad priſtinũ frigus, ſequeretur dari quartũ gradum frigoris, & primum ſine intermediis. Conſtat ſequela, nã cum aqua ſe referret ad priſtinũ

frigus,

frigus, vel ea intenſio ordiretur à primo gradu, vel à quarto, qui ordine ibi deſideratur. Non à quarto, quia agens, quod ſucceſſive agit, & cum expulſione cõtrarii incipit ab imperfectioribus, quia hi facilius producuntur ob multiplicitatem agentiũ, nam omnes gradus ſuperiores concurrunt ad inferioris productionem. Si à primo, ergo reperiretur ibi gradus primus frigoris, & quintus ſine intermediis, quod dici nequit. Tertio, remiſſione eſt qualitas minus activa, ergo remiſsio fit detractione partium perfectiorum. Probatur ſequela, quia ſi remiſsio inciperet à primo, remanere poſſet ſolus octavus, qui eſt omniũ activior, imo ſolus ipſe poteſt quantum reliqui virtualiter efficienter, ergo per remiſsionem nõ remanet minus activa qualitas, niſi fiat detractione ſuperiorum graduum. Quarto, qualitas remiſſa non poteſt intendere intenſiorem, nec ſeipſam: at ſi remiſsio fieret detractione inferiorũ, ſuperioribus remanentibus, poſſet qualitas remiſſa ſeipſam, & intenſiorem intendere, ergo, &c. Minor probatur, nã octavus gradus continet inferiores omnes eminenter, ergo poterit illos in ſe producere, atq. adeo ſeipſum intendere, & poterit etiã in alio ſubiecto habente plures gradus producere reliquos, quibus caret ſubiectum, & ideo poterit intenſiorem qualitatem intendere.

Opponis primo. Si primus gradus opponeretur octavo, ſequeretur introduci aliquam formã ſine expulſione contrarii, v. gratia, frigus ſine expulſione caloris; at formæ naturales habẽtes contrarium, non ſolent introduci ſine eius expulſione. Sequela probatur. Cum frigus inducitur in aerem, primus gradus frigoris nihil expellit, non enim in aere reperitur octavus gradus caloris. Concedo ſequelam, neque enim id inconveniens eſt in aliquo gradu partiali, imo neque aliquando in totali qualitate; ſic enim integer calor productus fuit ab igne in prima ſui conditione ſine expulſione contrarii. Adde retorqueri argumẽtum: nam ſi frigus uſque ad octavum intendatur in aere, introducetur in illo octavus gradus frigoris ſine expulſione octavi caloris, qui abeſt ab aere.

Opponis ſecundo. Experimur aerem ad motum aquæ ſucceſsive frigefieri, vel ergo ea ſucceſſiva intenſio provenit à ſucceſsiva applicatione agentis, vel à cõtrario; non enim alio modo ſolet eſſe ſucceſsiva intẽſio, ut infra. At in caſu poſito non provenit ea ſucceſsio ab applicatione, quia invariata applicatione aquę ſucceſsive intenditur frigus aeris, ergo provenit à contrarii reſiſtentia, ergo primus gradus frigoris habet in aere contrarium reſiſtens, ſed nõ octavum gradũ caloris, ergo primum, atq. adeo primus frigoris primo caloris opponitur. Reſpondeo, gradum primum frigoris ſuceeſsive produci in aere ratione applicationis cauſæ infrigidantis, quę ſucceſsive aeri admovetur, ſin minus in inſtãti produceretur: reliqui vero gradus frigoris ſucceſsive produci ob reſiſtentiam caloris oppoſiti. Idem reſpõdere debent adverſarii in introductione octavi frigoris; cũ enim introducatur ſine reſiſtentia octavi frigoris, vel introducetur in

In inſtanti, vel ſolum ſucceſsive ratione applicationis cauſæ infrigidantis.

Opponis tertio. Neque intenſio poſtulat additionem perfectiorum graduum, neque remiſsio detractionem eorundem, ergo poterit fieri remiſsio detractione inferiorum, & eorundem invicem oppoſitione. Antecedẽs probatur. Si divinitus octavo gradui caloris in ſubiecto adderentur ſucceſsive ſuo ordine inferiores, eſſet tota illa qualitas magis intenſa quam antea, ergo intẽſa fuit additione graduũ imperfectiorũ. Et ſimiliter ſi integræ qualitati detraherẽtur ſucceſſive inferiores gradus, eſſet illa qualitas minus intenſa quã antea, ergo intenſio non poſtulat neceſſario additionẽ perfectiorũ graduum, neque remiſsio eorũdem detractionem. Cõfirmatur. Cum omnes gradus ſimul producuntur, illa qualitas eſt ſumme intenſa, ergo etiam ſi ſucceſſive producantur gradus, ita ut productio incipiat à ſuperioribus, erit ea qualitas ſumme intenſa, atque adeo productio ſucceſsiva inferiorum graduũ erit intenſio. Probatur conſequẽtia. Ideo cum omnes gradus ſimul producuntur eſt qualitas ſumme intenſa, quia eſt compoſita ex gradibus inæqualibus in perfectione, ſed licet ſucceſsive producantur gradus, à ſuperioribus ad inferiores, conſurgit qualitas compoſita ex gradibus inæqualibus in perfectione, ergo cõſurgit qualitas intenſa, ergo intenſione ſucceſsiva graduum perfectiorum ad imperfectiores. Reſpondeo ad argumentum, eiuſq. confirmationem in primis ſolũ pugnare contra eos, qui rationẽ dictæ oppoſitionis aſsignant, eo quod intenſio fiat ab inferioribus ad ſuperiores: quam ego rationem non reddidi. Si vero veſtiges, an additio facta modo aſſignato in argumẽto, dici queat intenſio; dicam in primis eſſe quæſtionem de nomine, nec eſſe additionem factam naturali modo, & ideo nihil mirum ſi quis illi proprium intenſionis nomẽ deneget. Præterea, ſi loquamur de intenſione in fieri, id eſt, de actuali fieri augmenti illius; dicendum videtur iuxta uſum vocabuli, præfatam additionẽ nõ eſſe appellandam intenſionem: hoc enim nomen impoſitum eſt ad ſignificandũ aſcenſum in virtute productiva, qui proprie tũc fit, cum virtuti additur alia efficacior, ſi contra fiat, potius eſt deſcenſus. Diceretur autem ea qualitas intenſa in facto eſſe, id eſt, conſtans omnibus gradibus perficiẽtibus qualitatem: non autem intenſa in fieri, id eſt facta modo proprio intenſionis & augmenti. Addo, productionẽ omnium graduum ſimul non dici proprie intenſionem, ſed aliam rationem, ſicut neq. prima productio viventis eſt nutritio: unde ſicut nutritio præſupponit partem præexiſtentem, intenſio etiam illam præſupponit. Imo ſicut augmentatio eſt modus à minori ad maius, ita intẽſio ab imperfectiori ad perfectius.

Opponis ultimo. Non repugnat ut primus gradus caloris producatur habens formalem repugnantiam cum alio primo; non enim maior eſt ratio cur octavo, & non primo repugnet. Deinde hoc erit magis conſonum naturæ, ſi poſsibile ſit, ſic enim ſtatuitur regula generalis

oppoſitionis,ſcilicet ut unuſquiſque gradus alteri gradui æquali contrariæ qualitatis opponatur. At in ſententia oppoſita eſt maxima confuſio, nam primus gradus opponitur gradui maxime diſtanti contrariæ qualitatis, quartus vero gradui proxime in perfectione inæquali, ſcilicet quinto. Reſpondeo,hunc etiam ordinem communiter aſsignatum poſsibilem eſſe, & magis connaturalem ad intenſionem, quæ fit additione perfectioris gradus.

DVBIVM IX.

Aliquot de intenſione qualitatis difficultates.

DIfficultas prima. An gradus qui octavus dicitur,debeat uniri cum ſeptimo,an vero uniri poſsit cum ſexto,v.g. Ratio dubitandi eſſe poſſet,quia in partibus extenſionis quælibet ex ſe alteri uniri poteſt, ergo idem erit in partibus intēſionis. Si vero dicas partes extenſionis cōponi partibus ſimilaribus, partes vero intenſionis diſsimilaribus; inſtari poteſt. Primo,quia etſi octavus uniretur ſexto componeretur ea qualitas partibus diſsimilaribus. Secundo. Aliquæ partes extenſionis ſunt diſsimilares,nam pars formæ leoninæ eſt diſsimilaris capitis parti, quæ licet neceſſario uniri poſtulet capiti,poſſet tamen uniri cū alia forma capitis perfectiori, ergo licet gradus ſextus uniendus ſit alicui perfectiori ſe, poterit tamen uniri gradui perfectiori mediato.

Cæterùm dicendum eſt, connaturaliter gradus debere uniri immediatis. Probatur primo. Iſti gradus ſunt ſimul penetrati in eodem ſubiecto,ergo ſi non ſunt ex ſe determinati ut uniantur cum immediatis,non erit maior ratio cur uni potius quam alteri coniungantur. Atque adeo vel quilibet coniungetur omnibus vel nulli. Præterea quælibet etiā pars proportionalis non magis uniretur uni parti quam alteri eiuſdem vel diverſi gradus,ergo deberet uniri omnibus cum alicui neceſſario uniēda eſſet, quæ abſurda ſunt. Apte ergo ſignatur hic ordo ut unuſquiſq. gradus determinatus ſit ad unionē cum immediato. Secundo. Iſti ſunt gradus invicem, fitque intenſio additione perfectioris ad imperfectiorem, & experimur ſucceſsive hunc graduum aſcenſum cū ſucceſsive paulatim producitur tota intenſio, ergo immediate hoc eodem ordine uniētur quo ſucceſsive producūtur.

Ad oppoſitum appoſite ibi reſpōſum. Ad primam inſtantiam dic, etſi gradus ille additus etiā diſsimilaris eſſet,non tamē immediatus,ſed mediatus. Ad ſecūdam reſponde partes formæ leoninæ etiam eſſe ſimilares, ut fiet perſpicuum in libris de Anima, ideoq. quælibet ex ſe alteri uniri poſſe.

Secunda. An ſaltem divinitus gradus mediati uniri valeant, v.g.octavus ſexto,& quem effectum præberent. Reſponde,poſſe divinitus uniri, cum in hoc nulla inveniatur repugnantia. Et divinitus tribuere ſubiecto effectum quem uniti alio pacto tribuerent,quia effectus, qui tribuitur ſubiecto non depēdet ab unio-

unione ad alium gradum, ſed ab unione gradus ad ſubiectum, quæ diſtincta eſt unione graduũ immediatorum inter ſe, eadéq; permanere poſſet ſine illa. Firmatur. Effectus formalis eſt forma cum unione ad ſubiectum, tunc quilibet eorum graduum eſſet eodem modo ſubiecto unitus, ergo & eundem præberet effectum.

Tertia. An gradus inferior concurrat effective ad ſuperiorem. Negant aliqui. Affirmatur communiter. Verum pro neutra parte urgens ſuppedit argumentum. Adhærendum tamen communiori ſententiæ, & aſſerendũ inferiores gradus cõcurrere inſtrumentaliter ad ſuperiores. Tum quia inferiores aliquales ſunt ſuperiorũ diſpoſitiones, ut dub. 4. Tum etiam coniectari id poteſt ex ſimilitudine & concomitantia graduum inter ſe. Tũ deniq; ex maiori celeritate qua producitur qualitas in ſubiecto quo plures gradus cohibet agẽs. Dicitur inſtrumentaliter, ſunt enim imperfectiores. Concurrẽt autem ad gradus ſuperiores nõ ſolũ inferiores, qui ſunt in paſſo, ſed etiam qui in agente ſunt, eo quod ſint eiuſdem rationis, & virtutis, ergo ſi applicati ſint utrique agent, ut dictum de diſpoſitionibus in phyſica.

Quarta. An gradus ſuperiores contineant eminenter inferiores. Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, non quod illius ſit maior perfectio, nam leo nõ habet vim effectivam omnium animantiũ ſpecie deſtinctorum & imperfectorum. Ratio ergo eſt, quia agens quo intenſius eo cæteris paribus primum gradum producit in longiori ſphæra, ac citius, ergo ſignum eſt ad id concurrere ſuperiores.

Quinta. An gradus intenſior, & ſuperior ſervatus à Deo in ſubiecto, ſine remiſſionibus poſſit illos vel in ſe, vel in alio ſubiecto producere. Negant aliqui, aſſerentes gradum ſuperiorem in inferiorum productione ab ipſis dependere, eo maxime fundamento innixi, quod gradus ſuperiores in ſuo eſſe pendeant ab inferioribus; quando autem aliquid ab alio pendet, eius etiam actio connaturaliter ab illo pẽdet ſaltem mediate, ergo gradus ſuperior ab inferiore ſeiunctus, nullum poterit inferiorem producere. Hoc tamen fundamentũ verum nõ eſt, cum ſupra ſit hæc ſuperiorum ab inferioribus, dependentia impugnata. Et licet veram haberent dependentiam in eſſe, nõ tamẽ ſatis probaretur dependere in operatione. Non enim quoties aliquid ab alio pẽdet, pẽdet etiã ab eodem neceſſario in ſuis operationibus omnibus. Nam quantitas naturaliter pendet à materia ſeparata tamẽ adhuc poteſt recipere alia accidentia, iuxta communem ſentẽtiam conſtituentem accidentia ſubiective in quantitate. Itẽ corpus non poteſt naturaliter duplicem producere motum localem, bene tamen poſitum duplici loco, imo & recipit formas contrarias. Formæ item materiales naturaliter pendent à materia; & tamen ſi unirentur divinitus materiæ ſine dependentia adhuc exercerent ſuas operationes. Suppetunt paſſim exempla: unde dictum illud argumenti ſolum eſt verũ de dependentia immediata, quando ſcilicet actio ratione ſui, aut ſui termini indi-

get aliqui re, non enim poteſt tunc eſſe ſine illa, ut liquet in agente creato, quod operari nō poteſt ſine materia, vel ſubiecto, quia actio naturalis per ſe pendet à ſubiecto. Aſſerēdum ergo, gradum ſuperiorem conſervatū divinitus abſque inferioribus poſſe illos producere. Primo, quia ſuperior gradus non pendet ratione ſui ab inferiore, ut ſupra; ergo poterit illum producere, ſi divinitus conſervetur ab inferioribus ſeiunctus. Secundo probari poteſt exemplis allatis. Item, quia formæ materiales etiam ſeparatæ ab aliquibus conditionibus, poſſent effectus non nullos elicere, nam forma leonis introducta in materiam ſine diſpoſitionibus divinitus, poſſet adhuc exercere operationes plurimas, ergo & gradus ſuperiores conſervati ſine inferioribus illos producerent. Tertio, agentia ad producendum aliquē effectum non ſolent poſtulare aliquid eiuſdem rationis cum effectu producendo, ergo calor ut octo ad producendum primum non pendet à priori ſpprime. Antecedens verum eſt in agentibus æquivocis, quæ ſi virtute contineant aliquem effectum, nō poſtulant ex parte cauſæ aliquid eiuſdem rationis cum effectu. Sic Sol ad producendum calorē non indiget alio calore: & idem patebit diſcurrenti per reliquas cauſas.

Obiectat non nemo primo. Octavus gradus caloris non eſt calor, ſed pars caloris, ergo non poterit calorem producere ſine alijs gradibus. Enervis ratio: nā ſicut pars quantitatis eſt quantitas, ita & pars caloris calor. Deinde dato antecedente, nego cōſequentiam, quia poterit octavus gradus, qui eſt pars caloris, producere alias partes, ſicut & primus producit primum.

Secundo. Anima ſeparata ab intellectu intelligere nequit, neque intellectus ſeparatus ab anima; ergo neque ſuperior gradus ſeparatus ab inferioribus illos poterit producere. Nega conſequentiam. Si enim anima ab intellectu differat, quod ſat dubium eſt, non poterit ſine intellectu intelligere, quia anima nō recipit actus in ſe immediate, ſed hi recipiuntur in potentia; intellectus vero ſine anima non intelliget, quia cum ſit eius proprietas & potentia ab ipſa producta, ut illa ad operationes inſerviat, non habet virtutem totalem, ſed partialem. Deinde anima & intellectus maiorē habent connexionem, quam gradus intenſionis; eſt enim intellectus proprietas animæ, unde neutrū ſine alio eſſe poteſt naturaliter: gradus autem nec habent ſimilem dependētiam, nec connexionem mutuam.

Tertio. Si gradus ſuperior cōtinet inferiorem eminenter, ergo & eius reſiſtentiam, ergo nō poterit ab inferiori corrumpi. Conſequentia prima vera eſt de reſiſtentia effectiva, id eſt, de vi effectiva gradus inferioris, falſa de reſiſtentia formali; non enim continet formaliter inferiores.

DVBIVM VLT.

Num intenſio ſit motus continuus & ſucceſſivus.

PRimo admittendus non eſt modus philoſophādi Toleti. *Hic quæſ. 6.*

Pri-

Primum ſcilicet gradum caloris produci totum ſimul & in inſtanti, reliquos vero ſucceſsive, quia nō min⁹ ſunt diviſibiles cæteri gradus caloris, & fiunt cum reſiſtentia contrarij ac primus, ergo ſi reliqui ſucceſsive fiunt, primus etiā, vel certe nulli. Secundo ſequitur octavum gradum corrumpi & produci in inſtanti, quod negat Toletus. Sequela patet, quia ad introductionem primi gradus corrumpitur octavus contrarius, ſed per te primus gradus caloris producitur & corrumpitur in inſtanti, ergo etiam octavus frigoris. Conſtat ergo, ſi qualitas ſucceſsive fit, fieri ſecundum omnes gradus.

8. Met. q. 22.

Socinas cum nonnullis Thomiſtarum docet, intenſionem fieri per plures mutationes inſtātaneas diſcretas, ita ut primus gradus in uno inſtanti producatur, ſecundus in alio, & ſic de cæteris.

Ita Suarez diſput. 46. ſect. 3. Conimbric. hoc lib. 1. c. 5. q. 2. art. 2. & Hurtad. hic diſp. 5. in fi.

Aſſerendum tamen, intenſionem qualitatis fieri ſucceſsive & continue. Suadetur primo authoritate Ariſtotelis. 5. & 6. Phyſic. alterationem numerātis inter motus continuos, in oppoſita autem ſententia alteratio nō eſt motus continuus, ſed aggregatio & collectio multarum mutationum inſtantanearū & diſcretarum. Suadetur ſecundo ratione, nam in hoc inſtanti primo (ut contraria tenet ſentētia) producitur primus gradus caloris, ergo tempore immediate ſequenti debet ignis producere aliquid caloris, & intendere præcedentem. Patet conſequentia, quia agens debite applicatū paſſo, & non impeditum, neceſſario producit effectum, ſed tempore immediate ſequenti poſt primū inſtans, eſt ignis debite applicatus, ergo producet ſine dubio calorem, ac proinde per motū continuum & ſucceſsivum.

Reſpondent, tempore ſequenti ignē diſponere aquam ad alterum gradum caloris. Sed cōtra, quia vel ignis diſponit aquam tēpore ſequenti nihil in ea producendo, quod nequit intelligi. Quomodo enim ignis actione tranſeunte diſponit materiam, ſi nihil in ea producit, & ea nihil recipit, ergo diſponit aliquid producendo, v. g. raritatem, vel aliquam aliam qualitatem, quæ ad calorem diſponat, ergo iam tempore ſequenti continue, & ſucceſsive fiet raritas, vel alia qualitas, ac proinde dabitur motus continuus & ſucceſsivus ad aliquam qualitatem, quod negabas. Item, nunquam aſsignabis rationem ob quam ſucceſsive fieri valeat huiuſmodi diſpoſitio, & non calor. Tertio. Sol dū per motū per noſtrū Emiſpheriū elevatur ſucceſsive & continue, ſemper fit propinquior alicui certę parti aeris, ergo eā etiam continue, magis ac magis illuminabit. Probatur conſequentia, nam agēs naturale, quo redditur propinquior paſſo, eo magis in eo ſuam qualitatem intendit. Firmatur, quia nulla cauſa eſt cur tūc illuminatio interrumpatur, nō in diſpoſitio paſsi, quod mora interiecta diſponi debeat, nā in aere nulla forma eſt luci contraria expellenda, neque aliqua alia præmittēda ad introductionem lucis, neque etiam applicatio agentis, quæ fit ſucceſsive, & continue, ut patet; neque ulla alia cogitari poteſt, ergo, &c. Poſtremo ratio à priori eſt, quia qualitas, v. g. calor, eſt diviſibi-

lis, & ſæpe ſupponit contrariā qualitatem reſiſtentem in ſubiecto, ſed agens in inſtanti nō valet totam illam reſiſtentiā vincere, ergo debet ſucceſsive, & paulatim operari, & producere qualitatem. Similiter ex ſucceſsiva applicatione agentis & paſsi fit qualitatem ſucceſsive produci.

8. Phyſ. textu. 23. Nec obeſt ſi dicas Ariſtotelē dixiſſe non augeri res, nec minui continue, non inquam obſtat, quia ibi particula *continue*, idem valet ac ſemper, perpetuo, ſine vlla interruptione; nos autē nō dicimus alterationē cōtinue fieri, id eſt perpetuo & ſine ulla interruptione; liquet enim interrumpi alterationē remoto agēte, & iterum inchoari, ſed fieri tēpore aliquo continuo, licet cum interruptione, ſicut continue movetur corpus, & poſt unum continuum motum quieſcit, & poſt quietem alterum inchoat.

DISPVTATIO QVARTA
De rarefactione, & condenſatione.

VARIIS tricis involuebatur ſuperior diſputatio de qualitatum intenſione, maioribus haud dubie irretitur iſta nexibus, tum ob rei naturalis difficultatem, in qua vix poteſt concipi quomodo res eadem nunc creſcat, decreſcat modo. Tum etiam ob Philoſophorum in ea declaranda varietatem, ſic commodius explico.

DVBIVM I.
Proponitur controverſiæ difficultas.

SVppono primo, dari rarefactione, & ad denſationem rarum ac denſum; lac enim dū in olla feruet ita explicatur, ut totum illius ſpatium impleat, dum vero refrigeſcit ita conſtipatur ut duplo, vel triplo minus ſpatium occupet. Dum igitur lac feruens explicatur rarefieri, dum conſtipatur addenſari, idemque explicatum rarum, conſtipatum vero denſum cenſetur.

Suppono ſecūdo. Rarum defini i ab Ariſt. 4. Phyſ. tex. 84. & à D. T. *Quod ſub magnis dimenſionibus, ſeu in magno ſpatio parū habet materia*, Denſum vero, *quod ſub paruis dimenſionibus*, id eſt in paruo ſpatio *multum habet materia*.

Tota difficultas eſt explicandi quomodo poſsit idem omnino corpus, quod antea occupabat maius ſpatiū loci, nūc occupare minus. Et quod antea min⁹, nūc occupare maius, ſine additione, vel detractione partiū (quod neceſſario fatendū eſſe probabitur) nā vel antea inter partes eius dabatur vacuū, vel una pars erat in duobus locis, vel poſtea datur partiū penetratio, ita ut ſint duę in eodem loco. Nullum horum dici poteſt, ut conſtat ex Phyſica, ergo illud fieri non poteſt. Maior videtur per ſe clara, & cōfirmatur, quia partes ceræ ante condenſationem reſpondebant partibus vaſis, & indiviſibilia cerę indiviſibilibus vaſis; atqui poſt condenſationem reſpondēt pau-

paucioribus partibus & indiviſibilibus eiuſdem vaſis: ergo unum è tribus illis incommodis eſt admittendum, quoties corpus condenſatur.

Præterea, cum ex denſo fit rarum, unum ex eiſdem cernitur incommodum: nam non apparet qua ratione corpus occupans modo minorem locum, poſtea maiorem occupet, niſi vel habeat modo partes penetratas, & poſtea impenetratas, vel nunc una pars eius ſit in uno tantum loco, & poſtea in duobus, vel ſaltem poſtea inter eius partes detur vacuum. Huic difficultati varij varia diffugia vel diverticula excogitati ſunt.

DVBIVM II.

Quid non videatur eſſe rarefactio.

ASſertio prima. Rarefactio non eſt novæ quãtitatis adquiſitio, nec condenſatio partialis quantitatis amiſsio, ut voluit Scotus. Primo, quia eiſdẽ intricatur Scotus difficultatibus: nam difficultas maxima in hac re eſt, quod eadem quantitas ſine additione, vel detractione partium modo maius, modo minus ſpatium occupet, ſed eadem adhuc manebit difficultas in materia prima; eadem enim ſine additione, vel detractione ſuarũ partium, modo maius, modo minus ſpatium replebit, ergo ea ratione non vitatur omnis difficultas in rarefactione, ideoque aliter explicanda. Secundo, nã cũ ſæpe omnes partes corporis rareſcant, tota quantitas mutaretur, & nova alia produceretur, quod reſpuit Scotus, neque enim eſt maior ratio cur illa nova quantitas huic parti potius quam alteri addatur. Tertio, vel quantitas de novo producta recipitur in eodẽ ſubiecto, in quo præexſiſtens, vel non. Si non, ergo manet quantitas ſine ſubiecto. Si recipitur, ergo penetrarẽtur illę partes quantitatis in eadem parte ſubiecti. Pariter in cõdenſatione amiſſa parte quantitatis, vel maneret pars materiæ ſine quantitate, vel quantitas alterius partis extenderetur ad aliam partem ſubſtantiæ. Quæ ſunt abſurda.

Dices primo, in rarefactione produci novam partem materię in qua nova quãtitas recipitur. Contra. Primo, nam id eſt cõfundere rarefactionem cum augmẽtatione ſubſtantiali, per quam nova pars materiæ & ſubſtãtiæ acquiretur. Secundo, quia rarefactio eſſet creatio, cum materia creatione producatur, nec fieri poſſet virtute agentis naturalis, cuius oppoſitum monſtrat experientia. Tertio neceſſario eſſet quoque producenda nova pars formæ, aut unionis cum materia per nutritionem, quod videtur ſatis abſurdum: quis enim credat rareſcente homine, aut equo per ægritudinem, tunc fieri nutritionem hominis, & produci formam equi? cum cõmuniter ſubſtantia ægritudine minuatur, aut lac novas partes lactis ſibi comparare, dum ab igne calefit? Quarto, quia illa nõ eſſet rarefactio, nam tũc eſſet magna materia ſub magnis dimenſionibus contra philoſophicam definitionem; rarefactio enim tunc fit, quando in eadem materia datur extenſio ad maius ſpatium:

tunc enim eſt proprie parva materia ſub magnis dimenſionibus, ut infra explicabitur.

Dices ſecundo, iuxta ſententiam Thomiſtarum, materiam primam habere partes à quantitate, & non à ſe, & nova quantitate per rarefactionem adveniẽte, apparere cum novis partibus, quibus novam ſuſtineat quantitatem, ac proinde non ſequi quã titatem novam cũ veteri in eodem ſubiecto penetrari. Verum iſta reſponſio, nixa eſt falſo fundamento, quod in Logica diſp. 5. de quantitate, dub. 2. debilitatum ac cõvulſum eſt. Eo tamen modo permiſſo, reijcitur conſecutio, quia rarum, ut habet definitio, eſt quod ſub magnis dimẽſionibus parum habet materiæ, ubi iuxta iſtam ſententiam per dimenſiones intelligitur quantitas ut præciſa à materia, & cõſequenter nomine materiæ ipſius entitas ut præciſa à quantitate; atqui eſt parva ut præciſa à magnis dimenſionibus, & parũ nequit eſſe ſine partibus, ſicut neq. magnum, ergo materia adhuc præciſa à quãtitate aliquas obtinet partes. Secundo. Materia obtinet per ſe partes à quantitate, ergo ab illa obtinebit eſſe magnam, vel parvam, ſiquidẽ magnum & parvum proprie ratione partium proveniunt; ſed quãtitas magna nequit formaliter facere materiam parvam, igitur per rarefactionem non fit materia parva ſub magnis, ſed magna ſub magnis dimenſionibus.

Quarto, probant aliqui ex Euchariſtia, quia rarefactis ſpeciebus conſecratis eſſet nova quantitas, ſub qua non eſſet corpus Chriſti, quod tantum eſt ſub accidentibus conſecratis. Sed reſpõdere poſſet Scotus, Chriſtum poſt conſecrationẽ eſſe ſub multis accidentibus, quæ non fuerunt conſecrata, hoc eſt, quæ tẽpore conſecrationis in pane nõ erant; poteſt enim in illis ſpeciebus produci novus calor, aut frigus, aut remitti prior qualitas. Fieri autem poteſt aliud argumẽtum ex eodem Sacramento. Si enim in rarefactione ſpecierum adderetur quantitas, eſſet ſine ſubiecto, quod non poteſt agens naturale efficere: vel ſi dicitur in ſubiecto eſſe illa quantitas, ſequitur poſt rarefactionem eſſe ibi ſubſtantiam aliquam præter Chriſtum, quod non eſt admittendum.

Hinc à fortiori ſequitur aſſertio ſecunda, in rarefactione non amitti totam priorem quantitatem, pro qua nova & maior ſubſtituatur: contra verò in condenſatione minorem pro maiore, ut voluit Marſilius. Probatur primo, quia nullum eſt fundamentum ut deſtruatur talis quantitas, ut liquet inductione. Nõ ex defectu ſubiecti; non enim augetur, aut minuitur materia, ſed manet eadem, ergo & quantitas quæ eſt coæva materiæ. Nõ productione cõtrarij, quo caret quãtitas. Non ex defectu cauſæ conſervantis: hæc enim eſt ſolus Deus, vel etiam materia prima, ergo non eſt cur pereat quantitas. Secundo, ſpecies ſacramentales vini poſſunt naturaliter rarefieri, aut condenſari: at in eo caſu dici non poteſt totã quantitatem deſtrui, & aliam produci, ergo neque in ſimilibus. Minor oſtenditur, quia vel deſineret Chriſtus eſſe in Sacramento, cum ſolum ſit ſub ea quantitate ſaltem totali, cui per verba cõ-

ſecrationis præſens factus fuit, quod tamen eſt contra communem Theologorum, vel ſi Chriſtus manet ſub noua illa quantitate nõ conſecrata, eſſet illa producta à naturali agente cauſante rarefactionem, vel condenſationem. Tertio. In eo caſu non corrumpuntur qualitates,quę in quantitate recipiuntur,ut cernitur;neq.eſt agens illas deſtruẽs, ergo nec deſtruitur quantitas. Quarto. Vel quantitas de nouo producta eſt eiuſdem rationis, cum amiſſa, tantumque differẽs tanquam maius à minore,vel diverſę. Si primum, ergo fruſtra ponitur,totam deperdi,cum ſufficeret novæ partis acceſsio. Secundũ dici non poteſt;quantitas enim ſemper eſt eiuſdem rationis. Demum, quia nec ſic explicat Marſilius, quomodo eadem materia prius occuparet minorem locum,modo maiorẽ, quin antea haberet partes penetratas,& modo vacuas.

Aſſertio tertia. Rarefactio nõ provenit ex inanitatibus quibuſdam intra corpus incluſis, ob quas exigua materia ſit in magnis dimenſionibus.Nec condenſatio cõſiſtit in eo quod corpus comprimatur, & occupet cavitates illas intra ſe poſitas, & ſic ſolum magna materia ſit in loco exiguo, ut voluerunt veteres quidam,contra quos agit Ariſtoteles.5.Phyſi. cap.6. Probatur, quia illi ponebant inanitates quaſdam vacuas:quare eiſdẽ argumẽtis reijcitur, quibus exſiſtẽtiavacui tractatu.5. Log.d.2. Adde,in eo caſu nũquam partes materię occupare maius, vel minus ſpatium, ſed ſemper idem, nunc tamen coniunctiores, modo vero diſtantiores.

Aſſertio quarta. Neq. rarefactio, aut condenſatio conſiſtunt in poroſis illis cavitatibus non quidem vacuis, ſed plenis quibuſdam corpuſculis ſubtilioribus,quę in compreſsione & condenſatione expellantur, & quibus in dilatatione,& rarefactione pori repleantur,ut voluit Valleſius. 4.Phyſi.text.84. & contro.16.ad Tyrones.Primo, quia ex ea doctrina fieret rem toties rareſcere,& denſari,quoties aërem attrahit & expellit, quod per ſe apparet abſurdum. Quis enim dicat os humanum, utrẽ, vel folles, eo quod aere impleãtur rarefieri,& denſari,quod eodem vacuetur.Sequela vero probatur,quia per attractionẽ aeris, aer ipſe interponitur inter partes oris, & per eius expulſionẽ eijcitur ipſe qui erat corpus interiectum:ergo reperitur tota ratio rarefactionis, & cõdenſationis.Secũdo. In cœlo ſunt aliquæ partes denſiores, & aliæ rariores,ut omnes fatentur;nec tamẽ cœlum cõſtat poris repletis aliis corpuſculis ſubtilloribus.

Tertio. Aer & ignis corpora ſubtiliſsima rarefiunt & condenſantur, cum extenduntur ad replendum locum ab alijs corporibus relictum; ergo rarefactio, & condenſatio nõ fit ratione incluſionis,aut excluſionis corporis ſubtilioris. Neque enim dici poteſt poros ignis aere repleri:etenim ignis illum aerem cõſumeret. Neque item poros aeris repleri igne, nam talis ignis exſiſtens in aere ſentiretur à nobis.Quarto.Quãdo aqua cõdenſatur intra vas undique opertũ, ſemper frangitur vas, ne detur vacuum, ergo condenſatio illa non fit per excluſionem corporis,

ris, quod lateret intra poros aquæ. Suadetur cõſequentia, quia aqua congelata aſcenderent illa corpuſcula ad occupandum locum ab aqua relictum: cumq. intra idem vas eſſent ſufficientia corpuſcula ad locum illum replendum, non rumperetur vas, quod ſolum frangitur ad dandũ ingreſſum alijs corporibus, quibus repleatur locus ab aqua deſertus, ne detur vacuum. Neq. valet dicere diſrumpi vas, quia aqua congelatur verſus partem ſuperiorem, cumque illa eſſent egreſſura corpuſcula, & illud iter illis obſtruatur, fit ruptio, ne detur duorum corporum penetratio. Non inquam valet, tum quia rupto vaſe conſpicitur vacuitas ab aqua facta verſus partem ſuperiorem, ergo in congelatione ſubſidit aqua in inferiore parte vaſis. Tum etiam, quia ſicut aſcendit aqua, & deſcendit aer ad excuſandum vacuum, deſcenderent proculdubio illa corpuſcula.

Quinto. Illamet corpuſcula neceſſario capacia eſſe debent rarefactionis, & cõdenſationis, ergo ex illis non recte deducitur horum effectuum ratio. Antecedens oſtenditur, quia ſunt corpora corruptibilia, & extenſa, habentque ſuam temperamentum qualitatum, quod poſſit diſſolvi, ergo poſſunt rareſcere. Cõſequentia probatur. Quando illa corpuſcula rarefiũt, vel interijciuntur alia corpuſcula, vel non. Si primum, idem dicam de illis, ſicque ibitur in infinitum. Si vero rareſcunt ſine alijs, ergo rarefactio & condenſatio non provenit ex corpuſculis. Nec dicas cum rarefiunt intermiſceri alia eiuſdẽ ſpeciei: etenim eadẽ cauſa qua rarefiunt illa, rarefient neceſſario & hæc, quare ſemper procedetur in infinitum. Vltimo ſequitur, ceram liqueſcentẽ, v.g. dividi in omnes ſuas partes. Probatur, nam omnes partes ceræ calefiunt, & bulliunt, recipiũtq. temperamentum raritatis, ergo omnes rareſcunt, ut oculis cernimus: nec eſt cur una potius rareſcat quã alia, cũ omnes ęqualiter afficiantur: ſed inter quaslibet duas partes rarefactas interijcitur aliquod corpus per te; ergo eo per condenſationem excluſo, aut per rarefactionem interpoſito, omnes partes manent diviſæ.

Nota. Autores qui continuum conflant ex ſolis indiviſibilibus conſtringi in præſenti ad confingenda iſta corpuſcula ad reddendam rationem rarefactionis & condenſationis: ſicut etiam in ſimili ad declarandam velocitatem, & tarditatem motus, confugiunt ad morulas imperceptibiles. Etenim intelligi nequit quo pacto fiat rarefactio, niſi quodvis punctum occupet maiorem locum quam antea; non poteſt autem concipi maiorem occupare, niſi occupet locum diviſibilem; hunc autem occupare non poteſt, niſi exſiſtendo totum in toto, & totum in qualibet parte: imo exſiſteret tale indiviſibile in duobus locis adæquatis. Similiter quando corpus denſaretur, neceſſe eſſet indiviſibile unum penetrari cum alio: quare confugiunt ad corpuſcula iſta imperceptibilia.

(?)

DVBIVM III.

Quid videatur eſſe Rarefactio, & Condenſatio, Rarum, & Denſum.

VT hic punctus dilucidius explicetur, triplex raritatis, aut dēſitatis genus poſſumus diſtinguere. Vna Raritas reperitur nativa rebus, & earū naturalem ſtatum concomitans, & quę ex ipſius rei tempersmento videtur dimanare. Sic in cœlis aſtra denſiora ſunt reliquis cœli partibus; & inter partes eiuſdem cœli, aut aſtri, unę ſunt denſiores, aut rariores alijs. Sic terra denſior eſt reliquis elemētis, & ignis rarior. Sic denique inter partes eiuſdē rei, v.g. eiuſdem humani corporis, unæ ſunt naturali ſua cōſtitutione rariores, ut caro; aliæ dēſiores ut nervi, & oſſa.

Alia eſt raritas, aut denſitas non nativa rebus, ſed quodammodo pręternaturalis, licet aliquo tempore permanens, ratione cuius res ab ordinario, & cō naturali ſtatu exeracta actu occupat plus ſpatij, aut minus, quam ſibi relicta occuparet. Sic cera rareſcit, lac coagulatur, cōgelatur aqua. Quod aut hi ſtatus non ſint eis reb⁹ cōnaturales, licet in eis aliquandiu durent; inde patet, quod ceſſante extrinſeca actione, & ſibi relictę, cera denſatur, nam aliquam denſitatē eius nativa conſtitutio poſtulat: lac liqueſcit, nam ex ſe eſt liquor; ſimiliter & aqua. Idem clarius cernitur in ſanguine, qui quidē licet congelari poſsit, ex ſe tamen liquidus, ac fluidus eſſe poſtulat (magis, aut minus pro diverſa complexione partium animalis) ut ſit aptum inſtrumentū operationum, & vitæ animalis; atque ita eo congelato, animal vivere non poſſet. Idem cernitur in metallis. Atque hæc eſt proprius rarefactio & condenſatio: hæc enim nomina plus aliquid dicunt quam ſola raritas, aut dēſitas: nam in cœlis reperiuntur raritas & denſitas, non tamen actualis rarefactio & condenſatio. In rebus corruptibilibus aliquæ ſunt denſæ, aut raræ, nunquam tamen, aut ſaltem raro admodum rareſcunt, aut condēſantur, ut Adamas, & ſpiritus animales: quibus proinde cum ordinarie conveniant raritas, aut denſitas, raro admodum convenit actualis rarefactio, aut condenſatio: hæc enim nomina ſicut & verba à quibus derivātur adiunctam ſignificant mutationem aliquam loci & præſentiæ, & occupationem loci maiorem, vel minorem, quam antea.

Tertia Raritatis, vel Rarefactionis genus diſtingui ſolet, & dici minus proprium; quamvis revera ad ſecundum genus aſsignatum reducatur, à quoquo pacto differat explicabitur concluſione quinta; v.g. cum aer, vel aqua utre incluſa ſola digitorum compreſsione condenſatur, vel laxatione dilatatur, aut rarefit, quo etiam pertinere videtur extenſio, vel dilatatio aeris ad repledum vacuum. His ita notatis.

Dico primo. Cum quātitas de ſe ſit indifferens ut maiori, vel minori ſpatio præſens fiat, in omni corpore raro & denſo reperitur forma aliqua, quæ illius indifferentiam determinet ad hanc, vel illam dimenſionem

magnitudinis, locum & præſentiam. Reperitur item motus localis, quem ſequitur talis præſentia, & ubicatio. Effectus ergo formalis primarius rari, aut denſi conſiſtit in illa forma unita corpori. Effectus autem formalis ſecūdarius eſt motus ipſe localis, & ubicatio, aut actualis dimenſio. Hæc concluſio explicabitur, & probabitur ſequentibus concluſionibus.

Dico ſecundo. Raritas & dēſitas primi generis, id eſt rebus cō naturalis provenit à qualitate, quæ determinat tale corpus ad tantam præſentiam, & occupationem ſpatij. Probatur concluſio. Primo ex impugnatione præcedentium opinionum. Secūdo, quia per qualitatem melius ſalvantur, & intelliguntur omnia, quæ ſunt de ratione huius raritatis & denſitatis. Tertio à priori, quia raritas & denſitas ſunt qualitates pertinētes ad quartā ſpeciem (Vide dicta in Logica, diſputatione de qualitate, dub. 4.) quarum formalis effectus primarius, eſt ita diſponere ſubſtātiam, ut ratione unius multa materia ſit ex ſe, & eſſe poſtulet ſub parvis dimenſionibus; & ratione alterius parva materia in magnis dimenſionibus: quæ eſt ſententia Ariſtotelis. Quarto, quia ſi raritas & denſitas non conſiſteret in qualitate, maxime, quia conſiſteret in ubi, & actuali extenſione in ordine ad locum, ut quidam volūt, ſed hoc eſſe non poteſt, ergo illud. Minor probatur, quia manente eadem numero raritate, & denſitate variantur locales præſentiæ diſtinctę numero, imo & ſpecie. Tum etiam deſtruitur omnino actualis extenſio; ergo. Probatur hoc antecedens quoad primam partem, nam quoties quis movetur ab uno ſpatio in aliud, variat numero præſentias eadem raritate & denſitate retenta, ut patet. Quoad ſecundā, quia Chriſtus Dominus diſtinctam ſpecie præſentiā habet in Euchariſtia, ab ea quam in cœlo, & tamen in Euchariſtia retinet eandem raritatem & denſitatem quam in cœlo habet. Quoad tertiam, tum in ipſo Chriſto Domino, qui in Euchariſtia caret actuali extenſione in ordine ad locum, quam habet in cœlo, utrobique tamen eandem raritatē & denſitatē, ut dixi, tūetiā quia quodvis corpus à Deo poſitū in pūcto, poteſt divinitus rarefieri, aut condēſari, & tamen manebit præſens eidē pūcto ſine actuali ulla extēſione in ordine ad locū. Imo de facto rem habemus in corpore Chriſti Domini in Euchariſtia exiſtēte: in quo quædam ſunt partes rariores, ut caro, ſanguis; quædā dēſiores ut oſſa; cū tamē omnes careāt actuali extēſione in ordine ad locū, ſintque præſentes eidem puncto ſpatij, ergo raritas aut denſitas propria non conſiſtit in præſentia locali, aut in actuali extenſione, ſed formaliter & proxime in qualitate.

Tantum dubitari poteſt, an hæc qualitas ſit diſtincta à temperamento quatuor primarum. Negant aliqui exiſtimantes hāc raritatem, aut dēſitatem, de qua loquimur, non eſſe aliud quam primarum qualitatum, vel alicuius ex eis in certo quodam gradu, certa temperatio, ex qua immediate oriatur hæc aut illa occupatio loci, & localis extenſio. Ratio, quia calor ex natura ſua per ſe eſt diffuſivus materiæ, &

ſed

reddit corpus rarum. Contra vero frigus materiam contrahit, ſicque plures eius partes ſub brevi extenſione conſtituit. Cuius non leve argumentum eſſe videtur, quod duo ſuperiora elementa, quæ calore magis abundant, rariora ſunt.

Communior tamen & probabilior dicendi modus eſt, hanc raritatem aut denſitatem eſſe peculiarem qualitatem quartę ſpeciei, ut dixi, ita ut ex certa temperie primarum qualitatum, nō immediate oriatur talis loci occupatio, aut dimēſio, ſed oriatur immediate raritas, vel denſitas, cuius primarius effectus formalis eſt ille in concluſione explicatus. Ac primo raritas & denſitas de qua nunc loquor, reperitur in cœlis, & tamen in eis oriri nequit ex temperie primarū qualitatum, aut ex certo gradu frigoris, & caloris: conſequitur autē alias cœleſtes qualitates contrario carentes. Deinde licet raritas iſta frequentius comitetur calorem, & denſitas frigiditatem, non tamen ſemper ea quæ temperamentum habent calidum, ſunt rara; neque ea quæ ſunt frigida, ſunt denſa. Primū patet in nervis & muſculis humani corporis, in quibus cum vigeat vis motrix, temperamentum calidum habere debēt, frigore enim torpeſcit motiva virtus, & tamen denſitate abundāt; idemque & eſt de alijs. Secundū probatur in aqua, quæ de ſe nihil habet caloris, & multu frigiditatis, & tamen in ſe rara eſt, & liquida, non denſa, niſi comparata ad aerem, vel ignem. Illa autem tantum probant, raritatē, aut denſitatem comitari certū temperamentum, & ex eo oriri. Tum etiam ea elementa in quibus viget calor, rariora eſſe comparative ad alia, in quibus dominatur frigus; & raritatem frequētius iungi cum calore, denſitatē cum frigore. Atque ita nobiſcū ſentiunt Autores, quos citāi, & ſequuntur Conimbricenſes hic lib. 1. cap. 5. & hæc, hac concluſione explicata, eſt proprie raritas, & denſitas.

Dico tertio. Raritas, & denſitas prętemnaturalis, ſeu proprius rarefactio, & condenſatio provenit primarie, & formaliter à qualitate, quæ determinat materiam medio locali motu ad maiorem, vel minorem præſentiā, & occupationem loci. Hæc concluſio probatur ex dictis, & firmabitur ex dicendis. Quæri poteſt, an ea qualitas, quæ dicit primariam rationem rarefactionis, & condenſationis, differat à primis qualitatibus. Negant etiam aliqui, & confirmant experientia, ex qua deduci videtur primariam formam huius rarefactionis eſſe calorem ipſum, & condenſationis eſſe frigus; à quibus immediate oriatur mutatio loci, & præſentiæ. Quæ enim hoc pacto rareſiunt incaleſcunt, ut cernitur in cera, metallis, & in pulvere tormētario, qui calore ſucenſus, ita rareſcit, ut erumpat ex anguſto, liberiorem quærens locum, ita ut aliquando tormenta ipſa ænea diſcindat. Similiter, quæ hoc modo cōdenſactur prius frigeſiūt, ut patet in aqua congelata, & in lacte coagulato, ergo huiuſmodi raritas eſt formaliter ipſe calor, & dēſitas ipſum frigus.

Magis tamen placet, ut rarefactio & condenſatio primarie nō ſint à calore, & frigore formali-

ter,ſed efficienter,formaliter vero à qualitate,quæ eſt raritas, & denſitas, & producitur à calore, vel frigore,alia interdum intermixta qualitate.Id ſignificat cõmunis modus loquendi autorũ. Ita Ariſtoteles in præſenti libr. 2.cap.1.ubi calidũ definit: *Quod cõgregat ea quæ ſunt eiuſdem generis:* Frigidum vero, *Quod congregat tã ea quæ eiuſdem generis ſunt, quã quæ alieni.*Qui loquẽdi modus actionem ſignificat, non informationem. Atque ita communiter calori attribuitur actio homogenea congregandi, & ſegregandi heterogenea; frigori vero actio tã homogenea, quam heterogenea congregãdi. Quorũ explicatio illa legitima eſt,vt placet Conimbricenſibus cum alijs ibi,q.3.c.2.quę deſumitur ex pręſenti doctrina quã tradidimus. Videmus enim, ſi frigida incaleſcant,rareſieri,ſi calida refrigerentur addenſari; unde videmus ex eiuſmodi rareſactione, quæ fit ab igne ſequi coniunctionem earum partium,quæ eiuſdem ſpeciei ſunt,& eiuſdem ſecretionẽ, quæ ſunt diverſæ.Ignis,v.g.per calorẽ aurum alijs metallis, aut ſordibus permixtum producta raritate liquefacit,ſicque abillis ſecernit,& in unũ cogit non cõdenſando, ſed in unam partem liquefactum ſegregando ab alijs etiam liquefactis. Videmus etiã ex eiuſmodi condenſatione ſequi coniunctionem,& conſtipationem partium,tamque eiuſmodi,quã quæ diverſę ſpeciei ſunt: frigus, v.g. cõdenſando non ſeparat diverſa,ſed promiſcue cõtrahit plura diverſi generis, ut cernimus in glatie, & aliis frigore concretis,in quibus inſunt lapides, ligna, &c.Atque ita per illa verba plane Ariſtoteles definivit calorem,& frigus per efficientiam rareſactionis, & condẽſationis: quo etiam ſenſu dixit in 2.de partibus animalis,cap.2. proprium eſſe frigoris denſare, ſicut & caloris laxare.Contraria vero ratio tantum probat motũ ad raritatem, ſeu rareſactionem habere præviam, ſeu adiunctam calefactionem, motumque ad dẽſitatem, ſive ipſam condenſationem habere adiunctam frigiditatem. Vnde bene Conimbricenſes.q.17.citata art.1. tantum dicunt,calorem eſſe præviam & appoſitam præparationem ad raritatem. Adde ſæpe ſine prævia calefactione,rareſactionem eſſe,ut cum aurum artificis induſtria in tenuiſsimas bracteolas, aut fila dilatatur. Similiter non ex ſola frigiditate provenit congelatio aquæ,alias ſemper eſſet congelata,ſed opus eſſe exſiccatione aliqua,aut alia qualitate ex influxu quopiam cœleſti:ideo nũc addidi,cum calore,aut frigore intermiſceri aliquando aliam qualitatem.

Dico quarto. Rareſactio & cõdenſatio prædicta cõpletur per motum localem,& per ubicationem maiorem, vel minorẽ quã antea quoad effectum formalem ſecundarium,ſiue quoad id quod ſecundario dicit;licet in eis non cõſiſtat formaliter primaria denominatio raritatis,aut denſitatis. Prima pars probatur ex dictis, & ex eo quod videmus in eiuſmodi mutationibus. Secunda pars de motu locali probatur ex raritate, & denſitate nativa rebus,quæ ut talis eſt reperitur ſine motu locali, licet addat actualem ubicationem tantã,id eſt, connaturalem tali rei.

De

De ipſa actuali extenſione, aut ubicatione probatur etiã ex Euchariſtia, in qua Chriſtus Dominus,ut dixi, retinet actualem raritatem & denſitatem, non ſolũ ſine motu locali, ſed etiam ſine ulla actuali extenſione, ergo licet rarefactio & condenſatio ſub his nominibus adiunctam ſignificent, aliquam loci mutationem & præſentiæ; in his tamen non conſiſtit primarius formalis eſſe ctus rari,& denſi, ſed tantum ſecundarius; ideoque iſte cõſervari poteſt ſaltem à Deo ſine toto illo.

Ex hac duplici cõcluſione colligo, raritatem & denſitatem cõnaturales ab ipſo rei principio, oriri à temperamento qualitatũ primarum ad modum naturalis cuiuſdam emanationis: rarefactionem vero, & condenſationem ſecundum id quod de primario conceptu dicũt, produci propria efficiẽtia à calore, aut frigore, aut ab adiuncta interdũ ut dixi, aliqua alia qualitate. Colligo etiam qualitates iſtas ſuſcipere magis & minus, id quod videtur certum, nam unas res videmus rariores aut denſiores aliis,& eadem res à minore raritate, aut dẽſitate aſcendit ad maiorem, ut probatur in aqua cum gelaſcit. Similiter eas eſſe contrarias eo modo quo aliæ, quæ graduum latitudinem habent,& oppoſitionem unius gradus cum alio ſuperius explicatam. Quare ſimili prorſus modo earum productio,& corruptio regulari debet. Atque ita ut alibi etiam dictum, una de pręcipuis, acprimis diſpoſitionibus generationis,& corruptionis ſublunarium ſunt raritas,& denſitas.

Pro ultima concluſione circa rarefactionem & condenſationẽ tertio loco aſsignatam, non diſplicet quod cõmuniter dicitur, poſſe in his euentis eãdem qualitatem conſtitui in maiore, vel minore ſpatio, cũ ſola mutatione præſentiæ. Cum enim aer ad replendum uacuum extenditur ad occupandum maius ſpatium, ceſſante illo fine, ſtatim reddit ad ſuum locum, aqua etiam in utre ceſſante compreſsione, ergo ſignum eſt tunc ſolum fuiſſe variatam præſentiam localẽ. Quãdo vero poſt ſimilem actionem, adhuc res perſeverat in eodem ſtatu,& retinet longiore tempore eandem præſentiam, ſignum eſt productam eſſe aliquam qualitatem, ut in ſecunda & tertia concluſione. Tunc autem maior, aut minor occupatio loci, iuxta hanc concluſionem formaliter & proxime provenit à modo pręſentiæ: niſi vellis dicere à corpore impellente (v. g. in extenſione aeris ad replendum vacuum, à corpore attrahente, & imprimẽte impulſum attractivũ, in utre vero à corpore comprimẽte per impulſum impreſſum) produci qualitates raritatis aut denſitatis medio impulſu, ad quas conſequitur talis motus localis, & dilatatio, aut cõpreſsio præſentiæ. Cum enim impulſus ſit de ſpecie poiẽtię, videtur poſſe producere qualitatem tertiæ ſpeciei.

Ex tota hac doctrina colligo primo, componi facile poſſe diſſidium ipſius Ariſtotelis, & aliorum, qui nunc ponunt raritatẽ in qualitate, nunc in actuali poſitione, & extenſione partium ad locum, idem eſt cum proportione de denſitate dicendũ. Cauſa enim eſt, quod illã ſæpe uſurpat

pat pro effectu primario, interdúvero pro secúdario, ſeu actua li dimenſione, quæ nunc ex qualitate ut radice, nunc ex motu locali, vel aliunde, ut viſum ſequi poteſt.

Colligo ſecundo, definitionē Ariſtotelicam rari poſſe intelligi dupliciter. Primo, quod habet qualitatem petentem parum materiæ ſub magnis dimēſionibus, & ſic eſſe eſſentialem. Secundo, quod habet parum materiæ ſub magna dimenſione actuali, & extenſione ad locum, & ſic eſſe deſcriptivam, & traditam per effectú ſecúdarium, per quem, quia nobis notior eſt, eſſentia ipſius qualitatis definitur. Imo raritas frequentiſsime, tum ab Ariſtotele, tum á D. Auguſtino, pro tali dimenſione actuali, & effectu ſecúdario uſurpatur; ſicque poteſt eſſe definitio eſſentialis.

Colligo tertio, quá longe abſint á vero, qui augmentationē, & accretionem tollentes, eas nihil aliud eſſe dixerunt, quam rarefactionem ſubſtantiæ, aut quátitatis: conſtat enim ex dictis, & ex Ariſtotele, rarefactionem, & condenſationem eſſe alterationes, ac proinde ſpecie & realiter differre á quavis actione terminata ad ſubſtantiam & quantitatem. Et probatur, quia earum termini ſive ſit qualitas, ſive ſola localis præſentia, differút á quátitate & ſubſtátia, ergo & mutationes ipſæ differunt á productione ſubſtantiæ, aut quantitatis.

DVBIVM VLT.

Argumenta tradita doctrinæ adverſantia proponuntur, & enervantur.

Obijcitur. 1. intelligi non poſſe, quo pacto eadē quantitas invariata commenſuretur maiori, vel minori ſpatio per maiorē, vel minorē præſentiam. Etenim accidens commenſuratur ſubiecto in quo eſt, ergo ſi eadem quantitas recipit maiorem & minorem præſentiam, utraque præſentia cōmenſurabitur tali ſubiecto, & erit ei æqualis, ergo & præſentiæ ipſæ erunt æquales inter ſe. Probatur cōſequentia, nam quæ ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe, ſed una eſt maior, altera minor, ergo involvunt pugnantia.

Inſtatur primo ratio facta, quia ſequitur eandē partē quátitatis habere duas partes raritatis, vel qualitatis illi⁹. Probatur. Sint duo corpora æque rara, habent ergo ſingulæ partes corporis ſingulas partes raritatis. Rareſcit amplius unum eorú. Quæro, in quo recipiatur illa nova raritas? Non in nova quantitate, ut ſtatuim⁹, ergo in præcedēti, ergo eadem pars quantitatis, habet duas partes qualitatis, quæ eſt raritas.

Inſtatur ſecundo, quia corpore rareſcente, una pars iam in ordine ad ſubiectum, quam in ordine ad locum, diſtat ab alia plus quam antea; ſed hoc intelligi nō poteſt quin interponatur nova pars corporis, vel præſentiæ; ergo ſine nova quantitate, vel

novo

novo corpore nequit intelligi rarefactio. Minor probatur, quia una pars immediate cōtinuatur alteri per punctum, punctum vero eſt indiviſibile, ergo niſi inter partem & partem interijciatur pars, nunquam una diſtabit ab alia niſi per punctum, ſed diſtant diviſibiliter, ergo.

Inſtatur tertio, quia ſequitur in rarefactione unam partem occupare duo loca, atque adeo unā habere ſimul duas ubicationes: item in condenſatione duas partes in eodem loco penetrari; vel certe unam & eādem ubicationē in duabus eſſe partibus, quæ ſunt abſurda. Sequi vero probatur, nam pars quæ rarefit occupat locum præcedentem, & eadem extenditur ad novum locū, ergo eſt in duplici loco, & habet duas ubicationes. Contra in condenſatione partes contrahuntur, & deſerunt præcedētem locum, unde duæ partes reducuntur ad locum unius, ergo penetrantur, & ambæ habent eandem ubicationem.

Hoc argumētum continet totam difficultatem præſentis quæſtionis ad quod tamen primo reſpōdeo, ea urgeri omnes ſententias ut viſum: quare nullum iure poſſe illud opponere, cum omnes teneantur ei reſpōdere: vel potius omnes tenentur illud proponere, ut illud diſſolvant. Addo ſecundo, hac difficultate minus urgeri raritatem aut denſitatē primi generis: cum enim illa ſit cō naturalis, ſi ut talis perſeveret, ſemper retinet corpus eandem præſentiam in loco, ſive extenſionem ſibi ſcilicet connaturaliorem. Vrgetur tamen adhuc ſi comparatio fiat inter unum corpus rarum cum altero denſo, vel inter partes eiuſdem corporis raras aut denſas: quo pacto minor materia in parte rara habeat præſentiam ad maius ſpatium, quam maior materia.

Ad argumentum ergo reſpondent aliqui, præſentiam quā adquirit quantitas per rarefactionem habere plures partes in ſua entitate quam antea ſub condenſatione, ſicque poſſe maiori ſpatio reſpondere. Sed ij non advertunt dum ſe putant ſalvaſſe correſpondentiam præſentiæ cum ſpatio, deſtruere eiuſdem correſpondentiā cū ſubiecto. Etenim intelligi nequit ut additio fiat in partibus præſentiæ, quin vel fiat etiam in partibus quantitatis, vel quin partes præſentiæ, quę addūtur, recipiantur in partibus quantitatis, quæ iam alias partes præſentiæ habebant, ſicq. eadem pars quantitatis plures habeat præſentias, quod dici nequit. Quare hic vim habet argumentum ſupra contra Scotum, non addi ſcilicet partes quantitatis, quia illæ recipi deberent in parte materiæ iam habente aliam partem quantitatis.

Reſpōdetur ergo negando cōſequentiam, & dicendo æqualitatem inter præſentias locales attendi penes ſpatia, quibus res præſentes fiunt; ſpatia autem illarum præſentiarum non ſunt æqualia, unde nec præſentiæ: licet verum ſit utramque præſentiam cōmenſurari eidē ſubiecto, & ei dici æqualē, non quidē prout eſt in ſpatio, ſed prout totidem habet partes proportionales, quot ſubiectū: quare tunc præſentia minor habet tot partes proportionales, quot maior, licet partes minoris præſentiæ minus inter ſe diſtent quā partes

tes maioris, ratione raritatis, vel denſitatis, & ſic per tales partes præſentiæ partes ſubiecti præſentes fiant maiori vel minori ſpatio per effectum formalē ipſius raritatis, & denſitatis.

Nota, nunquam unum palmū ut palmum occupare duos palmos loci. Sed materia, aut quantitas de ſe eſt indifferens ad unum, vel duos palmos loci, & determinatur ad duos per raritatem, ad unum per denſitatem; raritas enim parva materia contēta petit multum loci, denſitas vero multum materiæ, & parum loci. Sicut ergo multę aliæ indifferentiæ tolluntur per aliquas res, aut modos, ſic indifferentia ad locum tollitur per qualitatem in actu primo per talem præſentiam, & ubicationem in actu ſecundo. Palmus vero ut palmus involvit quantitatem affectam qualitate exigente ubicationem palmi; quare ille nunquam occupat duos palmos: ſed materia illius palmi cum novo gradu qualitatis, aut cū qualitate alia redditur præſens duplici palmo loci.

Ad primam inſtantiam diſtinguo ſequelam: habet duas partes intenſivas raritatis, cōcedo; duas partes extenſionis, nego. Raritas ergo, ut dixi, ſuſcipit magis & minus per additionē, aut detractionem graduum inæqualium. Quando ergo ex duobus illis corporibus æque raris alterū rareſcit magis, additur illi nova pars intenſiva raritatis, quæ proinde recte poteſt recipi in eadem parte ſubiecti.

Ad ſecundam inſtantiam conſtare poteſt ex dictis. Adde tamen, ſi maior extenſio, aut diſtātia fieret interiectu alterius corporis, illud eſſe nō poſſe ſine diſcontinuatione omnium partiū; quod eſt abſurdum. Plus ergo, minuſve diſtare, provenit partibus ex nova qualitate quę virtutem habet extendi ſpatio ipſas partes.

Ad tertiam negandæ illæ ſequelæ. Ad probationem, in rarefactione totum corpus retinere totum locum præcedentē, & maiorem ultra; at nullam eius partē manere in loco in quo antea erat, nec retinere partialem præſentiam quam habebat antea. Sicut cœlum quod movetur circulari motu, totum quidem ſemper manet in eodem loco adæquato, nulla tamen illius pars retinet præcedentem partialem locum. Pars ergo rarefacta occupat novum locum priore relicto. Vnde nulla pars eſt in duobus locis, ſed occupat maiorem locum: per raritatem tanquam per cauſam formalem primariam, & per ubicationem localem tanquam per ſecundariam. Intelligitur vero recte poſſe eaſdem partes magis loco extendi, & inter ſe diſtare, ſuppoſita conſtitutione cōtinui ex partibus diviſibilibus, quæ propter infinitam diviſibilitatē poſſunt magis, magiſque protendi, ac veluti evolvi, quod nō ita eſſet in ſolis indiviſibilibus: nā duo, v.g. vel tria indiviſibilia nequeunt extendi magis tam per qualitatem quam ſine illa; quia ob ſuam indiviſibilitatem tantū poſtulare poſſunt duo, vel tria indiviſibilia loci; ideoq. in ea opinione recurritur ad corpuſcula. In noſtra vero, partium diviſibilitati infinitæ, tum & earum indifferentiæ, qua non ſibi neceſſario vendicant certum ac determinatum locum, accedit recte qualitas

litas,quæ formaliter determinat indifferentiam partium. Ex quibus patet in condenſatione partes non penetrari:ſicut enim per unam qualitatem partes diſtenduntur, quin una ſit in duobus locis;ita per contrariam qualitatem contrahuntur, quin penetrẽtur interveniente loci mutatione.

Objicitur ſecundo. Poteſt divinitus corpus rareſcere ſolo locali motu; ut ſi partes unius corporis diſtendantur à Deo tantũ loco motæ; imo ſi verus eſt ſenſus quintę concluſionis, id de facto contingit naturaliter: ergo vel conſiſtit in motu eſſentia raritatis, vel manet effectus formalis ſine forma. Negatur prima conſequentis pars Secũda diſtinguitur;non enim manet tunc ſine forma effectua formalis primarius, ſed ſecundarius: effectus enim formalis primarius harum qualitatum,ut dixi, non eſt præſentia,aut motus localis, ſed horum exigẽtia,id eſt,talis diſpoſitio,qua ſubiectum intrinſece determinatur ad habendam maiorem, vel minoré explicationem partium in ordine ad ſe, & illã exigendã in ordine ad locũ; vel etiam ad habẽdam actu ſi ſit extenſum in ordine ad locũ. Quare definitiones ſupra poſitæ intelligi etiam debent nõ de actuali extenſione,ſed de aptitudinali. Vnde ſimiliter,ſi demus poni à Deo eandem partem quantitatis in pluribus locis continuis eam in ſingulis replicando,licet parum materiæ eſſe ſub magnis dimenſionibus,& multa occupatione ſpatij, non tamen eſſet rara proprie ac primarie,quia non haberet illud ab inhęrente qualitate.

Objicitur tertio. Sequi ex dictis corpus,quod tantundem habeat materię quantum dimẽſionum,neque fore rarum,neq.dẽſum, ergo poterit tunc eadẽ quãtitas dilatari ſine raritate,& ſine denſitate contrahi. Patet, ſi ſupponamus ſpatium præſentiæ, cõnaturale quantitati eſſe ulnam v.g.& ſpatium maximũ ad quod dilatari poteſt per raritatem eſſe ſex palmos, minimũ vero ad quod per denſitaté contrahi poſſit eſſe palmum:tunc licet dilataretur ad duos vel tres palmos, non diceretur rarefieri; & licet à ſexto ad quitũ palmum reſtringeretur, non diceretur condenſari,ſupponitur enim quantitatem quatuor palmorum, neque eſſe raram,neque denſam.

Vt hoc melius explicetur notanda duplex illa rarefactio, & condenſatio,nativa & præternaturalis. Poſſumus ergo de raro, & denſo dupliciter loqui, ſcilicet abſolute,& reſpectiue. De raro igitur & denſo abſolute,& ſecundum ſe. Primo videtur certũ, quod dubio 2. dixi, licet poſsit eadem res recipere ab extrinſeco agente maiorem,& minorem præſentiam localem, tamen tantam præſentiam & actualé ubicationem eſſe tali rei magis proportionatam, & connaturalem. Videtur etiam certum raritaté, & dẽſitatem præternaturales habere certum terminum in maximo & minimo:neque enim quãtitas unius palmi poſſet per rarefactioné mundum replere, neceſſe enim eſſet ut nimia extenſione continuitatem amitteret;neque per condenſationem ad atomum redigi. Addi ſolet indiviſibile,quod eſt medium inter illos duos terminos magnitudinis,&

parvitatis eſſe extenſionem localem magis aptam illi quantitati v.g. ſi maxima extẽſio ad quã poteſt rarefieri, eſt vt octo, & minima ut unũ, terminus medius erit ut quatuor, hiſque connaturalior; & in eo aiunt non dicendam quantitatẽ non habere raritatem, nec denſitatem. Hoc ultimum non probatur; licet enim in eo non haberet raritatem, aut denſitatem præternaturalem, haberet tamen connaturalem aliquam, aqua v.grat. in medio illo quod eſt inter ſummam raritatẽ quam habere poteſt quando erit ultimo diſpoſita ad ignem, & inter denſitatem quam habet congelata, ſine dubio erit abſolute rara, & liquida, quia id poſtulat naturale temperamentum eius, licet reſpective ad ignẽ denſam dici poſsit. Quare exiſtimo magnitudinem, quæ eſt naturalis rei, eſſe regulã ex qua deducamus rarefactiones & condẽſationes corporũ, aqua in utrũvis extremũ extraharur, cõdenſabitur & rarefiet talis res. Sed ais, quo ergo modo dignoſci poterit hęc nativa & abſoluta raritas & dẽſitas? Reſpondeo, aſsignari non poſſe aliquem indiviſibilem terminum, ſiquidem illę ſuſcipiunt magis, &c. Videmus unum temperamentum requirere raritatẽ connaturalem maiorem, aliud minorem; id quod cernitur in noſtro ſanguine, qui univerſim exigit temperamentum rarum, at ſpiritus vitales raritatẽ exigũt maiorẽ cõmubi, & maiorem adhuc ſpiritus animales. Regulã tamẽ videtur nobis dare Ariſtoteles, cũ dixit, rarũ & dẽſum ſentiri ſenſu tactus, quod eſt veriſsimum, fere tamẽ raritas comitem habet mollitudinem aliquam, ſicut denſitas duritiem.

Si vero loquimur de raro, & denſo reſpective fieri poteſt cõparatio, vel inter diverſa corpora, vel inter idem conſideratum in diverſis pręſentijs & ſtatibus ſuæ naturæ; & tunc id quod in ſe rarum eſt, dici poteſt denſum, & utrumque connaturaliter; homo enim diverſam raritatẽ connaturalem carnis habet puer, atque vir; id etiam quod eſt dẽſum dici poterit rarum. Ex quibus colligo, communes illas definitiones datas fuiſſe, non tamen in ordine ad rarefactionem, & condenſationem præter naturales; ſed in eis etiam non explicari rationem formalem primariã, ſed ſecundariam & connotatã. Virum vero abſque rarefactione, & abſq. acceſsione novæ materiæ fieri poſsit etiam à Deo ex parvo quantumvis magnum, vi de Conimb. c. 5. citato. q. 18.

SVMMA CAP. 6. vſque ad 9.

IN ſexto huius primi libri generationis, & corruptionis capite, diſputat Philoſophus de contactu ad operationem neceſſario, de quo dictum ſeptimo libro Phyſicorum. In capite ſeptimo inquit, actionem partim eſſe inter ſimilia, & partim inter diſſimilia; Agens enim & patiens debẽt eſſe ſimilia in genere phyſico, quod eſt materia, & diſsimilia in ſpecie & forma. Agens (ait Ariſtoteles) habet materiã eiuſdem rationis cum paſſo, & ab eo repatitur in agendo ſi ſint conditiones neceſſariæ, de quibus poſtea. In octavo veterum Philoſophorum ſententias circa agendi

di & repatiēti, refert, & refellit. In nono quatuor docet. Primū, agens agere ut eſt in actu, & paſſum pati ut eſt in potentia ad effectum ſuſcipiendum. Secundū, omnes agentis partes agere poſſe, & ſimiliter omnes paſsi partes pati, quia agēs poteſt eſſe totum in actu, & paſſum totum in potentia. Tertium, continua nequire mutuo agere & pati; per continua autem intelligit, quæ ſunt ſimilia in ſpecie, & in intēſione formæ. Quartum & poſtremum, Agens ut agat, & patiens ut patiatur, debere poni unum intra activitatis, & virtutis alterius ſphæram.

DISPVTATIO QVINTA
De proportione inter agens, & patiens.

CVM proportio fundetur in gradibus intenſionis, dirimēda erat hæc diſputatio poſt illorum explicationem, niſi raritas & denſitas, quæ ad eam decidendam multum iuvant, prius prælibandæ fuiſſent.

DVBIVM I.

An ſimile poßit agere in ſimile.

Diſput. 18. Met. ſect. 9. nu. 10. & 12.

MOneo primo cum Suario, ex quatuor capitibus poſſe impotentiam ad actionem inter aliqua provenire. Primo, quia deeſt virtus activa. Secundo, quia non reperitur virtus paſsiva in alio: ſic enim quāvis in luce ſit virtus activa caloris, nequit illum in cęlo producere, quia cœlum incapax eſt caloris. Tertio, quia reſiſtentia paſsi eſt tanta, ut nequeat à virtute activa ſuperari: ut enim habet commune adagium Philoſophorum: Omnis actio eſt à proportione maioris inæqualitatis, id eſt, in agente requiritur maior virtus quam ſit paſsi reſiſtentia. Quarto, quod non inveniat in Paſſo Agens id quod in eo erat producturum. Quare communiter requiritur à Philoſophis diſsimilitudo inter agens & patiēs, idq. nobis modo examinandum.

Moneo ſecundo, diſsimilitudinem quæ inter agens, & paſſum ad actionē prærequiri poteſt, eſſe poſſe aut in ſubſtantia, vel ſpecie formæ, aut in certo gradu: ut ſi ignis ſit calidus, aqua frigida, eſt diſsimilitudo in ſubſtantia & ſpecie qualitatis; & ſi aqua ſit calida ut unum, ignis ut octo, erit diſsimilitudo in gradu, non in ſubſtātia formæ. Nūc

Sit aſſertio. Agens nequit agere in ſibi ſimile, ſed debet neceſſario paſſum eſſe illi diſsimile, vel in ſubſtantia, vel in gradu formæ, ita ut nō habeat formam aut in gradu introducendo. Probari ſolet primo, quia docet Ariſtoteles ſupra cap. 8. tex. 77. Agēs agere ut eſt in actu, id eſt habēs formaliter, vel eminenter formā quā producere intēdit, & pa-

Sic Ariſtotele lib. 1. c. 7. Suar. citatus Conimbric. hic c. 2. q. 2. art. 1. Hurta. diſp. 9. Phy. ſect. 9.

-tiens pati ut eſt in potentia, id eſt carens ea forma quam recepturum eſt, ſed quod eſt in actu ut ſic eſt diſsimile ei quod eſt in potentia ut ſic, ergo agens non poteſt agere in ſimile. Secunda rati, & eſt potiſsima, quia nemo dare poteſt quod non habet formaliter aut eminenter: ergo nequit agere in ſimile. Patet conſequentia, quia ſi calidū ut quatuor ageret in calidum ut quatuor, produceret in eo gradum quintum, quem nec in ſe habet formaliter ut ponimus, nec eminēter; quia eſt imperfectior. Tertia, quia ex oppoſito ſequeretur rem eandem poſſe producere in ſe formam omnino ſimilem ei quam iam habet, ut aquam frigidam iam omnino ſe infrigidare, vel eandem calidam ut duo, ſe adhuc poſſe calefacere. Quarta eſt ex communi axiomate philoſophico, Agens conatur aſsimilare ſibi paſſum, ſed ubi paſſum iam eſt ſimile in ſubſtantia, & gradu formæ, nihil agēti ſupereſt præſtandum, ergo nequit ſimile agere in ſimile. Vnde illud effluxit ſimile non agit in ſimile.

Dices, hanc rationem ſolum convincere in agētibus univocis. Contra, quia ſi agens univocum non debet eſſe ſimile, habemus intentum: nam ęquivocū aperte eſt diſsimile.

Quinta, quia non eſt maior ratio quare hoc ſimile ageret in ſimile quam è converſo.

Obiicies primo. In eodem inſtanti in quo fuit Sol, illuſtrauit aërem, ſed aëer non erat antea: ergo nō erat diſsimilis; ergo Sol egit in ſimile. Nego conſequentiam; quia non egit Sol in aerē iam habentem lucem, ſed in aerem prius natura luce deſtitutū, quæ prioritas ſufficit ad actionem.

Obiicies ſecūdo. Agens quod primo inſtanti produxit totam ſuam intenſionem in prima ſuperficie ſphærę, poſtea toto ſequenti tempore eādem lucē ibi conſervat, ergo actione conſervativa agit in ſimile. Reſpōdeo, licet totum concedatur nullum eſſe incommodum, quia nō agimus de conſervatione, ſed de actione. Deinde nego conſequentiā: quia agere in ſimile, eſt augere perfectionem formæ aſsimilantis, quod non præſtat agēs pure conſervans formam prius productam.

Obiicies tertio. Vnum ſpeculum mittit ſui ſpeciem in aliud ęquæ denſum, durum & terſum: ergo agit in ſimile. Nego conſequentiam, quia ſpeculum nō mittit ſpeciem in aliud quatenus ſimile; hoc eſt, quatenus dēſum; durū, & terſum; ſed qua eſt diſsimile, quatenus ſcilicet caret ſpecie intentionali, quam virtute habet ſpeculū, quod eam ex ſe mittit.

Obiicies 4. Si duę ſphæræ vitreę ęque puræ inter ſe collidantur, una rumpet aliam, ergo ſimile agit in ſimile. Reſpōdent aliqui illas ſphæras eſſe ſimiles in duritie, non tamen in ſe ratione ſolius duritiei agere, ſed etiā ratione impulſus ab extrinſeco recepti. Ideoque corpus ſuperans in impulſu aliud frangere. Sed expeditius reſpōderi poteſt, tūc unam ſphæram nō agere in aliā producendo formam in qua ſimiles ſunt, ſcilicet duritiem, ſed impulſum, & motum localem, qui ante actionem in neutra reperiebatur, & ita eius erat utraq. capax. Sic enim ſi duo lapides

ęque

ęque duri & graues, pariq. impetu inter ſe collidantur, parem alter alteri imprimet impulſum.

Obijcies ultimo. Aer remiſſe lucidus producit lucem intenſiorem in ſpeculo, necnon aer hyeme congelat aquam intendens eius frigiditatem ultra eam intẽſionem quam ipſe habet, alias etiam aer ipſe condenſaretur, & fieret aqua. Reſpõdeo, Solem ut agens principale producere lucẽ intenſiorem in ſpeculo, qui ob maiorem diſpoſitionem ſubiecti perfectius tunc in ſpeculo quam in aere propinquiori operatur. Præterea aer hyeme minime frigefacit aquam ultra intenſionẽ quam in ſe habet, neque frigiditas illa ſola eſt cauſa ut aqua cõgeletur, cęteroqui in ſtatu naturali ſemper aqua glaciaret. Requiritur ergo præter frigiditatem aeris denſitas aquæ, & influxus alicuius ſyderis cœleſtis paulatim abſumens humiditatẽ aquæ & ſiccitatem inducens, ex quibus eius oritur congelatio.

Ex his colligitur primo, agẽs & paſſum debere eſſe diſsimilia eo modo quo ſupponuntur ante actionem, nimirum vel tempore, vel natura, debere vero eſſe ſimilia in fine actionis, nam ex vi illius ab agente producitur ſibi ſimile.

Colligitur ſecundo, diſsimilitudinem requiſitam in agente, ut operetur in paſſum in eo eſſe conſtitutam, ut agens obtineat virtutem ad producendam formam, & in paſſo non ſit illa forma, ſed potius ſit capacitas ad ipſam, ſive habeat contrariam formam, ſive ſolam privationẽ formæ eiuſdem ſpeciei, & gradus in actionibus univocis, vel diverſę ſpeciei in ęquivocis.

DVBIVM II.

An agens ratione maioris denſitatis poßit agere in ſibi ſimile.

SEnſus eſt, an ſi hic ponantur duo ſubiecta calida ut tria, & unũ ſit duplo dẽſius alio, id quod denſius eſt poſsit agere in aliud ſibi ſimile in qualitate, & gradu, diſsimile vero in denſitate.

Cenſeo primo. Denſitas materię, vel multitudo agentiũ ęqualium & formæ, non ſufficit ad producendum effectum intenſiorem, quam ſit in agente adæquato. Probatur primo, quia Agens intendit ſibi aſsimilare paſſum, ſed ſi agens denſius ageret in aliud ſibi ſimile, & in gradu qualitatis, non aſsimilaret, imo ſimilitudinem deſtrueret inducendo plures gradus qualitatis quã ipſum habeat, igitur ratione maioris denſitatis nequit agere in ſibi ſimile: illa autem diſsimilitudo in denſitate non ſe tenet ex parte formarum, ſed ſubiectorum, quod eſt per accidens ad agendum in ſimile. Secundo, quãtumcumq. creſcat multitudo partium agentis, & denſitas ipſius, calor, v.c. ut quatuor, qui eſt ratio & virtus agendi, non continet calorem ut ſex formaliter, aut eminenter, igitur non poterit illam producere in alio calido ut quatuor, licet rariori. Tertio, ſequeretur tria agentia ſimilia poſſe agere mutuo in ſe: exẽpli cauſa, tria frigida ut quatuor, ita ut A, & B, frigida ut quatuor agerẽt in C, ſimiliter frigidum ut quatuor, & B, & C, in A, quod non eſt credibile.

Ita Suarius diſp. 18. me. ſect. 9. n. 28. Conimbric. hic c. 9. q. 1. & communiter recentiores.

Cenſeo

Cenſeo ſecundo. Multitudo & denſitas agentis iuvat ad agendum celerius, & in maiorem diſtantiam. Patet, nam celerius, & in maiorem diſtantiam operatur duplex ignis æqualis, quam unus. Similiter calor exſiſtens in materia denſiori, ut ferro, velocius calefacit, quã in aere, vel ſtupa, atque hoc vult axioma: *Virtus unita, fortior eſt ſeipſa diſperſa*; ratione enim maioris denſitatis partes magis inter ſe uniuntur.

Cenſeo tertio. Multitudo & dẽſitas agentis iuvat cæteris paribus ad producendum effectum intenſiorẽ quam produceret eadem virtus activa in rariore vel minori materiæ magnitudine, non tamen ad producendum effectum ultra intenſionem, quæ ſit agẽte. Ratio à priori eſt, quia magnitudo & maior extẽſio formæ, & agentis denſitas, eſt conditio deſerviens ad maiorem applicationem virtutis activæ ad paſſum, ergo virtus activa exſiſtens in maiori denſitate, & partium multitudine poterit elicere effectum intenſiorem intra latitudinẽ intenſam ſuæ formæ, quã in alia materia, in qua eſſet minor applicatio. Secũdo. Denſitas ſubiecti iuvat ad effectum intenſiorem recipiendum, ut patet in ſpeculo ratione ſuæ maioris denſitatis recipiente à ſole lucẽ, & calorem intenſiorem quã ae e ſoli viciniore, ergo denſitas agẽtis iuvabit ad intenſiorem effectum eliciendum. Tertio. Ferrũ candens etſi nondum in ſe ignẽ conceperit, vehementius urit, quam ſtupa iam inflãmata, cuius cauſa refundenda eſt in maiorẽ denſitatem ferri, quam ſtupę; iſta enim intenſiorem habet calorẽ à forma ignis iam ſuſcepta emanantem. Aqua etiam plus humectat ratione maioris denſitatis quam aer, licet hic ſit illa humidior.

Obijcies primo. Ariſtoteles 8. Phyſ. text. 8. ait, in maiori magnitudine, maiorem virtutẽ exſiſtere, ergo cum agens denſius multitudinem partium maiorẽ & magnitudinem habeat, habebit quoque maiorem virtutẽ ad agendum, etſi non habeat maiorem intenſionem, unde agere poterit in aliud minus denſum, licet in qualitate & gradu ſimile. Reſpondeo, Ariſtotelem ſolum velle virtutem agentis ratione denſitatis & magnitudinis creſcere ad agendum celerius, & diſtantius; vel certe intenſius intra latitudinem intenſivam quã habet, ut dictum concluſione. 3.

Obijcies ſecundo. Calor exſiſtens in ferro, quamvis non ſit ſumme intenſus, accendit ignẽ in ſtupa, ergo in illa producit ſummam caloris intenſionem, nempe octavam, quæ diſpoſitio eſt ad formam ignis, quam tamẽ in ſe non habet. Reſponde, ferrum candens in ſuis poris includere particulas ignis, & ita nihil mirum, ſi ſtupam inflammet. Addo, quod licet non ſit in illius poris ignis, multi enim eos negant cœlo & terræ, quod nõ probo, nondum tamen ſequitur intẽtum: nam cum ſtupa ſit valde ſicca minori indiget calore ut in ea, generetur ignis, quam aliud ſubiectum humidius: quare opus non eſt ut ferrum inducat in illam calorem ut octo, quem in ſe non habet.

Obijcies tertio. Duæ lucernę æquales applicatæ eidem ſpatio efficiunt intenſiorem lucẽ, quã una

una ſola, ergo iam multitudo agentium ſervit ad maiorem intenſionem, & idem erit de multitudine partium, quæ in denſitate reperitur, ſi ad agendum applicetur. Reſponde, illas duas lucernas ratione multitudinis partium efficere lucem intenſiorẽ intra latitudinem intenſivã ſuę virtutis, quam ſingulæ per ſe habent; atque hinc eſt ut luna licet forte non habeat plus lucis quã aliæ partes cœli rariores, poſsit intéſius illuminare, & calefacere. Quamquam ut ego exſiſtimo, plus lucis eſt in luna, quam in alijs partibus rarioribus, quia ratione maioris ſuæ denſitatis poteſt intenſius lumen à ſole recipere, quam aliæ partes rariores æque vel minus diſtantes.

Obijcies quarto. Plures guttæ aquæ æquales inter ſe, & æquali impetu deſcendentes excavant lapidem, quod una tantum non poſſet. Actus item remiſsi ſæpe repetiti habitum intendunt. Ac demum plures homines ſimul concurrentes, poſſunt ferre idem pondus, quod unus non poſſet, necnon magna moles pondere minor æque velociter movetur deorſum, ac moles minor intenſionis gravitatis, ergo multitudo agentium, & denſitas æquivalet Agenti intenſiori, & ſufficit ad intenſiorem effectum. Reſpõdeo, ſingulas guttas aquæ agere in lapidem aliquid proportionatum, & nullum ultra ſuam virtutem; ratio autem cur poſteriores plus facere videtur quã priores, eſt, quia priores lapidem emolliunt, magiſque diſponunt, & ita poſteriores plus efficiunt, quod non præſtarent ſi æque in diſpoſitum ſubiectum ac primæ invenniſſent. Ad ſecundum exemplũ de actibus remiſsis, reſpõſio petenda eſt ex materia de habitibus, in qua receptior doctrina negat actus remiſſos poſſe intendere habitum ultra propriã intenſionem. Ad poſteriora exempla reſpondeo, non eſſe ad rem; ſunt enim illi effectus provenientes à cauſis ęquivocis, ac proinde quantumcunque creſcat eorũ intenſio, nõ excedit virtutem, & activam perfectionem ſuæ cauſæ, & ſi forte ſuperent intenſionem, quia eo ipſo quod cauſa ſit cauſa ſuperioris ordinis habet ex ſe efficacitatem ad quãlibet intenſionem effectus, licet eam interdum non efficiat, vel ob raritatem propriam, exiguntque extenſionem, vel ob indiſpoſitionem paſsi, aut alias cauſas; in quibus eventibus multum iuvat denſitas materiæ, & multitudo agentis ad producendum effectum intenſiorem, quam alias, ob memoratas indiſpoſitiones produceretur.

DVBIVM III.

An agens univocum valeat effectum ſibi omnino ſimilem producere.

Loquor de univoco, nã ęquivocum cum ſit eius forma perfectior effectu producendo ſæpe producit effectum in pari, vel certe maiori intenſione quam ſit ipſius propria, ut intellectus, qui nullam intenſionem habet, & producit actus valde intenſos, & lux producere poteſt intenſiorem calorem, quam ſit propria illius; loquor etiam de

agente accidentali, nam ſubſtātiale, v. g. ignis intra ſuam ſphęram producit effectum ſibi omnino ſimilem. Solum itaq. quærimus, an accidens univocum operans actione accidentali poſſit ſibi producere effectum omnino ſimilem, v. g. calor ut octo aliū calorem intenſum ut octo.

Dico primo. Nullum agens univocum accidentale poteſt in partibus profundis paſsi effectū ſibi omnino æqualem in intenſione producere, ut calor ut octo non valet producere calorem ut octo, ſed calorem ut ſeptē. Suadetur primo, quia omne agens naturale agit intenſius in partes proximiores paſsi, quam in remotiores, ut patet in ſole, igne, &c. ergo ſignum eſt quamlibet diſtantiam agentis à paſſo eſſe impedimentum perfecte operandi, atqui agens ſolum eſt omnino indiſtans ab ultima ſuperficie quam tangit, & diſtans ab omnibus partibus profunditatis paſsi, cum iſtæ ſint extra partes agentis, ergo nequit agere perfecte in partes profunditatis paſſi, ac proinde neque in eis poterit producere effectum æqualem in intenſione. Secundo. Calor ut quatuor producit calorē ut quatuor in aliqua parte paſsi: ſupponamus hanc eſſe B. ſed ex partibus paſsi nulla eſt ultimate propinqua, ſed quacunque data eſt alia prior & propinquior agenti, ergo datur alia & alia pars prior parte B, quam tu aſsignas: ſed agens agit intēſius in parte proximiori paſsi, ergo debet producere in illa magis intenſum calorem quam ut quatuor, quod ſuperat eius virtutem.

Dico ſecundo. Agens univocū valet producere effectū ſibi omnino æqualem in prima ſuperficie paſsi quam tangit. Probatur, quia multæ qualitates recipiuntur in ſola ſuperficie, v. g. figura, & lumen in corpore opaco, ergo poteſt recipi intenſior qualitas in ſuperficie quam in partibus profundis. Firmatur, nam paſſum eſt ſuſceptivum æqualis formæ, & nulla diſtantia impedit ne agens producat illam cū tota ſua intenſione, nam prima ſuperficies paſsi tangentis agēs non diſtat ab illo, quin potius cum eo ſecūdum ſuperficiem in eodem ſpatio penetratur, ergo &c. Unde colligo, ſi paſſum eſſet cum agente omnino penetratū, poſſe agens in omnibus partibus, & indiviſibilibus illius, effectum ſibi omnino æqualem in intenſione producere.

Oppones primo contra primum dictum. Unumquodq. operatur in quantum eſt actu, ſed agēs habet calorem ut quatuor v. g. ergo producit quatuor gradus caloris. Reſponde, maiorem eſſe intelligendam ita ut agens operetur per formam quam actu habet, ita ut illa ſit agendi principium, non tamen quod producere debeat totam intenſionem, quam in ſe habet, hoc enim pendendum eſt ex maiori vel minori diſtantia paſsi.

Oppones ſecundo, ſequi calorē nunquam producere in partibus paſsi calorē ut octo: unde calorē nunquam eſſe ultimam diſpoſitionem ad ignem. Reſpondeo primo, non ſemper calorem ut octo eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad ignem, ſed interdum ſufficere calorem minus intenſum, ſi v. g. adſint aliæ qualitates diſponentes ad ignem, ut ſiccitas, raritas, & ſimiles. Secundo licet

agens

agens univocum, calor v. g. nequeat producere tam intenſum calorem in partibus, quam in ſe habet, poteſt tamen iuvari ab agente ęquivoco, nempe ab igne, & ab illo produci calor ut octo ad introductionem formę ignis. Tertio, licet calor exſiſtens in paſſo ſit tantum ut ſeptem, coniunctus tamen cum calore exſiſtente in agente, qui eſt ut octo, iuvari & complere unicum totale inſtrumentum ſubſtãtiæ ad ſubſtantiam, ut alibi dixi, non quaſi ille augeatur per conſortium huius, ſed quia tota illa intenſio, quę reperitur in utroque, ſit diſpoſitio ultima ſufficiens & ut octo, præcipue cum iuvetur à ſimultaneo concurſu ignis agentis.

DVBIVM IIII.

An idem poßit intendere ſeipſum per antiperiſtaſim.

PОno ut certum, poſſe aliquod agẽs in ſeipſum agere actione ęquivoca, ſeu productiva effectus diverſę rationis ab ipſo agente, ut patet. Primo in actionibus immanentibus. Secundo in emanatione proprietatum ab eſſentia. Tertio in motu progreſsivo animalis. Quarto in motu etiam gravium, & levium, qui cum active oriatur à gravitate & levitate, etiam recipitur in ipſis, nam gravitas, vel levitas ſurſum, vel deorſum moventur una cum igne, vel terra motis. Idem patet in motu adcretionis, per quem pars præexſiſtens augetur, à qua etiam motus oritur; nam ab ea parte diſponitur pars alimẽti ipſi propinqua, quæ convertitur in ſubſtantiam aliti, & unitur ipſi parti præexſiſtẽti. Et ratio eſſe videtur, quia ut aliquid agat, ſufficit ut actu habeat eminẽter formam producendam; id eſt, habeat actu exſiſtentem virtutem activam talis formæ: at vero ut aliquid recipiat, vel moveatur, ſatis eſt non habere formaliter rem producẽdam, & poſſe illam recipere: at continere formam eminenter, & illa carere formaliter cum potẽtia ad illam habendam, non opponuntur ſimpliciter & abſolute, ſed poſſunt in eãdem rem cadere: ideo exiſtimo principiũ illud, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, pati aliquas exceptiones. Tãtum ergo eſt dubium, an idẽ actione univoca agat in ſeipſum; ut v. g. an eadem qualitas poſsit ſeipſam intenſiorem reddere.

Ratio dubitandi ſumitur ex antiperiſtaſi, quæ ſignificat circumobſiſtentiam contrarij undique cingentis aliud contrariũ debilius. Experimur vero circũ obſiſtentiam unius contrarij alterum intendi, & roborari, quæ actio per antiperiſtaſim fieri dicitur. Sic in hyeme calidiores reddũtur fontes, & putei, & minus frigida media aeris regio obſiſtente frigiditate, in æſtate vero ſunt frigidiores obſiſtente calore. Similiter Autore Hypocrate, Aphoriſ. 15. Ventriculus animalis hyeme calidior, quam in æſtate, recurrente calore ad interiores partes propter circũobſiſtentiam frigoris externi, & ideo naturæ facilius cibum coquunt; at in his exemplis non apparet aliquod agens extrinſecum,

 cum,

cum, à quo poſſit proficiſci inte[n]ſio eiuſmodi qualitatum; non enim provenit à contrario agente, cum hoc potius alterius contrarij corruptionem moliatur, neque apparet aliud agens vi cuius talis intenſio perficiatur: ergo dicendum eſt qualitatẽ augeri à ſeipſa, & præcipue in præſentia ſui contrarij poſſe ſe ita intendere, ac roborare, ut ei repugnet, imo ipſum expugnet.

Dicendum tamen cum cōmuni ſententia, idem non poſſe agere in ſeipſum, actione univoca, neque immediate, neque medijs ſpeciebus intentionalibus, quibus eadem res, vel qualitas augeat ſeipſam. Prima pars docetur ab Ariſtotele hic cap. 7. ubi adverſus aliquos Philoſophos infert, ſi ſimile ageret in ſimile, poſſe idem in ſeipſum agere, & utrumque reputat abſurdum, unde ſumitur ratio ad id probandum, nam qualitas nequit augere aliam ſibi ſimilem in gradu, ut ſuperius oſtenſum: ergo multo minus poterit augere ſeipſã, eadem enim utrobiq. eſt ratio. Firmatur, quia ſi id fieri poſſet, aperte concluderetur produci effectum ab agente, in quo non eſt actu formaliter, nec eminenter; quintus enim gradus caloris cũ perfectior ſit quatuor eiuſdem inferioribus, in illis nec actu formaliter, nec eminenter cohibetur. Roboratur amplius, nam lucerna intra anguſtum cubiculũ incluſa, non auget lumen in ſeipſa, licet tunc anguſtia parietũ cogatur in minori operari; ergo ſola obſiſtentia cõtrarij, vel impedimentum operandi, non ſufficiet ut qualitas agat in ſeipſam; imo multo melius agere poſſet in ſeipſam, ſi virtutem haberet ſe intendendi, in abſentia contrarij, quando nullam haberet reſiſtentiam, etenim præſentia contrarij non dat illi novam virtutem activam, ſed propriã debilitat. Dices conſtare experientia ignẽ aquę guttis reſperſum acrius roborari, ergo tunc intenditur à ſeipſo. Reſpondeo, ignẽ ſtatim atque guttulis aquæ aſpergitur, non roborari, ſed potius remitti; poſtea vero cum calor vehemẽtior eſt, aquam illam convertit in vapores, qui in flãmam converſi, maiorem, atque adeo robuſtiorem excitãt ignẽ.

Hinc liquet falſum eſſe quod Toletus quæſt. 14. & Conimbricenſes quæſt. 1. art. 1. aiunt, qualitatem ex appetitu ſe defendendi, ſe intendere, vel quia impeditur ab operatione in paſſum, vel quia quod ageret in illum, agit in ſe, vel quia compellitur operari in minori paſſo.

Secunda pars dicti eſt contra alios, qui dicunt effectus illos in ratione dubitandi memoratos, fieri medijs quibuſdam ſpeciebus intentionalibus; quia enim (aiunt) frigiditas v. g. à calore circunceſſa, inijcit in eum quaſdam ſpecies intentionales, quæ ſunt veluti inſtrumenta ad agendum in illum, cum autem calor refragetur talibus ſpeciebus, refunduntur illæ in frigiditatem, ſicque illam intendunt. Contra hos Autores probatur primo, quia ſpecies intentionales non ſunt corpuſcula, ſed accidentia quędam, quæ nequeunt migrare & remigrare ex uno ſubiecto in aliud. Secundo, quia ſpecies intentionales non ſunt principia actionis phyſicæ, & corporeæ, ſed intentionalis, ut alicuius cognitionis ſenſitive, & non

pro-

productionis alterius qualitatis ſimilis illis, à quibus ipſe oriuntur; ſpecies enim albedinis non producit aliam albedinem, ſed viſioné. Tertio. Tameſi demus eas ſpecies eſſe activas ſui ſimilis, non tamen poterunt intendere qualitatem à qua emittuntur. Patet, nam qualitas, quę producit has ſpecies, cum ſit cauſa æquivoca illarum, eſt ipſis perfectior; atqui illa qualitas remiſſa propter ſuam imperfectioné, & virtutis defectum, nequit ſe intédere, quia nec actu formaliter, nec eminenter continet in ſe qualitatem ſeipſa intenſiorē; ergo à fortiori propter eandem cauſam nequibunt illæ ſpecies intenſionales intendere qualitatem remiſſam, à qua emiſſę fuere.

Ad rationem dubitandi, omiſſis alijs reſpondendi modis, qui videri poſſunt refutati apud Suarium citandum, reſpondeo cum eodem diſp. 18 ſect. 9. num. 18. & Hurtad. diſp. 9. Phyſ. §. 87. qualitates illas non intendi univoce, neque à ſeipſis, neque à ſuis contrariis poſitive, ſed quaſi negative, quatenus contraria impediũt ne foras exeat calor, aut frigus præexiſtentes in ſubiecto, ſed per obſiſtentiam cõtrarii ibi detinentur incluſa: accedentibus exhalationibus aliquibus, aut vaporibus, quæ maiorem efficiunt calorem, aut frigus.

Quod ut explicetur notã, utroque vere has res inferiores temperie quadam gaudere, quaie tũ infima, tum ſupera tépore quodã eſſe prædita. Incipiamus igitur ab autumno, quo pręterito, & hyemis frigore ſupervenientе, calor exiſtens in infimis partibus ab obſiſtente frigore detinetur ne foras exeat; calor item apud nos exiſtens detruditur ad partes inferiores; aliquæ etiam exhalationes calidę, & ſiccę ad interiora adiguntur virtute ſolis, quæ deinde à frigore obſiſtẽte, & à conſtipatione partiũ terræ impediuntur ne foras erumpant, atq. hinc provenit ut hyeme partes infernæ calidiores ſint.

Propter hanc ergo cauſam ut Ariſtoteles ait, & experientia cõfirmat, balneæ aquę, item puteorum, & fontium calidiores ſunt in hyeme, quia nimirum calor à medio frigidiori in eas detruditur, & qui ibi erat impeditur ne foras erumpat, frigore enim cõdenſantur partes terræ, & aeris ante quam terrę condenſationé, aliquæ etiam exhalationes vi ſolis excitate ad interiora detrudũtur; & quæ intra terram erant genitæ ibi detinẽtur, impedito earum aſcenſu à medio craſsiori propter frigus; quę quidẽ exhalationes, cũ ſint ſubtiliores aqua, facile ipſi immiſcentur, minuentes frigiditatem, & calorem cauſantes. E contra vero exhalationes alias ſubtiliores, quæ iã longe à terris aberrant, ab urgente frigore ad mediam aeris regionem coguntur, eamque in hyeme temperatioré reddunt. Ideo etiam, ut ait Hyppocrates, ventriculus animalis in hyeme eſt calidior, quia frigiditas aeris cuté & poros ſtipat, ſicque ſpiritus vitales intus retenti, & collecti calefaciunt magis partes internas, perfectiuſque concoctionem elaborant, ideoque maior ſentitur fames in hyeme, quam in æſtate. Eadem cauſa natãtes faciliꝰ ac celerius cibum digerunt, ac famem patiuntur, quia ſcilicet ca-

lor, vel ſpiritus calidi frigiditatem externam fugientes ad ſtomachum adiguntur, & famem cauſant.

Propter contrariam cauſam, vel potius eandē aquę puteorum frigidiores ſunt in ęſtate, addita tamen nova quadā ratione. Aquę ergo, & partes ſubterraneæ frigidiores ſunt in ęſtate, quia tēpore aperiente terram, & eius poros, calor infra detentus locum foras invenit, exhalationes itē calidæ ibidem detentæ celeriter aſcendunt; illæ etiam, quæ de novo à ſole excitantur, propter vehemētiorem calorem ſubtilioresſunt, & ſurſum avolant. Sic ergo abſente cōtrario, aqua redditur frigidior à propria forma ſe reſtituente ad nativam frigiditatem; non quidem ad maiorem quam exigat natura aquæ, ſed ad maiorem ea, quam antea habebat, dū plus à ſuo contrario premebatur. Partim etiam adiuvant vapores aliqui humidi, & frigidi, qui fugientes æſtivum calorem, intra cavernas terræ detinētur, & aquæ frigitatem perficiunt. Sicut etiam vapores alij à terra eleuati confluunt ad mediā aeris regionem, vbi frigiditatem ſibi debitam nacti, aerem illum frigidiorem reddunt, atque ea cauſa eſt cur in æſtate crebrius generetur grando, quæ plus exigit frigoris ad ſui productionē quam nix. Eandem etiam ob cauſam aqua frigida ſoli aliquantulum obiecta in æſtate frigidior fit. Calor enim extrinſecus in aere ambiente, vel in vaſe continente, aut etiam in externa ſuperficie aquæ cauſat aliquam raritatē; atque ita ſi aliquid vaporis, aut exhalationis calidæ circundat, vel penetrat aquam, facilius evaporatur, & aqua reducit ſe ad cōnaturale frigus. Nunquā itaque propter antiperiſtaſim idē agit in ſeipſum, ſecundum eandem qualitatem.

DVBIVM V.

An omne agens agendo repatiatur.

ADagium eſt celebre: *Omne agēs agendo repatitur.* Vt eius veritas aperiatur, adveraendū primo. Quando agens fortius agit in paſſum debilius, tūc illud agere, & hoc pati; quando vero paſſum, è contra, agit contra agens fortius, tunc paſſum reagere, & agens fortius repati cenſeri. Vnde tunc dicitur repaſsio, quando datur mutua duorum paſsio; & reactio, cum datur reciproca actio.

Advertēdum ſecundo. Vt detur reactio, & repaſsio, quatuor requiri. Primum, ut agens & paſſum conſtent materia, eaque ſit eiuſdem rationis: hac de cauſa, Angelus, & cœlum dum agunt in hęc inferiora, non repatiuntur. Secundum, ut agens ſit intra ſphæram paſsi. Si enim agēs habeat paſſum intra ſuā ſphærā, & non è cōtra paſſum agens. v.g. ignis haberet aquam intra ſphærā ſuam, & non è converſo aqua ignem, tunc ignis ageret in aquam, quin aqua reageret in illum; unum enim agens habere poteſt maiorem ſphæram activitatis, quam aliud. Sic ſol tametſi haberet materiam eiuſdem rationis cum terra, ab ea repati nequiret, quia ſol ob tantam diſtātiam non eſt intra ſphęram activitatis terræ. Tertium, ut utrūque

que habeat potentiam expeditã, tam ad agendum, quam ad patiendum. Quartum, ut agens, & paſſum habeant contrarias, aut ſaltem diverſas in ſpecie qualitates; huius conditionis defectu calidum ut quatuor agẽs in calidum ut duo, ab eo non repatitur; & lucerna illuminans aerẽ non repatitur ab aere illuminato, quia in eo non eſt virtus cõtraria luci, neque color producens ſpecies viſivas in oculo, aliquid ab oculo ipſo repatitur.

Dicendum. Agens agendo repatitur quoties intercedunt adductæ conditiones. Probatur primo plurimis experientiis. Manus enim calida, pomum frigidum claudens calefit, & ab eo frigeſcit. Tum ferrum calidum immerſum in aqua frigeſcit, & incaleſcit aqua, & alia ſunt id genus. Secundo probatur à poriori, quia ſine hac mutua actione, & reactione non intelligitur quomodo valeant temperari, & inter ſe miſceri qualitates elementorum, prout oportet ad introductionem formæ mixtę. Tertio, & eſt ratio à priori, quia ſi duo agentia contraria debite applicentur, utrumlibet eorum eſt in potentia ad formam alterius, & in actu ad ſuã producendam in alio; tum etiam cuiuslibet activitas vincit ſufficienter reſiſtentiam alterius; ergo erit inter illa actio & reactio. Probatur cõſequentia, quia nihil requiritur amplius ad reciprocam actionem. Antecedens vero quoad primam partem probatur; quia tunc eſt aliquid in potentia ad recipiendum aliud, quando habet eius contrarium. Quoad ſecundam, quia quodvis eorum agentium actu habet formam activam qua caret alterũ, & ad quam eſt in potẽtia. Quoad tertiam, quia primo gradui frigoris, primo inducendo ſolũ reſiſtit octavus caloris expellendus, cum hoc enim tantum eſt incompoſsibilitas primi, ſed ad agendum non ſolum concurrit primus gradus frigoris, ſed omnes etiam ſuperiores, qui ſunt in agente; primus enim gradus non ſolum continetur in virtute primi, ſed multo magis in virtute ſuperiorum, qui multo ſunt perfectiores intra eandem ſpeciem, & in eadẽ entitate individua; ergo in his agentibus virtus activa cuiuslibet vincit reſiſtentiam alterius.

Ita Conimbric. hic c. 9. q. 3. art. 3. Hurta. diſp. citata, & alii ſequuti Ariſtot. variis in locis, & præcipue hic c. 6. & Galenum cũ medicis.

Vnde ad actionẽ, vel reactionem, vel nihil refert maior, vel minor vis activa alterius, ſed ſolum opus eſt ut vis activa unius ſit maior reſiſtentia alterius, quod ſemper accidit in his contrariis qualitatibus, quia reſiſtẽtia formalis eſt unius gradus ad alterum, & non ad omnes, actio vero eſt ab omnibus gradibus perfectioribus, vel æque perfectis, ſicque à qualitate quantumcumque remiſſa eſſe poteſt reactio in qualitatem quantumvis intenſam. Cuius ratio eſſe videtur, quia potentia activa non cõparatur ad activam, ſed ad paſſivam, & reſiſtitivam; ſicque actio non comparatur ad actionẽ, unde neque ad reſiſtentiam effectivam, ſed ad formalem, quæ eſt per formalem incõpoſsibilitatem formæ cum forma. Ex qua notatione facile eſt ſolvere omnia, quæ fiunt in contrarium.

Tantum quæri poteſt, an hæc actio reciproca ſit inter agens & patiens, ſecundum eandem contrarietatem, ita ut ſecũdum ean-

dem

eandem qualitatem qua agens agit, repatiatur, licet non ſecundum eoſdem omnino gradus, ille enim, qui actionis tempore corrumpitur, nō poteſt in actionem influere. Et affirmandum cū communi ſententia ex Ariſtotele tum alibi, tum 4. de generatione animalium, cap. 3. dicente neceſſarium eſſe, quod calefit frigefieri, & quod præmit, præmi. Id primo probat experientia modo poſita. Tum etiam, quia ſecus poſſet eſſe actio, & reactio inter elementa ſymbola, quod omnes concedunt. Patent, quia cum illa in altera qualitate conveniant, neceſſe eſt agant, & reagant ſecundum eandem contrarietatē: aër v.g. & aqua conveniunt humiditate, pugnant vero calore, & frigiditate; ergo utraque eadē agunt & reagunt. Tum denique quia ſecus in mixtione manerēt in mixto duæ qualitates in ſummo, ſcilicet unam utriuſque cōtrarietatis, quod eſt abſurdum. Sequela patet; ſi enim calor ignis agens in frigiditatem non repatitur, ergo non minuitur, ergo manet in ſummo. Idemque erit de ſiccitate, & humiditate. Neq; eſt inconveniens ut idem ſecundum eandem qualitatem ſimul ſit ſuperius & inferius in agendo reſpectu diverſarum actionū. Neque item ſequitur idem moveri ſimul motibus contrariis ſecundum gradus intenſos.

CAP. VLTIMVM.

IN hoc vltimo primi libri capite, Philoſophus diſſerit de mixtione qua miſcentur elementa; & primo ſuadet dari mixtionem, & diſcrepare ab aliis actionibus, nempe à generatione, & corruptione; quando enim corrumpitur lignum, & generatur ignis, nō miſcetur lignum cum igne, neque è cōverſo, quia deſtruitur lignum, & dūtaxat manet ignis. Similiter oſtēdit diſcriminari à nutritione, augmentatione, & alteratione. Secundo docet mixtionem non eſſe coniunctionem rerum quarumlibet, ſed coniūctionem miſcibilium, quorum quodlibet poteſt ſeparatum exſiſtere. Tertio, miſcibilia non manere actu in mixto, ſed virtute, & in potētia. Quarto, non omnia corpora eſſe miſcibilia, ſed ſolū ea, quæ alterari, & dividi queunt; ſicque facilius permiſceri, eaque aptiora ad alterationem, & diviſionē. Poſtremo, mixtionem definit, *Miſcibilium alteratorum unio.*

LIBER SECVNDVS, De generatione, & corruptione.

POST explicatas corporis generabilis, & corruptibilis in communi affectiones, generationẽ, corruptionem, augmentationẽ, & alterationem, incipit iam Ariſtoteles hoc ſecundo libro diſputare de quatuor primis corporibus ſimplicibus, quæ elementa dicũtur, ex quibus alia generantur. In primo ergo capite, Ariſtoteles, poſtquam in ſummã redegit ea, quæ hic diſputanda ſunt, dicit, elemẽta eſſe aliorum principia, ipſaque in ſeipſis habere unum cõmune principium mutuæ tranſmutationis: nimirum materiam primam. Secundo capite ait, elementa cum ſint prima corpora, neceſſario conſtare ex primis qualitatibus ſenſibilibus, quas docet eſſe quatuor, calorem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem. Inter eas aſſerit calorem & frigus eſſe qualitates activas: ſiccitatem vero, & humiditatem paſsivas, ſubiũgit quoque eas qualitates eſſe obiecta tactus, qui eſt primus ſenſus generatione, licet nõ perfectione; ex quo colligit, eas qualitates eſſe primas propter iſtam rationem, & quia ex eis reſultant aliæ qualitates. Tertio capite demõſtrat, ex quatuor primis qualitatibus ſolum poſſe quatuor conformari combinationes utiles, atque adeo quatuor eſſe tantum elementa, proptereaque ignem eſſe calidum & ſiccum, aërẽ humidum & calidum, aquam frigidam & humidam, demum terram eſſe ſiccam & frigidam, ſubdit cuilibet elemẽto eſſe propriam aliquã qualitatem in ſummo, ſicque ignem eſſe ſumme calidum, aerẽ ſumme humidum, aquam ſumme frigidam, terram ſumme ſiccam. Quarto capite docet, quodlibet elementum poſſe tranſire in aliud, faciliorem tamen eſſe tranſitum inter elemẽta ſymbola quã inter diſsymbola, & ex duobus ſymbolis facilius generari tertium quam unũ in alterum trãſmutetur. In quinto oſtendit, elementa non fieri ex alio corpore, & ex ipſis oriri mixta. In ſexto impugnat Empedoclem, qui mutuam elementorum tranſmutationem negavit. In ſeptimo iterum coarguit dictum errorem, & declarat qua ratione mixta elemẽtis cõſtent, & primarum qualitatum mixtura, & temperies fiat. In octavo, in quolibet mixto adſtruit dari quatuor elementa ratione qualitarum. In nono explicat cauſas tranſmutationum rerum generabilium & corruptibiliũ, & aliorum confutat errores. In decimo dicit, cauſam materialem, & formalem generationũ, eſſe materiam & formam, efficientem vero motum cœli non ſolius primi mobilis; iſte enim ſemper fit eadem ratione, cum eodem nimirum acceſſu, & receſſu ad mũdum ſublunarem, ſed motus ſolis, ac Planetarum per circulum Zodiaci obliquum, quo aſtra ad diverſas partes terræ accedunt, & recedunt, ut anni tempora teſtãtur; finalem vero cauſam ait eſſe, ut quævis ſpecies ſucceſsi-

ve individuorum perpetuitatẽ tueatur. Cap. 11. aſſerit, circulum generationum eſſe perpetuum, & in tanta rerum viciſsitudine nunquam idem numero individuum, quod ſemel fuit productũ & corruptum reproduci.

DISPVTATIO SEXTA De qualitatibus primis, & elementorum generatione.

PRIMA qualitas diſponit ſubiectum, ſecunda præcedit. Qui ergo præparet, quive ante eat, quique cum aliis pugnet, ut elementa, mixtaque generentur eſt pertractandum; tractandum etiam de elementorum generatione, non eorum natura, ne actum agamus.

DVBIVM I.

Definitio, numerus, & cauſa primarum quatuor qualitatum elementorum.

SIcut dantur corpora elementaria quorum congreſſu mixta reſultant, ideoque prima vocitantur, ita etiam dãtur qualitates elementales, quæ primę dicuntur, quia ex ipſis aliæ qualitates mixtorũ, ut odor, ſapor, & ſimiles conſurgunt. Communiter definiri ſolent qualitates primæ, *Quæ neque ex ſe, neque ex aliis fiunt, cætera vero ex ipſis.* Dicũtur non fieri *ex ſe, neque ex aliis*, quia nec fiunt active mutuo ex ſe, neque ex aliis primis & propriis corporum corruptibilium: unde non obeſt quod fieri poſſint à luce ſolis, alijſque qualitatibus cœlorum. Dicuntur cęterę *fieri ex ipſis*, quia ex earum temperie (ut infra dicetur) aliæ qualitates proprię corporũ ſublunarium, & habentes contrarium, oriuntur.

Dico tamen primo, primæ qualitates exactius definiuntur, *Quæ formaliter, & efficienter diſponunt materiam ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem.* Suadetur primo, quia ſic optime cenſentur eſſe primæ qualitates, quia ſunt primæ diſpoſitiones generationis, & mutationis ſubſtantialis, & vitantur aliquæ difficultates, quæ contra ſuperiorẽ definitionem obiici poſſunt. Secundo, quia totum id apprime quadrat naturæ iſtarum qualitatum, quæ per ſe primo inſtitutę ſunt à natura, ad bene diſponendam, & perficiendam ſubſtantiã in ſe, qua de cauſa ab Ariſtotele in tertia ſpecie qualitatis reponuntur. Poſtremo, quia ſic reiiciuntur omnes qualitates perfectivæ, quæ non diſponunt ad mutationem ſubſtantialem. Dictum hoc conſtabit amplius ex dicendis.

Dico ſecundo, quatuor ſunt tantum primæ qualitates, calor, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Ita communiter Philoſophi ſecuti Ariſt. hic cap. 2. eius ducti argumento; quia inter qualitates ſenſibiles, tactiles debent eſſe prio-

priores, cū tactꝰ ſit ſenſus prior generatione, quippe quod eſt fundamentum cæterorum; atqui inter qualitates tactiles quatuor numeratæ ſunt primæ; ergo, &c. Minor explicatur, nā omnia tangibilia ad hæc revocantur, calidum & frigidum, humidum & ſiccum, rarum & denſum, grave & leve, durum & molle, aridum & lubricum, ſeu viſcoſum, aſperū denique & lene; ſed hæc omnia ſupponunt quatuor illas primas qualitates ex quarum permixtione oriuntur, nam lene, & rarum ſupponunt calorem, grave & denſum frigiditatē, durum vero & aridum, & aſperum ſiccitatem, ſicut molle, lubricum & lene humiditatem; & præterea ex ipſorum mixtione variata variantur, inde enim provenit, ut quod antea erat molle, durū fiat, &c. ergo illę quatuor inter qualitates tactiles ſunt primæ.

Firmatur præcipue ex definitione ſuperiori, nam qualitates primæ ſunt, quæ formaliter, & efficienter diſponunt materiam ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem; ſed iſtæ omnes ita diſponunt, & nullæ aliæ, ergo, &c. Minoris prima pars liquet in calore, & frigiditate, & ſuadetur in ſiccitate, nā corpora ſicca, ut ſtupa, facilius ignem cōcipiunt, quam humida; ergo ſiccitas diſpoſitio eſt ad generationem ignis. Similiter in humiditate, nam corpora nimio humore contabeſcunt, & ſoluuntur in aquam; ergo, &c. Pręterea omnes iſtę diſponunt materiam non ſolum formaliter, ſed etiam active, quia producere poſſunt ſimiles ſibi qualitates in aliena materia, ut oſtēſum eſt. Demum, ut ſupra dicebam, quælibet ex iſtis in mixto nimiū intenſa, & acuta mixtum ipſum diſſolvit; & aliud gignitur. Secunda pars perſpicua eſt, nam præter iſtas non videmus alias qualitates, quæ formaliter, & efficienter diſponant admutationē ſubſtantialem; nam tametſi lux non oriatur ex alia prima qualitate, & poſsit producere lumen, & calorem, quo diſponat materiā ad formā ignis, adhuc tamen non eſt prima qualitas, quia per ſeipſam non diſponit formaliter ſubiectum in quo eſt ad ſubſtantialem mutationē. Et ſi ulla alia qualitas reperitur in mixtis, quæ ad eorum generationem diſponat, certe has quatuor ſupponit.

Dico tertio, iſtæ qualitates oriūtur active à formis ſubſtantialibus elemētorū, & ipſę ſunt cauſę cæterarum qualitatum, quæ ſecundæ vocantur. Prima pars liquet, tum quia ipſæ non ſunt primæ formæ eſſentialiter elementa conſtituentes, ergo ſupponunt primum illorum conceptum, unde emanent. Tum quia falſum eſt, quod ait Iauellus, in elementis reperiri alias quatuor qualitates virtuales, & radicales occultas unde iſtæ dimanent, & quibus ſe in priſtinū ſtatum reſtituant; verbi gratia, cum aqua ſe ad emiſſam frigiditatem reducit, quia iſtæ qualitates radicales eſſent primę, & nō calor, & frigiditas. &c. Præterea cur illæ ſunt primę qualitates, & nō iſtę? Poſtremo, quia illud gratū confictum eſt. Secunda pars liquet, nam ex ipſarum temperie oriuntur aliæ, ut colores, & odores, &c. Quare ex ignis, & ſolis ardore colores mutantur, & qui pallidus ad ignem accedit, rubicundus recedit, & attramentum ſoli

expoſitum nigrius fit, cera vero candida, ex calore, & humiditate odores emergunt; res frigidæ diverſe ſapiunt ac calidæ: viri humidi facile læceſcunt, vigent calidi: ſicci & calidi ſunt robuſti, quia ſiccitate reſiſtunt, calore agunt: humidi autem, & frigidi ita ſunt deſides, & phlegmatici, ut in rheugmata conglatientur, eadem veritas in aliis ſexcentis conſignata elucet. Quando autem dico primas qualitates eſſe cauſas ſecundarum, non intelligo ab eis efficiẽter prodire, nam ſicut ex pugna elementorum cauſæ aliæ principaliores mixta gignunt, ut infra dicam, ita ipſa mixta affecta certa primarũ qualitatum temperie ſecundas producunt; itaque primæ qualitates ſunt veluti diſpoſitiones ad ſecundas, ideoque earum cauſæ appellantur, ut bene notat Hurtadus diſput 6. de elementis, eorumque mixtione §. 18.

4. *Metheororum c. 1.* Dices ex Ariſtotele, ſiccitas oritur ex calore, & calor aliquando oritur ex ſiccitate; experimento enim compertum eſt corpora calida accedente ſiccitate citius, & intenſius calefacere; ergo calor & ſiccitas non ſunt primæ qualitates, cum ex ſe invicem oriantur. Reſpondeo, ſiccitatem per ſe non oriri à calore, ſed per accidens in quantum calor diſsipat, & abſumit partes humidas; ſimiliter ſiccitas per ſe non auget calorem, ſed per accidens quatenus aufert humiditatem, quæ impediebat actionem caloris.

Ad extremum dubij libuit tradere ſingularum qualitatum definitiones ab Ariſtotele relictas, quas accidentarias eſſe facile intelliges. Calidum eſt, *Quod ea congregat, quæ ſunt eiuſdem generis,* Sic enim videmus calorẽ ignis, aurum quod erat aliis metallis permixtum, ab eis eximere, & in unum cogere: cuius effectus ratio eſt, nam calor corpora ſolvit ea rarefaciendo, quod accidit dum illa extenuãtur. Vnde fit, ut metallis colliqueſcentibus gravius defluat inferius, levius autem ſupra emergat, copulenturque partes eiuſdem ſpeciei propter ingenitam propenſionẽ ad ſui conſervationem, ad quam plurium partium unio maxime conducit. Et quidem Ariſtoteles loquitur de congregatione rerum, cuiuſque forma retenta, alloquin eſſet vitioſa definitio, nam in generatione mixtorum calor unit diverſa genera, ſed depoſita ſingulorum forma, inducendo formã mixti, quod convenit cuivis primæ qualitati; at vero nulla congregat res generum eorundem retenta cuiuſque forma præter calorem.

Dices, calorem etiam congregare ea, quę ſunt diverſi generis, & ſi aqua gelida, & vinum gelidum applicentur igni in eodem vaſe, miſcẽtur, & cũ lac coagmentatur in caſeũ, in illo includuntur paleæ. Reſpondeo id oriri ex aliquo impedimento, non per ſe ex virtute caloris, nam ex rarefactione ſequitur per ſe continuatio partium: per accidens autem aliquando non ſequitur, ut in vino, & aqua, cera & piſce, quæ quia fluida ſunt, facile permiſcẽtur, & conciduntur in tam minutas partes, ut non ſe poſsint explicare: metalla vero è contra, quæcumque effringunt vincula & coeunt in unionem: itemq; aliquando calor diſgregat res generis eiuſdem; ſed etiam per accidens corrumpendo cuiuſque tem-

temperaturá, ut vas cum rumpitur calore nimio, quem ferre non poteſt; quod ſi poſſet liquari vas, omnes eius partes evaderent continuæ.

Frigidum eſt, *Quod congregat ea, quæ ſunt diverſi generis*, vt liquet dum aqua gelaſcit, quæ ad ſe rapit ſua cócretione paleas, ligna, & capillos, ea arcte complectens. Ratio à priori eſt, quia frigus conſumit humorem, & res quæ erant attiguæ per humorem ſe quaſi pervadunt, cum vero exhalatur humiditas, eædem res manent compreſſe, & conſtipatæ, ita ut difficile ſeparētur: ut cum quis tunicam applicat corpori recenti ſanguine imbuto, poſtea non poteſt ſine vehementi dolore eam detrahere, niſi eam humectando: ſic cum frigus congelat aquam ſuperficiem exſiccando, aqua ſecum trahit corpora quibus agglutinata.

Dices, etiam calorem id præſtare. Contra, quia calor id præſtat in aliquó gradu, ſicut in aliquo gradu diſgregat ea, quę ſunt eiuſdem generis, ut vitrum; at vero calor per ſe illum effectum non præſtat, niſi diſponendo ad combuſtionem, vel procurando congregare res eiuſdem generis eas rarefaciendo: unde ſi tunica illa nimium incaleſcat, ſtatim proſilier: at quo plus frigeſcit, plus adhæreſcit: calor enim dilatando corpora ſolvit; frigus autem conſtringendo corpora conſtipat. Item quando aqua glaciat, ſic adhæreſcit veſtibus, ut non poſsit ab illis ſeparari, niſi liquata: ita ſtupæ manent intra cryſtallos, ut ſe vidiſſe teſtatur Mendoça §. 23. Dices, frigus diſgregare ea, quæ ſunt generis eiuſdem, vt cum ſaxa diſſolvit. Reſpondeo, id eſſe per accidens, diſſolvendo temperaturam humoris, quo ſaxum coagmentatur, trahit enim frigus ſaxeas partes, & dum reſiſtunt remotiores, & humor exſiccatur, dividitur ſaxum; item cum vas frangitur, fit etiam per accidens, ne detur vacuum.

Humidum eſt, *Quod ſuo termino difficile continetur, alieno vero facile*; aer enim & aqua cum ſint corpora fluida, diffunduntur facile, & facile cohibentur. Cuius ratio eſt, quia humiditas eſt parũ activa, ideo enim non convertit in ſe adeo facile corpora, quæ illi opponuntur, & cum ſubſtantias liquidas reddat, facile illæ dilabuntur, & facile etiam obiectu corporis ſolidi continentur.

Dices, aërem & aquam aliquãdo difficile alieno termino contineri, ut in fluminibus & ventis. Reſponde, id eſſe per accidẽs propter impetũ, quo venti cientur, qui non eſt aëri naturalis: per ſe enim aër & aqua facile coërcentur, ut in tenui & exiguo vaſe; flumina autem facile manſueſcunt, tumentes deprimentia fluctus. Quando vero impediuntur, ne tendant in centrum, tunc ira quaſi ardentia, repagula quæque confringunt, nõ propter humiditatem, ſed propter gravitatem, qua in centrum rapiuntur.

Tandem ſiccum eſt, *Quod facile propriis continetur terminis, alienis vero difficile*, ut terra, lapis, quæ ſe non diffundunt, nam ſiccitas partes conſtringit, nec patitur eas diffluere ſicut humiditas; atque id eſt in cauſa cur non egeant termino extrinſeco quo contineantur, nec tam facile illo detinebuntur, ſi diffundantur ac res humidæ,

Dices, lapides alienis terminis contineri facile, ut ſi papyro obvolvantur. Contra, quia tunc lapis non continetur propter papyrum, ſed quia ſe cohibet ſiccitate propria: ſi vero lapis ab alieno moveretur, facile rumperet papyrum, quo ſicca diſcrepant ab humidis, quia hæc conantur diffluere, eiſque facile reſiſtit quodvis corpus: ſicca vero non conantur effluere. Dices, ignem eſſe ſiccum, & difficile ſe cohibere. Reſpondeo, ignem facile cohibitum iri, niſi impediretur voracitate caloris, obvia quæque depaſcentis, ſeque in materiam vicinā porrigentis; itaque moderatio ſiccitatis vincitur aviditate caloris in igne regnantis, depopulantiſque omnia: ſi vero ſiccitas igni dominaretur, illum cohiberet. Hæc in Philoſophi defenſionem propoſui.

DVBIVM II.

De activitate, & reſiſtentia primarum qualitatum.

Activitas, ſeu virtus operativa cuiuſvis qualitatis reſpicit contrariæ qualitatis reſiſtentiam: ideoque hæc duo apte coniunguntur.

Circa primum dicendum primo, quatuor primas qualitates actrices eſſe, & effectrices aliarum ſimilium. Eſt cōmunis ſententia, & de calore & frigore cōmuniter conceditur. Probatur de humiditate & ſiccitate, quia elementa ſymbola poſſunt invicem agere, & tranſmutari, ex Ariſtotele; ſed terra & aqua invicem non agunt frigiditate, in qua conveniunt, nec calore quem nō habent, ergo humiditate & ſiccitate. Idemque eſt de aliis elementis ſymbolis. Firmatur experientia, qua videmus res in loco humido exiſtentes humectari, & putreſcere, & in loco ſicco exſiccari, non ſecus atque calefiunt prope corpora calida, ergo, &c. Siccitas etiam coagulat, ex Ariſtotele, coagulare vero eſt agere. Sal etiam vehementer exſiccat, & humiditate liquefit. Ariſtoteles autem quando inquit, humiditatem, & ſiccitatem eſſe qualitates paſſivas, communiter exponitur ab interpretibus, eas ſic appellaſſe, non abſolute, ſed comparatione frigoris & caloris, quæ actuoſiores ſunt, ſicut in capite de qualitate qualitates parum activas vocavit impotentias.

Hoc 2. lib. textu 25. *4. Meteor. 34. 36.*

Dico ſecundo. Primæ qualitates eundē activitatis ſervant ordinem, quem perfectionis eſſentialis; atque ita primum locum obtinere calorem, ſecundum frigus, tertium humiditatem, ultimum ſiccitatem. Ratio à priori, quia activitas non differt ab earum entitate. Firmatur, quia minus poteſt manus retineri intra ignem, quam intra aquam etiam frigidiſsimam. Conſtat etiā, cæteris paribus, magis ſentiri, ac nocere frigiditatem, quam humiditatem, & hanc quam ſiccitatem.

Collige ex hoc dicto, illam dici qualitatem magis activam, quæ citius, & in longiori ſpatio operatur, ſi cætera paria ſint. Nec refert humiditatem in ſummo eſſe proprietatem aëris, qui eſt perfectior aqua, cuius proprietas eſt ſumma frigiditas. Non enim ex hoc fit humiditatē perfectiorem eſſe frigiditate, quia maior perfectio aëris non ex una ſola pro-

proprietate, ſed ex omnibus penſanda eſt; aer autem cum ſumma humiditate habet adiunctum aliquem calorem, quem non habet aqua, calor autem perfectior eſt frigiditate aquæ.

Circa hoc vide Suar. diſp. 43. Metaph. ſect. 1. n. 8. & diſp. 18. ſect. 9. n. 37.

Circa ſecundum notanda duplex reſiſtẽtia, una effectiva, alia formalis, quaſi duplex genus armorum, offenſivum ut dicitur, & defenſivum; reſiſtentia enim effectiva contrarij vires minuendo offenſiva eſt, formalis vero rẽ illæſam defendit, licet alteri detrimẽtum non inferat: ineſt vero reſiſtentia formalis omni formæ reſiſtentiam habenti, effectiva vero ſolum activis. Tota huius difficultas eſt, an reſiſtentia formaliter in actione conſiſtat, vel etiam eam ſecum importet.

Dico primo. Aliquando reſiſtentia eſt actio, & reſiſtere eſt agere, unde eademmet actio, quæ prout ab agẽte ſic appellatur, quatenus minuit vires alterius ne agat, dicitur reſiſtentia. Sic Suarez ſupra. Probatur primo, quia reſiſtentia nihil eſt aliud, quam impedire actionẽ agentis; ſeddum agens per actionem ſuam, vel reactionem minuit vim activam alterius, impedit ne fiat eius actio, vel ne adeo celeriter & intenſe fiat; ergo reſiſtentia aliquando eſt ipſa actio, vel reactio. Sic agẽs introducens calorẽ effective pellit ab eodem ſubiecto frigus, ergo efficientia ſua impedit ne cauſa frigiditatem conſervans, eam diutius conſervet. Secundo probatur exemplis. Lapis reſiſtit ferro ſcindenti, illud optundendo: cibus reſiſtit actioni caloris naturalis, illum debilitando; unus etiam homo alteri reſiſtit, agendo poſitive in ipſum, ſicque eius vires minuendo; ergo idem erit in reſiſtẽtia aliarum rerum; ergo illa ſæpe eſt actio.

Dico ſecundo. Aliquando reperitur reſiſtentia ſine actione reſiſtentis. Primo, ſi paſſum ſit intra ſphærã agentis, quod agens non ſit intra ſphæram activitatis eius quod patitur poterit ab eo ſucceſsive pati, eiuſque actioni reſiſtet, & tamen nihil aget: ut ſi frigidum in gradu remiſſo à fortiſsimo calido patiatur, in quod propter diſtantiã non poteſt agere, ergo datur reſiſtentia ſine actione. Secundo, albedo per ſuam informationem reſiſtit introductioni nigredinis, & tamen nec poteſt aliam albedinem producere, nec effective minuere nigredinem. Calor item in aqua productus per ſeipſum formaliter reſiſtit reſultantiæ frigoris, quæ in aqua eſſet, ſi calor non reſiſteret, & tamen calor aquæ inhærens nihil producit in illa. Sic grauitas lapidis reſiſtit impulſui lapidis ſurſum, quin in ea reſiſtentia ſaltem ſemper edat actionem. Neque dicas, iſtas formas reſiſtere tantum ratione actionis qua conſeruantur: nam potius reſiſtentia effectiva fundatur in formali; actio enim eatenus reſiſtit actioni alterius, quatenus producit aliquid formaliter incompoſsibile cum forma producta per aliam actionem; ergo proprius, & immediatius forma eſt quæ reſiſtit alteri formæ.

Quæres primo. Quando dicatur qualitas formaliter reſiſtere? An antequam agens agat, & hoc non, quia abſenti contrario nihil obſiſtit; neque cum agens operatur, quia tunc producitur forma contraria, & antecedens pellitur: tunc autem reſiſtere non poteſt, cum pellatur & vincatur. Re-

Reſpondeo, reſiſtere in eo inſtanti, in quo agens non agit, ageret tamen ſi forma contraria abeſſet à ſubiecto; ignis enim debite applicatus ſubiectum in inſtanti calefaceret, niſi adeſſet contrariũ eius retardans actionem. In eo ergo inſtãti, vel tempore, in quo non producit aliquid, quod produceret agens, cenſetur forma reſiſtere. Cum autem altera pars formæ pellitur, non vero alia, hæc dicitur tunc reſiſtere, quia niſi obſiſteret, pelleretur.

Quæres ſecundo, An omnes primæ qualitates æque reſiſtant formaliter. Videtur alicui humiditatem, & ſiccitatem eſſe magis reſiſtivas formaliter, quam calor, & frigus; nam aqua facilius amittit frigus, quam humiditatem, cum facilius calefiat, quam exſiccetur. Terra itẽ facilius frigus amittit, quam ſiccitatem ob ſimilem rationem; ergo humiditas & ſiccitas ſunt magis reſiſtivæ formaliter. Hoc tamen indicium ſufficiens non eſt; poteſt enim illud provenire, quia calor eſt activior, ſicque citius calefit aqua, quam ſiccetur. Vnde dicendum, omnes quatuor primas qualitates eſſe æque reſiſtivas formaliter. Probatur. Hęc reſiſtentia formalis eſt pugnantia, vel incompoſsibilitas formarum, quæ æqualis eſt inter quælibet contraria in gradu in quo repugnãt; æque enim repugnant humiditas & ſiccitas, ac calor & frigus in gradibus incompoſsibilibus, neutra enim illarum ſimul eſſe poſſunt; ergo reſiſtentia formalis æqualis eſt omnibus. Quod vero citius earum aliquæ debellentur, non provenit ex reſiſtentia formali, ſed ex maiori activitate qualitatis agentis, ut dictum de calore. Intelligendum tamen, aſſertum eſt per ſe loquendo, per accidens vero ratione variæ diſpoſitionis videri poteſt alicuius reſiſtentia formalis maior, nam quando ea qualitas eſt in ſubiecto denſiori, ratione multitudinis partium difficilius vincitur. Sic ſiccitas terræ difficilius ſuperatur ratione denſitatis.

Quæres ultimo. An reſiſtentia activa ſit maior formali. Reſpondeo affirmando, quia quævis harum qualitatum poteſt in aliam agere, eamque à ſubiecto trudere, proportione facta in gradibus incompoſsibilibus, ergo eſt maior. Probatur conſequentia, quia ſi eſſet minor, vel æqualis cæteris paribus, non eſſet cur aliam pelleret; ergo debet eſſe maior.

DVBIVM III.

An & quatenus actio procedat à proportione maioris inæqualitatis.

Diſsimilitudo illa, & inæqualitas, quæ ante actionem reperitur inter agens & paſſum, ſi ſit minoris ad maius, dicitur proportio minoris inæqualitatis; ſi ſit maioris ad minus, eſt proportio maioris inęqualitatis: ſenſus ergo tituli eſt, an omnis actio procedat à virtute activa excedente reſiſtentiam paſsi, & an quivis exceſſus ſufficiat, vel exigatur determinatus.

Sic Suarez diſp. 18. ſect. 9. nu. 12. & alij.

Dicendum primo. Omnis actio eſſe debet à proportione maioris inæqualitatis modo dicto. Ratio manifeſta ex ipſis terminis; tunc enim virtus activa eſt maior reſiſtitiva, quando illa ſuperat, & ab

ab ea retardari non poteſt à ſuo eff:ctu;ſed quoties unum contrarium agit in aliud, id reperitur; ergo virtus activa ſuperat reſiſtentiam;ergo actio ſemper eſt à proportione maioris inæqualitatis. Cõfirmatur à ſigno. Quo plus agens excedit reſiſtentiam paſsi, eo facilius, & celerius agit in ipſum; & quo minus excedit,eo difficilius agit, & tardius; ergo ſi non excedat, non aget; ergo quoties agit ſignũ eſt excedere.

Dicendum ſecundo. Non requiritur determinatus exceſſus quo activa virtus excedat reſiſtentiam paſsi, ſed ſufficit quilibet. Probatur,quia nulla eſt ratio ob quam virtus activa, quovis modo excedens reſiſtentiam paſſi, non poſsit agere in illud, pro ratione exceſſus, ita ſcilicet ut ſi ſit magnus,agat facillime,& valde intenſe; ſi vero exiguus, tarde,& parum operetur: quæ enim eſt proportio magni exceſſus ad magnum effectum, eſt parui ad paruum.

Nota,virtutem activam intrinſece terminari quoad perfectionem effectus, & quoad diſtantiam; tamen quoad ſuperandam reſiſtentiam non habere terminum intrinſecum, ſed extrinſecum. Et firmatur, quia potentia reſiſtiva impedire poteſt virtuté activam æqualem ſibi, non vero maiorem, ergo virtus activa non poterit quidem ſuperare reſiſtentiam ſibi æqualem; bene tamen quantumcunque minorem. Probatur conſequentia: quia ſicut virtus activa non poteſt producere effectum quantumcúque indeterminate intenſiorem ſe, ita nec reſiſtentia impedire activitatem indeterminate maiorem. Ita ergo ſibi correſpondent potentia activa,& reſiſtiva,ut utraque habeat terminum intrinſecum in quo ſint æquales, & una aliam non ſuperet, neque ab ea ſuperetur; neutra vero habeat terminum intrinſecum in quo ab alio ſuperetur.

DVBIVM VLT.

An & quatenus unum elementum generetur ex alio.

NON eſt ſermo de elementis prout nunc ſunt, (ſunt enim permixta contrariis impreſsionibus, nimirum vaporibus,exhalationibus,& quibuſdam aliorum elementorum partibus)ſed de ipſis ſecundum ſe,& iuxta ſuam naturam conſideratis,& ſic primo ſupponitur,communem ſententiam binas qualitates ſingulis elementis aſsignare,igni calorem & ſiccitatem,aëri humiditatem & calorem,aquæ frigiditatem & humiditatem, terræ ſiccitatem & frigiditatem. Cum Ariſtotele hoc 2.lib. cap. 2. & 4. Metheor. cap. 1. De aëre, de quo eſt peculiaris difficultas, probatur habere innatas duas illas qualitates à ſimili ex aliis elementis. Quod etiam pręter humiditatem habeat calorem innatum,probatur. Tum quia ex quatuor combinationibus ſubtilibus, quarum meminimus tractatu de cœlo,tres aliç in aliis tribus elementis reperiuntur; ergo hæc quarta,quę ſupereſt in aëre. Tum quia aer eſt rarus,& levis,ſaltem gradu excellenti; ergo eſt calidus pariter, nam raritas & levitas calorem potius quam frigus

Vide de hoc Conimb. lib. 2. c.3. q.4. 5. & 6.

Z co-

comitantur;atque ita in his mixtis,in quibus prædominatur aer, calor excedit frigiditatem,& levitas gravitaté, ut patet in oleo, quod etiam cōſtat eſſe magis calidum quam frigidum, nam & inflammatur facile, & difficile dureſcit.

Non itaque audiendi, qui dixerunt,aerem nō eſſe ſumme humidum, aut eſſe natura frigidū, non calidum;ſequitur enim igni eſſe duo elementa contraria, ſcilicet aerem,& aquam,terræ vero omnia elementa eſſe ſymbola. Aqua auté plus humectat quam aer, non quia eius humiditas intenſior, ſed quia indenſiore materia, ideoque etiam diutius in corporibus detinetur, & magis ſenſu percipitur. Quo etiam modo pluvia humiditate magis ſenſibili, id eſt denſiori aerem imbuit. Aer etiam non exſiccat per ſe nativa ſiccitate, ſed ex accidenti. Sæpe etiam vi caloris educit halitus ex corporibus humidis, quorum egreſſum ſiccitas conſequitur. Neque item audiendi,qui dixerunt,aerem ſolum eſſe humidum, calidum vero nonniſi ab extrinſeco: ſequitur enim inter aerem & aquam non poſſe dari tranſmutationem ſubſtantialem,quæ ex Ariſtotele reperitur inter contraria. Conſtat vero facilius reddi aerem ex frigido calidū, quam è calido frigidum: licet aer cum ſit valde rarus, tenuis,& humidus,facile alteretur ab agentibus extrinſecis, ſive frigidis,ſive calidis.

Supponendum ſecundo cum eadem communi ſententia, ex binis illis qualitatibus in quovis elemento unam eſſe in ſummo, vel ſummam, id eſt, in maximo gradu intenſionis, quem ex natura rei habere poteſt; alteram prope ſummum, id eſt, in excellenti gradu;ſcilicet in igne calor eſt in ſummo,in aere humiditas, in aqua frigus, & ſiccitas in terra. Reliquæ vero ſunt in gradu excellenti, ſiccitas in igne, calor in aere, humiditas in aqua, frigus in terra. Ratio quia nulla poteſt excogitari aptior diſpoſitio quam iſta, nam in elemento perfectiſsimo, igne ſcilicet, eſt qualitas perfectiſsima, nempe calor, & in terra in perfectiſsimo elemento prævalet ſiccitas, quæ eſt infima primarū qualitatum. Firmatur primo, quia aer non diſſolvitur frigore pellente caloré, at perit ſiccitate; ergo aer, non pendet tantum à calore quantum ab humiditate; ergo hanc habet ſummam,ſecus illam. Ignis item calore ſuperat alia elementa,non ſiccitate. Idem etiam humiditate, non ſolvitur, imo depaſcitur, frigore autem perit; ergo calorem habet in ſummo, ſiccitatem in excellenti. Hæ conſequentiæ patēt, nam qualitates quæ in eodem gradu eſſent elemento connaturales, æque illud conſervarent; ergo ſi ab utraque in ſua conſervatione eodem modo non pendet, eſt, quia utraque non eſt connaturalis in eodem gradu. Secundo, aer non eſt natura ita calidus ut ignis,cum tamen ſit natura calidus; ergo aer non habet natura calorem ſummum. Conſequentia liquet, antecedens patet experientia, alias enim ſolus aer inflammaret,imo hæc omnia infima conflagrarent, nec opus eſſet ſilice ad excitandum ignem. Nota, hic nullum elementum ex ſe habere gradum ullum qualitatis innatæ elemento diſſymbolo,& oppoſito;quare non admit-

ti gradus aliquos humiditatis igni convenire. Vide Mendoza diſp.6.ſect.5.§.41.hic.

Dices,ſi nō eſt utraque qualitas in ſummo, erit in quovis elemento tria aliqua remiſſa per admixtionem contrariæ qualitatis, unde habebit quodvis elementum mixtionem cōtrariarum qualitatũ: unde non ſolum eſſent duę in quovis elemento, ſed vel tres, ſi una earum eſſet remiſſa,vel quatuor, ſi duæ remiſſæ eſſent, ergo nulla admittenda eſt qualitas remiſſa. Reſpondetur, has qualitates ſenſibiles, licet dum fiunt in ſubiecto habente contrarium reſiſtens,non fiant in gradu remiſſo niſi cum mixtione contrariæ qualitatis; cum tamen fiunt per ſimplicem emanationem à forma corporis ſimplicis, quod natura ſua non petit talem qualitatem in ſummo non eſſe qualitatem illam permixtam contrariæ,nam temperamētum qualitatum non eſt diſpoſitio naturalis corporis ſimplicis, ſed mixti. Sicut ergo videmus aliquas qualitates remiſſas, non propter mixtionem contrarij,ſed defectu agentis, ut patet in lumine:ſic eſſe poteſt calor in aere remiſſus,non propter mixtionem frigoris,ſed quia forma ſubſtantialis aeris non poſtulat maiorem calorem,ideoque ipſum producit remiſſum.

Quæres, an qualitates ſymbolæ elementorum ſpecie diſcrepent, verbi gratia,calor ignis,& aeris; quod idem quæri poteſt de calore vitali viventis,& elementari corporis ſimplicis. Reſpondeo, non diſcrepare ſpecie, ſed maiori vel minori intēſione.Ratio,quia ſe mutuo augent,intenſior ſcilicet minus intenſum; ergo ſunt eiuſdem ſpeciei: idem patet ex effectu formali,& actione utriuſque: & alioquin eſſent octo primæ qualitates.

Hoc poſito, videamus quo pacto elementa mediis prædictis qualitatibus in ſe invicem agāt, & invicem convertantur. In quo verior ſententia tres partes continet. Prima,inter elementa diſſymbola non eſſe naturaliter im mediatum tranſitum. Secunda, inter elementa ſymbola,quę immediata ſunt perfectione, & loco, eſſe poſſe immediatum tranſitũ. Tertia, faciliorem eſſe tranſitum inter elementa ſymbola, quam diſſymbola.

Vt hæc concluſio explicetur, videndum,quænam ſint elementa ſymbola,quæ diſſymbola. Vocantur autem elementa ſymbola, quæ una qualitate conveniunt, & altera pugnāt: diſſymbola vero, quæ utraque pugnant qualitate. Si vero ex elementis circulum facias, ea reperies ſymbola, quæ immediata ſunt. Ignis, v.g. ſymbolus eſt aeri, & terræ, aer ſymbolus igni & aquę,aqua aeri & terræ,terra aquæ,& igni. Diſſymbola vero ſunt mediata, ut ignis aquæ, aer terræ.

Prima ergo pars probatur. Quia non poteſt elementum diſſymbolum tranſire à propria diſpoſitione ad diſpoſitionem diſſymboli, quin veniat prius ad temperamentum qualitatis, quæ eſt diſpoſitio mixti,ſaltem imperfecti;ergo non fit immediata tranſmutatio inter diſſymbola ſine intermedia generatione mixti. Antecedēs conſtat in aqua & igne: aqua enim non tranſit ad calorem,& ſiccitatem,quæ eſt diſpoſitio ignis,quin prius eius frigiditas, & humiditas temperentur tanto calore, & ſiccitate, cum

quibus aquæ forma nequeat conſervari; ergo tunc iam fit diſpoſitio admixtum. Ignis etiam priuſquam perveniat ad diſpoſitionē aquæ, amittit intenſum calorem & ſiccitatem, ſine quibus non poteſt conſervari; ergo priuſquam perveniat ad frigiditatem & humiditatem aquæ, cum illa materia non poſsit conſervari ſine forma, producetur mixtum aliquod, vel elemētum ſymbolum, unde nō erit immediatus trāſitus inter elementa illa diſſymbola. Idem probatur experientia: licet enim aqua diu applicetur igni, nūquam viſa eſt inflammari, ſed ſummum conſumi paulatim, & in vapores, vel aerē reſolui, quod eſt ſignum non poſſe aquam immediate tranſire in ignem. Quare aquæ guttulæ per ignem ſparſæ prius convertuntur in vaporem rariorem, & magis accedentem ad diſpoſitionem ignis, vel prius in aerem, & poſt in ignem; atque ita ex igne vapores elevantur aqua ſparſa. Flāma item aquę immerſa non in aquam immediate, ſed in aerem, vel quid ſimile convertitur. Adde, hæc elemēta, ut dixi, non eſſe omnino pura. Quare etiam terra illa, quæ ſolet igniri, non eſt purum elementum, ut ſtatim dicetur. Neque hæc pars eſt contra Ariſtotelem: licet enim dixerit, quodvis elementum ex quovis generari, nunquam tamen uſus eſt particula immediate, vel ſimili. Imo cōtrarium eſſet contra Ariſtotelem, ſi enim inter omnia elementa, quovis modo eſſe poteſt tranſitus, eo quod contraria ſunt; ergo facilior erit trāſitus inter diſſymbola, quæ magis contraria ſunt, cuius oppoſitum ait Ariſtoteles.

Secunda pars cōcluſionis probatur, quia quando unum horum elementorum, ſymbolum nimirum, in aliud agit, prius pervenit paſſum ad diſpoſitionem elementi agentis, quam ad diſpoſitionem mixti; ergo propter contrariam rationem primæ partis immediate tranſit in ipſum elementum. Antecedens probatur, quia inter ſymbola non eſt actio ſecundum utramque contrarietatem qualitatum, ſed ſecundum unam; ergo ex vi actionis unius in aliud nunquam erit in paſſo mixtio omnium qualitatum, quæ eſt diſpoſitio mixti, ſed qualitatum unius contrarietatis, quæ ſufficit ad elementum: verbi gratia, quando ignis agit in aërem, non producit in eo aliquam frigiditatem, qua caret, ſed ſolum auget eius calorem, pellitque humiditatem introducta ſiccitate, ubi nulla eſt temperies quatuor qualitatum, nec diſpoſitio mixti; ergo immediatus tranſitus elementi in elementum. Et quidem ſi elementum, quod patitur purum eſt ſecundum eam qualitatem in qua eſt ſymbolum, eſt evidens ratio facta.

Intelligenda eſt hæc pars concluſionis, de elementis ſymbolis immediatis in loco, & perfectione. Quare terra non tranſit immediate in ignem, ſed in exhalationem, vel mixtum aliud tenue, ac rarum. Ratio eſt, nam terra requirit ad ſui conſervationem fere omnia accidentia igni contraria, ſcilicet denſitatem, gravitatem, & frigiditatem; nec poteſt conſervari ſub raritate, & levitatę aeris, ergo antequam perveniat ad ignis calorem, levitatē, & raritatē, tranſibit per levitatem, & raritatem, ſub quibus forma terræ conſervari non poteſt,

quæ

quæ iam erit diſpoſitio alicuius mixti, vel elementi intermedij.

Ex quibus colligitur tertię partis probatio, cur ſcilicet ſit facilior tráſitus inter elementa ſymbola, quam diſſymbola; quod docuit Ariſtoteles, quia nimirum, ut dixi, inter ſymbola eſt tranſitus immediatus, non inter diſſymbola. Sed ais, inter ignem, & terram, quæ ſunt ſymbola, non eſſe immediatum tranſitum, ut modo dixi; ergo hæc ratio non ſufficit. Negatur conſequentia: nã adhuc eſt facilior tranſitus; hic enim convertens terram in exhalationem, & aquam in vaporem; facilius poſtea in ſe convertit exhalationem, quæ calida eſt, & ſicca quam vaporem, utpote frigidum & humidum.

Quæres, an elementa invicem tranſmutari poſsint, dum in ſuis locis naturalibus exiſtunt. Probabilior videtur pars affirmans: licet enim in loco naturali cum minori detrimento conſervétur, retinent tamen eaſdem virtutes contrarias; ergo non eſt cur eis omnino negetur mutua actio & paſsio. Firmatur, nam mixta etiã in loco naturali elementi prædominantis corrumpuntur ab elemento immediato, & contiguo; ergo & elementum ab elemento corrumpetur. Sic Piſces generantur in loco naturali per corruptionem ipſius aquæ, & ex terra fiunt metalla. Dicuntur ergo elementa in locis naturalibus conſervari, quia magis à contrariis diſtant, unde minus ſubiacent corruptioni.

DISPVTATIO SEPTIMA ET VLTIMA
De generatione mixtorum, & mixtione elementorum.

CLAVDET Mixtorum ex elementis generatio, hanc ſecundam de ortu, interituque controverſiam. Res ſane ſcitu digna, non indignaque viro Philoſopho & Theologo; affert namque ſecum multa, quæ lucem in aliquibus afferent difficilioribus.

DVBIVM I.
Quid, & quotuplex ſit mixtio.

CVM ad mixtionem proprie dictam, qualis eſt elementorum in mixtis, de qua potiſsime in præſenti, tria concurrant, localis coniunctio, alteratio, & converſio; ex eorum ſeparatione triplex contingit mixtio: Propria, minus propria, & impropria.

Impropria eſt motus, aut præſentia ſecundam locum, ſive localis coniunctio, nulla facta proprie diviſione eorum quæ ſic miſcentur. Sic miſcentur grana frumenti diverſi generis; ſic in exercitu miſceri dicuntur Itali Hiſpanis proprie non diviſi, licet inter ſe ſeparati, Hiſpanus ſcili-

cet inter duos Italos, aut è converſo, Italus inter duos Hiſpanos; ſic etiam miſcentur diverſi inter ſe pulveres.

Secunda mixtio proprior iam eſt per alterationem, quæ ſcilicet ſupra localem coniunctionem, & partium diviſionem addit attemperationem mutuam qualitatum earum rerum quæ miſcẽtur cum diviſione, ut dixi ſecundum minimas partes, quæ tamen mixtio non pervenit ad ſubſtantialem converſionem, & corruptionem. Sic miſcentur liquores inter ſe, ut vinum rubrum albo, aqua vino, &c. Darique eiuſmodi mixtionem, conſtat ex Ariſtotele in præſenti, & ex ſupra dicendis.

Tertia mixtio eſt per converſionem, & hæc eſt propria, & huius loci, quæ ſcilicet ſupra duo aſsignata, diviſionem ſcilicet, & alterationem, addit ſubſtantialem converſionem, corruptionem mixtibilium, & productioně diſtinctæ ſubſtantiæ ab ipſis: Sicque miſcentur elementa in mixto, & ex tali mixtione elementorum reſultat mixtum; pro qua noto, ad hanc mixtionem ſubſtantialem non requiri coniunctionem localem ipſorum elemẽtorum, quæ non eſt naturaliter poſsibilis, vel ſaltem valde difficulter; ſed ſufficere localem cõiunctionem virtutum ipſorum. Ratio eſt, quia elementa ex eo tantum requiruntur ad mixtionem, ut alterent ſubiectum ſecundum qualitates, ita ut ex eis reſultet temperamentum, quod ſit diſpoſitio ad generationem mixti; ergo ſufficit ut adſint qualitates elementorum, quæ tale ſubiectũ alterẽt, licet immediate nõ concurrant loco omnia elementa per ſe ipſa: verbi gratia, quando permiſcentur aqua & terra, adſunt ibi frigus, humiditas, & ſiccitas; quod ſi accedat calor à Sole, erunt omnes quatuor qualitates; ergo ad mixtionem ſatis eſt concurrãt elemẽta per ſuas qualitates, atque ita fieri poteſt mixtio ex duobus elementis per ſe tantũ concurrentibus, vel ex uno elemento, & uno mixto; vel ex pluribus mixtis abſque ullo elemento. Quædam enim animalia ex terra, & aqua naſcuntur; ex ſolo autem uno elemento non accedente alio, ſive elemento, ſive mixto, non reſultabit mixtum.

Mixtionem propriam definivit Ariſtoteles: *Mixtilium alteratorum unio.* Ad cuius explicationẽ noto, ſicut generationis nomẽ aliquãdo ſumitur pro ſola generatione ſubſtantię, alias pro eadem ſimul cum alteratione prævia; ſic mixtionem nunc accipi pro ſola productione ſubſtantiali formæ mixti, alias vero pro eadem, una cum prærequiſita diviſione & alteratione mixtilium: & hoc ſecundo modo accipitur ab Ariſtotele hac definitione. Vbi adverte accuratam diffiniendi rationem Philoſophi. Tribus enim ſolis verbis complexus eſt tria illa, quæ concurrũt ad mixtionem propriam. Vox *mixtilium*, ſignificat corpora, vel qualitates, prout localiter coniunguntur, dividũtur, & permiſcentur. Vox *alteratorum*, ſignificat mutuam mixtilium alterationem, & temperationem quatuor qualitatum. Vox *unio*, innuit ſubſtantialem productionẽ, & immutationem, & unionẽ ſcilicet materiarum rerum mixtilium, quę requiritur ad recipiendam formam mixti, & generationem, ac receptionem formæ ſubſtãtialis. Verum eſt unionem hic *Lib. 1. c. 8.*

hic immediate ſignificare localem coniunctionem exteriorem, & notam ſenſibus. Per illã tamen ultimo ſignificatur & explicatur unio, & productio ſubſtantialis dicta, quare aliud eſt quod immediate ſignificatur, & aliud quod explicari intenditur; atque ita definitio explicat minus notum per notius, longeque abeſt à circulo. Porro vero eadem definitio ſub eiſdem verbis, licet non in eiuſdẽ ſignificationis rigore acceptis, quadrat etiam mixtioni ſecundo loco aſsignatæ, mixtioni vero improprie non convenit, niſi valde improprie. Vnde patet accuratam eſſe diffinitionem Ariſtotelis; nec mirum eſt non eſſe planam, & obviam, quæ omnia mixtionũ genera, earumque conditiones tribus verbis comprehendit. Nota tamen aliqua eſſe mixta, quæ gignũtur abſque per mixtione, alteratione, & unione quatuor elementorum, ſed per ſimplicem generationẽ, ut viventia complura, & alia quæ producuntur à generantibus univocis; immo ſunt aliqua, quæ generari nõ poſſunt ex immediata ea mixtione ſubſtantiali, ut homo, leo; hæc ergo dicũtur ſubſtantiæ mixtæ, quatenus poſtulant temperiẽ quatuor primarum qualitatum, ſicque producuntur per unionem elementarium virtutum: quare eorum etiam productioni convenit, ut ſit *mixtilium alteratorũ unio*: Poſſet vero brevius definiri: *Productio ſubſtantiæ virtute continentis corpora ſimplicia, ex locali permixtione plurium ſe invicem alterantium reſultantis.*

Ex dictis collige, quatenus mixtio propria à generatione differat; quatenus enim mixtio dicit ſubſtantialem mutationem & productionem eiuſdem eſt ſpeciei cum ſimplici generatione ſimilis formæ; eadem enim ſecundum ſpeciem forma viventis eſt, ſive ex putri materia mixtione diverſarum rerum reſultans, ſive ex ſemine progenita à vivente univoco. Si vero mixtio latius ſumatur pro prævia alteratione, diviſione, & locali permixtione, differt eſſentialiter à generatione, ſaltem inadæquate.

DVBIVM II.

Quatenus mixtilia remaneant in mixto.

Explicari res poteſt iuxta varias mixtionis acceptiones ſupra poſitas: & incipiendo à mixtione propria, gravis eſt controverſia inter Philoſophos, & Medicos, quo pacto elementa maneant in mixto. Formaliter ne ſicut calor, in igne? an virtute, ut unus ignis in alio igne? an eminenter ut calor in ſole, creatura in Deo? Medici volunt in nobis eſſe elementa formaliter.

Vera concluſio eſt, formas elementorum, & univerſim mixtilia mixtionis propriæ non manere formaliter in mixto, ſed per ſubſtantialem mixtionẽ corrumpi, & produci aliam formã ſubſtantialem realiter & ſpecie diverſam ab ipſis.

Ita D. Tho. 1. par. q. 76. art. 4. Suar. diſputat. 15. Meta. ſect. 10. nu. 41. 52. Conimb. lib. ſup. cap. 10. Hurtad. hic diſp. 6. ſectã. 2. & fere omnes Philoſophi cõtra plures Medicos.

Prima ratio, quia alias reperirentur naturaliter plures ſubſtantiales formæ in eadem materia, contra ea quæ dicuntur ad primum Phyſicum. Etenim forma viventium ſpecie differt à formis elementorum; ſecus enim omnia mixta eſſent eiuſdem ſpeciei, ſi ha-

haberent eaſdem ſpecie formas. Vnde neque mixta eſſent unum per ſe. Secundo, vel omnes formæ elementorum eſſent in eadem parte materiæ, vel in diverſis, neutrum, ergo. Non primum, tum ob rationem primam; eſſent enim plures formæ ſubſtantiales in eadem materia, & quidem formæ adeo repugnãtes, quales ſunt elementares & exigentes qualitates contrarias inter ſe, & cum diſpoſitionibus mixti incompoſſibiles; tum quia in mixtione nõ fiunt de novo elementorum formæ; ergo tantum erunt in eadem parte materiæ, in qua erant antea, & à qua pendent in fieri, & conſervari. Non ſecundum, tum quia ſic non quævis pars mixti eſſet mixta, cum in quavis non eſſent omnium mixtilium formæ. Tum etiam, quia ſic nullum eſſet mixtum homogeneum, ſed omne eſſet heterogeneum, id eſt, conſtans partibus habentibus diverſas formas ſubſtantiales, ac per conſequens diverſum diſpoſitionum temperamentum, cum conſtet dari mixta heterogenea, aurum verbi gratia, habentia idẽ temperamentum primarum qualitatũ in omnibus partibus. Tũc quæro, quæ ſit maior ratio cur in una dicatur eſſe forma ignis, in alia forma aquæ, &c. Tertio, ſæpe, ut dixi, mixta generantur à ſuis agentibus univocis ſine immediata mixtione; ergo in his mixtis non ſunt elementa formaliter. Demum Medici potiſſime moventur propter primas qualitates in homine, v.g. repertas; ſed hæ provenire recte poſſunt à ſola anima; ergo non eſt opus adſint elemẽta. Minor probatur; tum quia accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt à diverſis formis oriri, ut calor vitalis à forma hominis, & leonis; tum quia idem ſpecie effectus prodit à diverſis longe agentibus, ut ignis, lux, & calor, à ſole, Deo, & igne. Reperiuntur ergo in mixto formaliter qualitates eiuſdem ſpeciei cum elementaribus, non tamen in eodem gradu, quem elementares formæ exigunt, ſed ad temperiem redactæ. Quare non reperiuntur abſolute in mixtis proprietates elemẽtorum, ut inde colligere liceat manere formaliter talium proprietatum formas. Imo retorquetur ratio. In humano ſanguine non eſt tanta vis caloris, quantam requirit forma ignis; ergo ſanguis non habet formaliter ignẽ. Quis neget?

Relinquitur ergo elementa reperiri in mixto virtute & poteſtate. Hic eſt ſenſus communis illius vocis, elemẽta ſunt in mixto, & mixtum reſolvitur in elementa; hoc eſt, elementa in mixto virtualiter continentur, quia manent in illo omnes qualitates primæ, quæ ſunt elementorũ virtutes, remiſſe tamen & temperatæ: vnde etiam in materia mixti donec tali forma afficitur, eſt aliquod principium & diſpoſitio ad generationem elementorum. Dicitur etiam forma mixti eminenter continere elementorum formas, quia perfectior eſt, & poſtulat eorum virtutes attemperatas, tanquam diſpoſitionem ſibi connatu alẽ. Sic Ariſtoteles hic lib. 1. cap. 10. textu 84. ubi ait, elemẽta non manere actu in mixto, nõ tamen omnino perire, quia eorũ virtutes ſalvæ manent. Et ſecundo de partibus animalium, cap. 1. docet, mixta ex elementis conſtare, quia ex eorum virtutibus conſtant.

Vnde

Vnde colligitur, generatim verum eſſe de omni mixto virtute continere quatuor elementa modo dicto: quod male aliqui reſtringunt ſolum ad mixta perfecta. Ratio, quia ſicut elementum ex ſe requirit quamvis qualitatem impermixtam, ita mixtum quamlibet exigit permixtam, & à ſua contraria temperatam. Etenim mixtum habere non poteſt duas tantum qualitates, hæc enim eſt diſpoſitio corporis ſimplicis; neque tres, quia haberet unam earum ſine admixtione contrariæ. A quo non eſt cur excludantur mixta imperfecta. Quare negandum, vaporem, & exhalationem non habere quatuor qualitates, vapor enim frigiditatem & humiditatem habet ab aqua unde extrahitur; calorem à ſole, & ab eo, vel alio extrinſeco agente ſiccitatem. Idem eſt de exhalatione ſuo modo. Dicuntur vero mixta imperfecta, quia natura conſtant facile tranſmutabili in elementa; habent enim duas qualitates prædominantes, & duas alias valde remiſſas: Quare facile eſt converti in elementa, quorum qualitates prædominantes habent.

Obiicies primo. In mixtione & pugna elementorum aut vincit frigidum, aut vincitur, aut neutrum, ſed omnia ſunt æqualis virtutis: ſi vincit frigidum, illud manet, & non calidum; ſi vincitur, manet calidum, & non frigidum; ſi tertium, manet tam calidum, quam frigidum; ergo nullum corrumpitur; ergo manent elementa formaliter.

Secundo, ſi elementa ideo ſolum continentur in mixtis, quia hæc habent illorum qualitates, ſequitur primo illorum formas tam eſſe ſimplices, quam eſt forma corporis ſimplicis: quare nullum eſſet mixtum quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad qualitatem. Secundo, etiam unum elementum contineri in alio, cuius qualitas in illo continetur, ut ignis in terra propter ſiccitatem. Tertio, Mixtio definitur ab Ariſtotele: *Mixtilium alteratorum unio*; ergo mixtilia ſolum alterantur & uniuntur, manent vero ſubſtantialiter. Quarto, Ariſtoteles cap. 10. citato ait, ea quæ miſcentur, non interire, ideoque guttam vini non miſceri magnæ copiæ aquæ, quia forma vini periit.

Ad primum reſpondetur, omnia vincere, & omnia tandem vinci, nam in ſe mutuo agunt, & reagunt, quolibet vincente reſiſtentiã oppoſitę qualitatis, prout ſupra dictum eſt, ex qua actione & repaſsione reſultat qualitatum temperies, cum qua non poteſt mixtilium forma conſtare: quare corrumpuntur omnia, & generatur tertium illa continens virtute. Generatur autem non vi ipſorum elementorũ, ſed vel influxu cœleſti, vel cauſæ univerſalis, vel particularis nobilioris, ut dictum alias. Ad ſecundum. Ad primam ſequelam concedo mixta dici, non quia habeant multas formas ſubſtantiales ſimplices, ſed quia habeat unam poſtulantem quatuor qualitatum mixtionem, & formas elementorũ virtute continentem. Ad alteram ſequelam, nullum elementum habet combinationem qualitatum alterius, neque eas poſtulat, neque ex plurium mixtione reſultat. Ad tertium patet ex dictis. Ad quartum patebit ex dicendis. Noto, Medicos in illam falſam opinionem induxiſſe, non

diſcernere mixtionem ſecũdam, quę eſt per alterationem tantum à tertia & propria, quæ includit phyſicam mutationem, qualis eſt elementorum mixtio, & mixtorum generatio.

Ex hac ergo prima parte, facile deduci poteſt, an eodem modo maneant mixtilia aliarum mixtionum, quo manere dixi in mixtione proprie dicta, mixtilia, quæ ſunt elementa. Ex hoc enim loco pendet reſolutio ad punctum illum Theologicum, quo dubitatur quæſt. 77. tertię partis, quatenus ſpecies calicis cõſecrarę corrumpantur, & in eis Chriſtus eſſe deſinat ex mixtione alterius licoris cum ipſis.

Et quidem quando mixtio eſt tantum primi generis per ſolam localem coniunctionem mixtilium, hæc formaliter manent, ut patet, eſto nobis non ſit facile ſingula aliquando diſcernere. Si vero mixtio ſecundo modo fiat, cum alteratione ſcilicet, & diviſione, ſecundum minutas etiam partes, maior alicui uideatur eſſe ratio dubitandi, tamen reverа nulla eſſe poteſt: talis enim mixtio ſæpe fit ſine Phyſica immutatione, & converſione ſubſtantiali unius in aliud: ut ſi vinum rubrum æqualis virtutis & quantitatis infundatur albo, ſive inter ſe ſpecie differãt, ſive non, ut duo alba diverſa tantum in colore & ſapore miſceantur, tunc unum non convertitur ſubſtantialiter in alterum, neque ambo in aliud tertium per corruptionem utriuſque, ſed per ſolam cõtinuationem, eſto intercedat diviſio in minimas partes, & partes ſic diſtractæ mutua loca ſubeant, interſit etiam alteratio, & externa permixtio colorum, ita ut à nobis ſignari non poſsint mixtilia ſingula.

DVBIVM III.

De mixtione aquæ & vini brevis digreſsio.

De infuſione aquæ in vinum eſſe poteſt dubitatio, an ſcilicet aqua Phyſice tranſmutetur, vel tantum ſit mixtio minus propria, ita ut maneat formaliter aqua intra vinum. Communiter negant abſolute recentiores, oppoſitum univerſim negant Medici, & Chimici, ſcilicet etiam guttam aquæ immiſſam in magnam vini quantitatem, non miſceri proprie, nec in vinum converti. Conſentit Plinius. Imo & Ariſtoteles hic lib. 1. cap 5. textu 34. ubi quærit, cur in nutritione id ſolum quod nutritur, dicatur augeri; in mixtione vero utrumque mixtum dicatur augeri; in mixtione vero utrumque mixtum dicatur augeri? Et dicit cauſam eſſe, quia in nutritione perit ſubſtantia alimenti, in mixtione vero, verbi gratia aquæ, & vini, utriuſque ſubſtantia manet, licet pars quæ prævalet det nomen toti mixto, & ea ſolum dicatur augeri. Additque exemplũ, ut cum aqua miſcetur vino, totum dicitur vinum, & hoc ſolum dicitur communiter augeri. Cuius rationem reddit, non quia aqua in vinum vertitur; ſed quia ipſum totum exercet operationẽ vini prævalentis. Sic cum aliis antiquioribus interpretibus Ariſtotelem intellexit *Philoponus in commentario ad textum 84. lib. 1. de Ortu & interitu, citatus à Dandino lib. 2.*

lib.2. de Anima, digreſſione 8. part.3. ubi ex mente Ariſtotelis explicans mixtionem ait: *Non mixta eſſent, ſi mero actu eſſent, ac nihil prorſus mutarentur, ſed aut dicis* (ſcilicet mixtio) *ſeparari poſſe quæ mixta ſunt, quia plane ſpeciem ſuam non amiſerunt; ſed inquinarunt: & ideo inſtrumentis quibuſdam ad immutandum, aut ſecernendum comparatis, ad priſtinam ſpeciem reducuntur; quomodo aqua percolata ſeparatur à vino.* Hæc illæ. Idem affirmat *Philo Iudæus libro de confuſione linguarum, ſub finem.* Hanc ſentẽtiam noviſsime propugnat & auget *Aegidius Coninck.* Ratio eſt triplex. Prima experientia.

Tom.1.in 3. p.q.74. art. 8.dub.unico.

Poteſt enim aqua poſt mixtionem ſtillatitiis inſtrumentis ſeparari, ergo erat formaliter. Nec dicas non educi aquam, ſed tantum aquaticum humorem, quia gratis hoc dicitur: nam ſimilis humor educi non poteſt è vino, ut Plinius, & alij fatentur, qui eo modo volunt poſſe diſcerni, an vinum ſit purum, quod non poſſet ſi humor de puro vino educeretur. Secunda. Videmus vinũ proportionaliter ſuam perdere virtutem à quantitate aquæ, quæ ei imponitur, & licet guttatim per tãta intervalla imponas quãta requirunt alij ut in vinum cõvertatur, fit ut ſtatim atque paulo plus aquæ immiſceris quam erat vini, incipiat plus habere naturam aquæ, quam vini: & ſi pergas imponere, tandem non percipias vinum, & videbitur converſum in aquam. Nec dicas vinum agendo repati, ſicque perdere virtutem agendi, ſi enim habet vim convertendi aquam in ſe, quantumvis aquę ſaltem guttatim infundas, convertet illam, & manebit in ſe robuſtius, novis viribus: ſicut homo poſt converſionem alimenti, & ignis poſt converſionem ligni. Tertia. Oleum liquatæ ceræ infuſum non fit cera, neque plumbum auro mixtum, aurumque; at nõ diſtant minus aqua & vinum. Item diverſa lumina à diverſis luminoſis emiſſa, & per idem foramen transfuſa impermixta penetrant, nam in termino videtur tria lumina reſilire. Si tribus item luminibus corpus unicum opponatur, tres in oppoſito umbræ reſultant, ut experientiæ comprobant; ergo, &c.

Hæc tantum revera probant, quando aquæ portio immiſſa vino eiuſmodi eſt, ut à vini acrimonia non ſuperetur, ut ſæpe fit, aquam non perfecte miſceri, ſed inquinari alteratione tantum facta circa accidentia. Veruntamen ſi aquæ portio minima ſit, quæ in vinum efficaciſsimum iniicitur, revera non probant non fore convertendam. Ratio videtur manifeſta. Aqua enim natura ſua tranſmutabilis eſt, & præcipue ab igne, & à rebus in quibus prędominatur; ergo ſi vinum ſuperat reſiſtentiam aquæ, quod neceſſe eſt contingat quãdo eſt magna copia, & exceſſus, acris & fla grantis vini, hoc aget in aquam, illamque in ſe convertet. Atque hæc eſt ſententia communior inter Theologos. Vide Conimbr. ſupra art.2. reſponſ. ad ultimum. Neque huic obſtat ratio illa, ſecũdo loco facta. Licet enim aqua paulatim infuſa, reipſa convertatur in vinum; tamen per contraria ſuas diſpoſitiones, & qualitates, relinquit paulatim debilitatam cõnaturalem temperiem vini, donec hæc tandem crebra infuſione diſſolvitur, & quãdo iterum excedetur notabiliter ab aqua, convertentur in illam: quam

converſionem faciliorem fatentur authores illi, iuxta Ariſtotelem, dicentem, guttam vini mixtã decies millenis mẽſuris aquæ in hanc converti, ſicut licet calor naturalis reipſa convertat ſubſtantiam alimenti, tamen ita tandem defatigatur continua actione in illud, & repaſsione ab illo, ut deficiat, & tranſmutetur. Quare exiſtimo idem eſſe de infuſione aquæ in vinũ, ac de cæteris liquoribus, licet tenaces ſint, & viſcoſi, ut oleum, mel, pinguedo; ſcilicet pro æqualitate, aut exceſſu in quantitate & virtute invicem tranſmutari, vel non tranſmutari.

DVBIVM IIII.

De temperamento mixtorum.

PRimo videndum quid ſit. Scotus negat manere formaliter in mixto virtutes elementorum, ſed deſtrui cum illorũ formis mutua actione, & repaſsione, producique cum forma mixti novam qualitatẽ, eas virtute cõtinentem, & hanc eſſe temperamentum.

Communis tamẽ Philoſophorum ſententia eſt, elementorum qualitates manere formaliter in mixto, attemperatas quidem, & remiſſas ex actione mixtiliũ iuxta exigentiam formæ mixti. Ita D. Thom. ex Ariſt. hic lib. 1. texto 84. Ratio præterdicta in ſuperioribus eſt, quia qualitates elementorum manere poſſunt ſine eorum formis temperatæ, & remiſſæ, ſed hac ipſa ſola qualitatum temperie, diſponuntur materiæ elementorum ad formam mixti, ergo ipſæ qualitates temperatæ, remanent cũ forma mixti. Maior eſt nota in aqua calida, in qua ſentitur calor ſine forma ignis, ſuntque qualitates contrariæ temperatæ, calor, & frigus; ergo etiam cum forma mixti qualitates elementorum remiſſæ con iungentur. Minor patet, quia nulla alia qualitas aſsignabilis eſt in materia elementi, ante introductionẽ formæ mixti, niſi ipſæmet qualitates elementi, vel ſaltem nulla alia potior ipſis; ergo illis diſponitur materia ad formam mixti. Prima vero conſequentia probatur, quia qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones ultimæ ad formam, manere debent in inſtãti generationis cum ipſa.

Hinc liquet, fruſtra fingi aliud temperamentum mixtorum præter ipſas quatuor primas qualitates ad certam temperiem redactas. Patet tum ex nomine ipſo temperamenti, quod nihil aliud quam temperiem qualitatũ ſignificat, ſive ipſaſmet qualitates remiſſas & temperatas; tum etiam quia temperamentum eſt diſpoſitio inducens formam mixti, illamque conſervans; ſed ipſa temperies primarum qualitatum eſt talis diſpoſitio ſufficiens; ergo illa ſola eſt temperamẽtum. Probatur minor, quia, ut dictum, ante mixti generationem nulla alia qualitas iſtis excluſis fingi poteſt in materia elementi, ergo illæ ſolæ habent rationem temperamenti requiſiti ad introductionem, & conſervationem formæ mixti; ergo temperamentum non eſt una qualitas, ſed quatuor primæ in certo gradu congruenti cum forma mixti. Sic pulchritudo, & ſanitas, ſic tepiditas, licet *Ita Suarez diſp. 15. ſect. 10. nu. 49.*

uno

uno nomine ſignificetur, non eſt una qualitas, ſed frigoris, & caloris temperies.

Ex hoc temperamento primarum qualitatum oriuntur qualitates, quæ dicuntur ſecundæ, iuxta doctrinam Ariſtotelis dubio primo præcedentis diſputationis poſitam. Signũ eſt, quia ex actione, & mixtione varia primarum qualitatum, variantur ſecundæ; laxantur ſcilicet corpora; aut ſtringuntur, addenſantur, aut rareſcunt, dura fiunt, aut mollia, aſpera, aut levia; oriuntur item ſapores, colores, odores diverſi.

Vnde collige, qualitates alias diſtinctas à primis, in elementis formaliter repertas, ut raritatem, vel denſitatem, levitatem, vel gravitatem, & ſi quæ ſunt aliæ, remanere etiam in mixtis, temperatas tamen & permixtas ex mixtione primarum. Quare gravitas, vel raritas mixti, non differet in eſſentia ab elementari, ſed in modo, quia ſcilicet in elemẽtis erãt ſimplices, & non cum ea temperie, quam in mixtis habent ex eorum formis conſecutam; ſimiliter atque dictum eſt de qualitatibus primis, diverſum erit de aliis, quę in elementis non erant formaliter, ut colores, hæ enim de novo reſultant ex temperamento mixtorum.

Nota vero qualitates, quæ dicuntur ex tali temperamento reſultare, illudque comitantur, non oriri effective à primis qualitatibus, ſed diſpoſitive; effective autem à forma ſubſtantiali mixti: idem eſt de raritate, & denſitate connaturali, quæ, ut diſp. 4. diximus, comitatur naturale temperamentum: unde niſi res habeat maiorem raritatem quam poſtulet naturaliter, quantumvis calefiat eius materia, non dicetur rarefieri, ut ibi dictum. Raritas vero & dẽſitas pręternaturalis oriri videntur effective à calore, vel frigore, vel alia qualitate extrinſecus invecta, ut ibi etiam dictũ, nam habent ſufficientem virtutem ad illas, & cum ſint præternaturales, non oriuntur à ſubſtantiali forma ſubiecti.

Hoc temperamentum duplex diſtinguitur à Galeno lib. de temperie, cap. 1. & communi ſententia in temperamẽtum uniformę, & ad pondus, & in temperamentum difforme, & ad iuſtitiam. Illud eſt quod conſtat ex quatuor qualitatibus ad ſummam æqualitatem redactis, ita ut nulla excedat. Hoc vero ex inæquali qualitatum portione conſtat, ideo dicitur difforme; quia tamen illa inęqualitas eſt iuxta exigentiam naturæ mixti, dicitur ad iuſtitiã, id eſt unicuique propriũ, & quaſi ex iuſtitia debitum. Primum eſt inſtar ſpeciei infimæ, ſumma enim illa æqualitas cõſiſtit in indiuiſibili. Secundum ſubdividitur in varia temperamenta, iuxta contrarietatem in qua eſt exceſſus, & iuxta exceſſum qualitatis in tali contrarietate, & iuxta graduum exceſſus talis qualitatis.

Placet etiam quod ait ipſe Galenus, & D. Thom. 1. parte, quæſt. 76. artic. 5. temperamentum hominis eſſe omnium præſtantiſsimum. Ratio, nam affectiones materiæ, ſunt propter formam, ergo præſtantiſsima forma, qualis eſt rationalis, nobiliſsimas requirit diſpoſitiones. Porro, in homine diverſimode prædominantur elementa, ignis enim & aër prædominantur quoad nobiliſsimas ipſorum qualitates, ſcilicet calorem, & humiditatem, in quibus

potiſsime vita conſiſtit, terra vero & aqua prędominantur quoad membrorum coagmentationem. Eſt tamen difficultas in præſenti, an naturaliter dari poſsit temperamentum ad pondus, quod alicui mixto ſit connaturale. Varias ſententias vide apud Toletum hic, lib. 2. quæſt. 11.

Sit vera concluſio. Cum temperamentum ad pondus, ſeu mixtum ad pondus, temperatum naturaliter non repugnet, licet nullum mixtum naturaliter eſſe poſſit ad pondus temperatum ſecundum ſe totum, poteſt tamen ſecundum aliquam ſui partem. Prima pars probatur: non enim ſunt naturaliter incompoſsibiles quatuor primæ qualitates ex ęquo temperatæ: ergo poſſunt eo modo naturaliter temperari; ergo exigi ut ſic ab aliqua forma mixti tanquam cõnaturales. Nulla enim ratio aſsignatur cur talis temperies non poſsit eſſe alicui formę connaturalis. Secunda pars probatur: quia vivens omne conſtat ex partibus heterogeneis diverſa temperamenta poſtulantibus, & organa diverſa; ergo in eis non habet locũ ęqualitas, quam exigit temperamentum ad pondus. Tertia pars probatur: nam communiter docent Philoſophi & Medici, cutem hominis, in qua maxime viget ſenſus tactus, de facto eſſe ad pondus temperatam, quam perfectam tẽperiem requirit, ut poſsit quemlibet qualitatum exceſſum ſentire. Idemque forte eſt de aliqua alia parte.

Mixtum inanimatum videtur eſſe poſſe temperatum ad pondus ſecundum omnem ſui partem; eſt enim homogeneum, habens in omnibus ſuis partibus eandem temperiem; ergo ſi aliqua habet illam ad pondus, videtur eam habere in omnibus partibus.

Dices, ſi mixtum habere poteſt primas qualitates ad pondus temperatas, poterit etiam habere ſecundas, gravitatem ſcilicet, & levitatem, &c. Hinc autem fiet, non poſſe motu aliquo naturali moueri gravitate in locum inferum, & levitate pari in locum ſuperum inclinante. Reſpondetur negando ſequelam, quare illud mixtum haberet plus gravitatis, aut levitatis. Multa enim ſunt mixta, in quibus valde prædominantur calor, & ſiccitas, quæ tamen ſunt magis gravia quam levia, ut multa viventia; ergo licet calor & ſiccitas æquales eſſent frigiditati, & humiditati, non eſſent æquales gravitas & levitas; non enim ſemper levitas calorem ſequitur, ſed quando eſt in ſubiecto raro, ut igne, vel aëre. Licet tamen de facto non detur mixtum tale temperatum ad pondus quoad gravitatem, & levitatem, nulla tamen apparet repugnantia, quominus eſſe poſsit, ſaltem divinitus: tale vero mixtum peteret naturaliter locum medium inter elementa. Nam nec ſurſum poſſet quieſcere, nec deorſum: nõ ſurſum, quia licet ad hoc inclinaret levitas ignis, detineretur tamen à virtute motiua aliorum trium, quæ maior eſt: neque deorſum, quia licet illuc propenderet gravitas terræ, detineretur tamẽ à virtute motiva aliorum trium. Eſſet ergo illud mixtum in medio elementorum, & virtus motiva ipſius ad pondus temperata eſſet principium motus ad eum locum. Vide Conimb. lib. 1. cap. 8. q. 22. ar. 3. ad 2. & 4. de Cœlo ad finem.

DV-

DVBIVM VLT.

Clauſula huius tractatus & diſputationis.

EX dictis deducitur, corpus generabile, & corruptibile, primum poſſe diſtribui in ſimplex, & mixtum; illud, in vulgata quatuor elementa; iſtud, in varia genera mixtorũ. Alia enim ſunt mixta imperfecta, & alia perfecta. Rurſus mixta perfecta alia ſunt homogenea, quæ in omnibus ſuis partibus vendicãt eandem qualitatum temperiem, ut aurum, & quæ non ſunt ab intrinſeco corruptioni obnoxia, quia non habent partes quarum aliæ in alias agant, ſunt enim omnes ſimiles; alia ſunt heterogenea, quarum diverſæ partes diverſa poſcunt temperamenta, ut patet in animali, atque ita huius generis mixta ſecundum diverſas partes, quia diſsimiles ſunt, in ſe agere, & repati poſſunt, atque adeo ab intrinſeco ſubiecta ſunt corruptioni. Tãdem unumquodque ex memoratis mixtis ſecundum varias ſpecies ulterius dividi poteſt pro varietate formarum ſubſtantialium.

Solent hic interpretes exagitare illam difficultatem, an idem numero individuũ redire queat: quam Ariſtoteles hic cap. ultimo excitavit: circa quam, quia fundamenta alibi iecimus, quid tenendũ ſit, breviter indicabimus.

Dubitabis primo, an individuum ſemel corruptum queat naturaliter reproduci. Reſpondeo negative, cum Ariſtotele hic, & in Logica, capite de oppoſitis, ubi negat naturaliter à privatione ad formam eſſe regreſſum: & cum Suario diſput. 6. ſect. 3. Conimbricenſibus hic, capite ultimo, & aliis. Ratio eſt, non quod virtus cauſæ poſtquam ſemel unum effectum produxit, natura ſua maneat exhauſta, & impotens ad ipſum iterum producendum; neque quod ipſe effectus ſemel productus involvat in ſe aliquam repugnantiam, ne iterum producatur; neque quod cauſa ex novis circunſtantiis temporis, loci, &c. ex natura rei determinetur ſemper ad novum effectum; ſed quod cauſa creata non poteſt producere effectum ſine concurſu primę: prima autem ſtatuit nunquã exhibere de potentia ordinaria cõcurſum ſecundariis ad eundem effectum numero, ſed ſemper ad novum, atque ita non poteſt iuxta curſum naturalem rerum, & potentiam, ac legem ordinariam; ac proinde nec ſine miraculo prę teritum effectũ reproducere. Vide dicta diſput. 4. de cauſa efficienti, à dubio 7. uſque ad 10.

Opponunt adverſarij, libere refundi ad voluntatẽ primæ cauſæ, cauſam creatam nequire naturaliter reproducere effectũ præteritum, nam illa voluntas Dei incerta, & ignota nobis eſt, unde enim conſtat? Reſponde, conſtare tum à poſteriori, cum videamus novos ſemper effectus oriri; tum etiam ex his quę de generatione humana Fidei docent principia; certum enim eſt in quavis nova generatione novã animam rationalem à Deo condi, & eam, quæ ſemel fuit à corpore ſeiuncta, non revocari de potentia ordinaria, ut cum eadẽ, vel diverſa materia ad hominem diverſum coagmentandum rurſus uniatur. Quare merito ſuperiori doctrinæ præter plures recentiores ſubſcri

bit

bit Hurt. diſp. 10. Phy. ſect. 4. §. 48.

Rogas, an poſsit ſupernaturaliter. Indubitatum eſt, tum ex reſurrectione Domini, tum ex uniuſcuiuſque noſtrum, tum etiam ex ratione philoſophica: neque enim repugnat ex parte Divinæ virtutis; ſiquidem ea nihil eſt imminuta, quod res ſemel habuerit eſſe; neque ex parte rei reproducendæ, ſiquidem quod res ſemel habuerit eſſe, nullam implicationem contraxit ne iterum exiſtat: ſicut enim prima carentia exiſtentiæ non repugnabat cum prima exiſtentia futura, ita nec ſecunda carentia exiſtentiæ repugnabit cum ſecunda exiſtentia futura; neque ex parte actionis, nam ſi omnes cauſæ quibus res primo producta fuit, ſupernaturaliter applicentur, poterit reproduci, vel per eandem actionẽ, vel per diverſam, ſi aliç cauſç eiuſdẽ rationis applicentur; idem enim effectus poteſt variis actionibus produci, ut dictum in Phyſica; vel certe ſi nulla ex his cauſis exiſtat, poterit ſolus Deus id præſtare, cũ omnes cauſæ creatæ virtutẽ eminenter contineat. Lege Suar. to. 2. in 3. p. diſp. 44. ſect. 6. Conim. ſupra quçſtione 2. ar. 2.

Dubitabis ſecundo, an quodlibet individuum ſupernaturaliter valeat reproduci, ſive permanens, ſive ſucceſsivum. Reſpondeo, tempus formaliter ſumptum nequire propter rationem traditam tract. 5. Phyſ. diſp. ult. dub. 2. idemque erit de iis quæ in illo eſſentialiter fundantur, cætera vero etſi ſucceſsive fiant, ut calor, reproduci poterunt, ut ex dictis ex Phyſicis convinci poteſt. Vnde melius idem effectus permanens poterit reproduci, nam ſi, iuxta probabilem opinionem Theologorum, quando ſub ſpeciebus Euchariſticis deſinit eſſe corpus Dominicum, ibi reproducitur eadẽ numero materia, quæ prius deſtructa, & in humana reſurrectione eadem numero reproducitur unio, cur non idem divinitus fieri poſsit in qualibet alia entitate permanenti?

Dubitabis ultimo, an reproductio effectus præteriti ſit naturalis, an ſupernaturalis. Reſpondeo, cum Suario & Vazq. reproductionem effectus naturalis in entitate, eſſe quoque in entitate naturalem, ſupernaturalem quoad modum. Prima pars patet primo, quia terminus eſt in entitate naturalis, ut ponitur, ergo & actio. Secundo, conſervatio & prima productio non diſtinguũtur, ſi ſit ab eadem cauſa, ſed conſervatio termini reproducti eſt eiuſdem rationis, ergo, &c. Secunda pars patet, quia ut ſit actio in entitate naturalis, ſupernaturalis, quoad modum, ſatis eſt fiat præter potentiã ordinariã, & curſum naturaliũ cauſarum, ita autẽ fieri quãlibet reproductionẽ ex dictis perſpicitur. Reſurrectio autẽ mortuorũ à Patribus frequenter vocatur abſolute ſupernaturalis, quia illa quoad modũ eſt ſupernaturalis, & miraculoſa; Deus enim infringet legẽ generalẽ, deinde fiet unio ſine concurſu parentũ. Inſuper, corpora ex piſcibus, animãtibus, terra, & aliis compoſitis, in quibus ſint, eximentur. Poſtremo, ſupernaturalibus gloriæ dotibus ornabuntur.

Suarius ſup. Vazq. 1. 2. diſp. 21. c. 3. num. 17.

Dixi, reproductionem naturalis effectus, nam reproductio effectus in ſubſtantia ſupernaturalis, ui gratiæ, charitatis, &c. non dubiũ quin abſolute ſupernaturalis ſit, cũ talis exiſtat eius terminus.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS ET VLTIMVS, in tres libros Ariſtotelis de Anima.

PROOEMIVM.

PER ſuos quaſi gradus à minoribus ad maiora progreſsi, devenimus tandem ad nobiliorem, graviorem, celſioremque Pſychiologiam diſceptationem. Oportuerat etenim priora præmittere, ut à minimis maxima, à notis ignota, à corporeis incorporea, à ſenſibilibus inſenſibilia commodius perſcrutaremur. Finiemus igitur Phyſiologicos tractatus Pſychiologa indagatione, ordine ultima, dignitate & utilitate prima, primas namque ſibi numerat ſedes alias inter naturales quæſtiones; ſola etenim eas regit, ſola dirigit, moderaturque. Eo avidius quærenda, verius veneranda, pluris æſtimanda, quo inſipientius ab aliis ab ſcholarũ pellitur ſolo, incautius eliminatur. Cautiorum ergo inſiſtentes veſtigiis, ſuum quem amat locum Animaſticæ offeremus controverſiæ, non fuſiori, profuſiorique verborum mole, quam tanta materiæ dignitas, maieſtas tanta, tantaque rerum celſitudo ſibi depoſcit. (Graviori namque, grandiorique indigeret volumine, ſi pro dignitate, qua uti par eſt, deberent omnia decurri.) Non hic meus animus, non hocce meum munus. Meum tantum eſt, ea depromere, quæ Philoſophicum imbuant animum, ad altiores Theologiæ receſſus cõmodius penetrandos, quæque à litteratioribus pertractanda in hunc aſſervantur locum; aſſervavi & ego; ſicque opus omne diſtribuo.

SVBIECTVM.

SVbiectum eſſe animam & non corpus animatum in communi autumant Conimbricenſes hic in proœmio, cum aliis multis. Moventur primo, quia id eſt ſubiectum in qualibet facultate, cuius definitio in ea traditur; atqui in hoc opere Ariſtoteles definitionem tantum animæ tradit, non corporis animati; ergo illa tantum, & non illud, erit ſubiectum. Secundo, hæc ſcientia cenſetur omnium nobiliſsima propter excellentiam animæ rationalis; atqui ſi hic ageretur de corpore animato uti obiecto, perfectior eſſet ſcientia de animali in communi, quod eſt inferius corpori animato, & eius ſpecies; ergo ſola anima eſt ſubiectum. Tertio, quia inſcriptio operis eſt

de Anima. Placet magis opinio Pauli Veneti hic, & Hurtadi hic §. 2. ſubiectum eſſe animatum, ſeu vivẽs corpus. Primo, ex D. Thoma initio huius operis lectione 1. docente ſcopum Ariſtotelis eſſe, agere de rebus animatis in communi, in quibus communis eſt anima: tum lib. 2. lect. 1. initio, dicente, intentionem Ariſtotelis eſſe agere de anima, continuantis ſe ad præcedentia, id eſt in ordine ad totum. Secundo, quia totus fere ſecundus liber diſſerit de potentiis animæ, quas non eſſe ſine corpore, ait Ariſtoteles lib. 1. & D. Thomas appellat proprietates totius coniuncti, id eſt totius compoſiti: nam potentiæ ſenſitivæ non modo ſunt ab anima, ſed etiam in corpus recipiuntur; ergo ſignum eſt agi de iis proprietatibus ut toti viventi conveniunt. Inſuper hic exponit Ariſtoteles corpus organicum, & modum quo moventur potentiæ ab obiectis, ſuaſque operationes eliciunt, quas anima ſola non exercet, affirmante Philoſopho, animam nec flere, nec nere, ſed compoſitum. Demum obiectum octo Phyſicorum eſt corpus ſubſtantiale, librorumque de ortu & interitu, corpus ſubſtantiale generabile, & corruptibile, ergo & horum, corpus ſubſtantiale animatum. Firmatur, nam corpus animatum in communi eſt nobiliſſima pars corporis ſubſtantialis, quod eſt totius Philoſophiæ ſubiectum; ergo debet tractari de eo pro dignitate; ſed non apparet ubi melius, quam hic; ergo. Merito itaque Conimbricenſes hanc opinionem tam probabilem cenſent, ut ſuæ oppoſitæ argumenta diſſolvant. Ad quorum primum dices, animam definitam fuiſſe gratia corporis animati, ut huius notitia, ex illius definitione facile teneretur. Ad ſecundum, hanc ſcientiam quatenus agit de corpore animato forma rationali, eſſe nobiliſsimam inter cæteras partes phyſicas, quia homo ratione ſuæ formæ cætera viventia dignitate vincit, non vero quatenus conſiderat corpus animatum ut ſic: ſic enim verum eſt ſcientiam de animali eſſe præſtantiorem, ſicut ſcientia de animato præſtantior eſt illa, quę de inanimato diſſerit. Ad tertium, inſcriptionem eſſe de anima, vel quia ſumitur à parte præcipua corporis animati; vel forte quia anima ſumitur pro toto viventi, ut ſæpe fit.

Quanta ſubiecti latitudo.

Dubium enim eſt, an ſub ſe uti partem complectatur etiam animam rationalem, nam de vegetativa, & ſenſitiva nemo dubitat. Ariſtoteles, & Divus Thomas Animæ rationalis conſiderationem ad Philoſophum non pertinere, non leviter indicãt: ille dum primo de partibus animalium cap. 1. ait, diſputationem de anima rationali non ſpectare ad Philoſophum: iſte dum in primam partem ſummæ Theologiæ reiicit tractationem de anima.

Dico primo. Anima rationalis abſolute, ſeu in ſtatu informationis non eſt extra obiectum Philoſophi naturalis. Ita Suarez diſp. 1. Met. ſect. 2. num. 18. Suadetur primo ex Ariſtotele, qui recenſet hos libros inter naturales, in quibus tamen multa de anima rationali indagat. Secundo à priori, quia Philoſophus naturalis ex proprio munere conſiderat corpus phyſicum ſubſtantiale; ſed anima rationalis eſt

pars præcipua, & actus intrinſece illud conſtituens, ſaltem ſpeciem eius potiſsimam; ergo eam quoque conſiderare debet. Conſequentia patet, nam cuius eſt conſideratio totius, eiuſdemmet conſideratio affectionum, & maxime partium eſſentialium.

Dico ſecundo. Anima rationalis etiam in ſtatu ſeparationis pertinet ad ſpeculationē naturalis Philoſophi. Ita Hurtadus hic in Proœmio. §.6. Primo, quia anima ſeperata ex proprio conceptu, adhuc in eo ſtatu eſt pars eſſentialis compoſiti ſubſtantialis, ſi non actu, certe aptitudine, ergo adhuc ſeparata manet intra conſiderationem Philoſophi naturalis. Patet conſecutio ex dicto ſuperiori. Antecedens vero liquidum, quia adhuc in eo ſtatu anima eſſentialiter eſt ens incompletum phyſice, & ordinatum ad compoſitionem entis naturalis. Secundo. Animæ ſeparatæ convenit ratio naturæ, ſiquidem eſt principiū motus, & quietis eius in quo primo ineſt aptitudine. Præterea ratio animæ ab Ariſtotele definita ita habet: Actus corporis phyſici organici, &c. Actus inquam in actu primo, & potentia, ergo, &c. Vltimo, ſtatus ſeparationis ab intrinſeco conceptu convenit animæ, quæ autem intra conceptum intrinſecum animæ manent, cadunt intra conſiderationem Phyſici. Firmatur, quia Philoſophus naturaliter cognoſcit immortalitatem animæ, & proinde eam in ſtatu ſeparationis.

Dico tertio. Negari nequit, quin ſecundum aliquas rationes anima rationalis, tam in informationis, quā ſeparationis ſtatu, maneat extra obiectum: etenim Theologus ex proprio munere multa tractat, quæ aut divina Fide revelantur, aut ex ea eliciuntur, nimirum, quis illius finis ultimus, quo tendat ſeparata à corpore, &c. Necnon Metaphyſicus illam recipit quatenus ſubſtantia ſpiritualis eſt, vel ens à materia abſtractum.

Ad Ariſtotelem dices, nomine animæ intellexiſſe ſubſtantias completas ſeparatas, uti ſæpe ſolet, cum cauſam primam mundi animam, intelligentias cœlorum motrices, eorum animas appellat. Ad Divum Thomam nihil commodius, quam quod Pater Suarez notat, ſæpe ſcientiam protendi ultra abſtractionem ſuam, ut integram rei tradat notitiam. Sic enim licet Theologia ex ſe præciſe attingat ea, quæ de Angelis revelata ſunt, multa tamen alia quæ de his, quæ naturæ lumine comperta ſunt, ad integritatem diſputationis pertractat. Quoniam igitur multa in Theologia de anima rationali revelata diſputantur, ideo illic naturalem de ea diſputationem tractat, ut ibi integra eius tractatio exhiberetur.

DISTRIBVTIO.

Novem diſputationes hunc Tractatum comprehendent. Prima, eſſentiam animę in communi, diviſionem, quidditatemque ſpecierum eius exponet. Secunda, quidditatem animi rationalis. Tertia, Potentias, & actus animæ in communi. Quarta, Potentias, & actus vegetantis animæ. Quinta, ſenſum externum, & potentiam

cognoſcitivam materialem. Sexto, Potentiam ſenſitivam in communi. Septima, Potentiam, obiectum, & actum ſenſitivæ potentiæ in particulari. Octava, ſenſum internum. Nona poſtremo, intellectum agentem, & patientem complectetur.

LIBER PRIMVS, ET SECVNDVS, De Anima.

PRimus liber quinque capitibus abſolvitur, & eſt introductio quædam ad ea, de quibus in ſequentibus diſputat. In primo tria præſtat. Primum dignitatem, & utilitatem ſcientiæ huius ponit, in quo benevolos facit lectores. Secundum, procedendi modum, in quo facit dociles. Tertium, difficultatem ſcientiæ multis quæſtionibus propoſitis oſtendit, in quo attentos reddit.

Bonorum & honorabiliũ notitia, &c. In prima capitis parte docet primo, ſcientiam de anima reliquis eſſe præſtantiorem, tum nobilitate obiecti, tum etiam certitudine demonſtrandi. Secundo docet, utilem eſſe ad omnem ſcientiam. In primis enim utilis eſt ad Metaphyſicam. Anima enim intellectiva eſt media natura inter ſubſtantias omnino ſpirituales, de quibus diſſerit Metaphyſica, & inter formas prorſus materiales: ac proinde non parum cõfert ad ſubſtãtias ſeparatas agnoſcendas. Ad moralem Philoſophiam utilis etiam: nam hęc agit de virtutibus moralibus, & earum actibus, quæ omnia pendent ab anima rationali, & in ea ſubiectantur, & conſequenter multum conducit ad moralem Philoſophiam notitia animæ, & potentiarum eius, de quibus diſputatur hic. Eſt præterea utilis ad Logicam, quæ perſcrutatur mentis operationes, quæ ſunt actus animæ. Demum ad Mathematicas diſciplinas quodãmodo utilis eſt, & quaſcumque ſcientias, in quantum diſputat de anima rationali, & potentiis ſenſitivis animæ, in quibus experientiæ, quibus ducuntur mathematici, fundantur.

Quærimus autem contemplari, &c. In ſecunda capitis parte proponit quæ dicturus eſt, ut lectores faciat dociles; nimirum naturam ipſius animæ, & paſsiones, quæ ſunt in duplici differentia: quædam enim videntur propriæ ipſius animæ, quædam communes ipſis animalibus per animas.

Omniquaque autem, & omnino, &c. In poſtrema parte, ſcientiæ difficultatem aſsignat, in quo attentos facit, quam docet eſſe circa animæ ſubſtantiam, & circa ipſius paſsiones. Hanc difficultatem manifeſtat proponendo quęſtiones difficiles, ex quarum reſolutione pendet ſcientia de anima, quas in diſputationibus proponemus.

In quatuor reliquis huius libri capitibus late refert, & refellit veterum Philoſophorum ſententias de animæ natura, propriã explicaturus in ſecundo, & tertio libro, quas adducam, dum erit ſermo de animæ natura.

Liber ſecundus duodecim capitibus clauditur. In primo capite duo præſtat: primo nonnulla ſtatuit, poſtremo animæ definitionem adducit, & explicat.

Dicimus itaque unum quoddam, &c. In prima ergo ſtatuit diviſionem entis in decem prædicamenta, ut aliquod genus ex illis, animæ aſsignet. Secundo ſtatuit ſubdiviſionem, ſubſtantiæ in materiam, formam, & compoſitum. Tertio, ſubſtantiam aliam eſſe corpoream, incorporeã alteram. Rurſus corpoream, animatam unam, & inanimatam alterã. Quarto ſtatuit, actum duplicem eſſe, primum ſcilicet, & ſecundum. Primus eſt forma, ſive operandi principium. Secundus ipſa actualis operatio.

Quoniam autem eſt corpus huiuſmodi, &c. In ſecunda parte ſuadet in primis animam non eſſe corpus, quia corpus non eſt in alio, anima autem eſt in alio, nempe in corpore. Vnde definit animam, *Actus corporis Phyſici, & organici, poteſtate vitam habentis.* Inquit autẽ explicans definitionem, animam non eſſe quemlibet actum, ſed actum primum, quia ſicut ſcientia reſpectu ſpeculationis eſt actus primus, quia ab illa procedit ſpeculatio, ita vigilia, aut ſomnus ab anima procedunt, ideoque anima eſt actus primus. Eſſe vero actum corporis Phyſici organici demonſtrat à ſimili de arboris anima: nam ſicut in arbore ſunt varia, & diverſa organa, nempe folia, radices, & fructus, ita in corpore phyſico, & organico inſtrumenta varia.

In ſecundo capite, Philoſophi intentum eſt, aliam animæ definitionem ponere, per quam primam iam adductam demonſtret. Et tria præſtat. Primo nonnulla ſupponit: ſecundo duas quæſtiones movet: tertio demum, deducit ſecundam animæ definitionem, per quam primam demonſtrat.

Dicamus igitur principium accipientes, &c. In prima parte ſupponit primo, animatum differre ab inanimato per vitam, ut ex hoc liqueat, animam eſſe principium vitæ. Supponit ſecundo, ut multiplicitas animæ appareat, quatuor eſſe vitalium operationum genera, ſcilicet vegetare, ſentire, loco moveri, & intelligere.

Vtrum autem unumquodque, &c. In ſecũda parte duas movet quæſtiones. Altera eſt, Cum hæc omnia, nempe vegetare, ſentire, loco moveri, & intelligere, poſsint in eodem animato reperiri, an procedant ab eadem anima, vel à pluribus. Et quia huiuſmodi quæſtio, ut dicit Simplicius, ſoluta fuit lib. 1. ubi determinatum eſt in quovis vivẽti unicam eſſe animam ſecundum ſubſtantiam, multiplices autem illius eſſe potentias: adducit ſecundam quæſtionem, ſuppoſita hac determinatione: An tales potentiæ ſint ſeparatæ loco, ita ut diverſæ ſint in diverſis partibus ſubiectis an ſimul inſint ſubiecto, ſolaque ratione ſeparentur. Ad hanc difficultatem reſpondens, dicit in primis, in quibuſdam animalibus huiuſmodi potentias non ſeparari loco, ſed omnes eſſe in eadem ſubiecti parte, qualia ſunt animalia ſectilia; nam huiuſmodi animalia adhuc diviſa vivunt, & in quavis parte, ſi pungantur, ſentiunt, & habent dolorem; ergo ibi etiam eſt appetitus. De intellectu vero, ait, & contemplativa potentia (per utrumque eandẽ rem

intelligit, ut Simplicius notat) an ſint diverſæ, & loco ſeparentur, dubium eſt: nihil enim hactenus determinavit.

Quoniam autē id, quo vivimus, &c. In poſtrema parte ex dictis elicit definitionem animæ, ad quod aſſumit duo. Primum, quod ſicut duobus dicitur ſcire aliquis, & duobus ſanus eſſe, etiam duobus dicitur vivere. Scimus enim ſciētia, tanquā forma, quæ facit ſciētes; ſcimus intellectu, tanquam immediato ſubiecto, in quo recipitur ſcientia. Similiter ſani ſumus ſanitate, tanquam forma; ſani etiam ſumus corpore, vel aliqua corporis parte ut ſubiecto. Ita duplici etiam principio vivimus, ſcilicet corpore ut ſubiecto, anima vero ut forma, & actu. Secundum quod aſſumit eſt, formas & actus in propriis recipi ſubiectis. Propria enim forma eſt in propria ſua materia: ut ſanitas in certo receptivo corpore. Similiter ſcientia in proprio receptivo. Ita etiam id, quo vivimus ut forma, erit in proprio receptivo: in univerſum enim actus activorum ſunt in patienti diſpoſito, id eſt agentia nō producunt ſuas formas, niſi in proprias, & diſpoſitas materias. Hæc duo ſunt, quę ſumit Philoſophus, quorum utrumque demonſtravit à paritate in ſano & ſcientia. Ex dictis deducit definitionem, hoc modo. Quo vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus. Sed quia ſubſtantia eſt triplex, ut docuit ſuperiori capite, ſcilicet materia, forma, & compoſitū, inquit, animam nō eſſe totum compoſitum; hoc enim potius eſt animatum; neque etiam eſt materia, quia materia ſeu corpus nō eſt actus animæ, ſed potius anima actuat corpus: ergo eſt forma & actus; ergo id quo primo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus, eſt actus corporis phyſici, & organici, poteſtate vitam habentis.

***

DISPVTATIO PRIMA, De eſſentia animæ in communi, diviſione, quidditaque ſpecierum eius.

QVAM in aliis levioribus ſervavimus Methodum, in hiſce ſervabimus gravioribus. Animi in genere diſquiremus naturam, finiemus eſſentiam, findemus partes, enucleabimus, enodabimus ſpecies, ingenium, ſicque totam amplectemur naturam, ſicque de illa commodius philoſophabimur.

DVBIVM

DVBIVM I.

Peripatetica Animæ definitio.

Binas dedit Ariſtoteles definitiones, ambas examinabimus, & inter ſe conferemus. Capite ergo primo libri ſecundi animam expoſuit. *Actus corporis Phyſici organici, potentia vitam habentis.* Particulatim eſt hæc definitio explicanda.

Prima pars, ſcilicet *Actus*, indicat animam eſſe partem alteram corporis ſubſtantialis, quæ materiam tanquam eam quæ erat antea in potentia, actuat, & perficit, communicando ei ſuum eſſe, & ſimul cum ipſa totũ vivens conſtituit, & abſolvit: quę omnia manifeſta ſunt ex dictis de forma in communi, tractatu primo Phyſico. An autem omnis anima ſit actus informans, & afficiens materiam, quod hic difficultaté ingerere poteſt, difficultas eſt, quæ inferius incidet.

Secunda pars, *Corporis*, ſignificat materiã affectam organis & diſpoſitionibus neceſſariis ad formam viventis, & functiones vitæ adminiſtrãdas, vel corpus ipſum animatum, ita ut anima definiatur per ſuum effectum formalem. Et utrumque ſenſum recte admittit contextus, & doctrina Philoſophi. Etenim ſicut anima dicit tranſcendentalem reſpectum ad materiam, ita eundẽ dicit ad compoſitum; ergo poteſt per utrumque definiri. Imo non recte poteſt unus ſenſus ab altero ſeparari: nam eo ipſo quo anima exercet rationem actus circa ipſam materiam, conſtituit corpus ſubſtantiale vivens. Patet: nam per unionem ad materiam exercet forma ſuam actualitaté circa illam, & per eandemmet unionem conſtituit compoſitum; hoc enim conſtituit formaliter per compoſitionem, & actualis unio eſt compoſitio; ergo eadem eſt formalis ratio, per quam anima conſtituit compoſitum, ac per quam actuat materiam; ergo non poteſt una ratio ſine altera conſiderari; ergo quando Ariſtoteles animam definit, *Actum corporis*, nõ poteſt recte intelligi, ut actuet materiam diſpoſitam, quin intelligatur eſſe actus conſtituens vivens. Neque in ſecundo ſenſu cõmittetur circulus uniformis. Nõ enim definitur anima per ſeipſam immediate, & cognitam eodem medio, ſed per ſeipſam virtualiter incluſam in alio, & diſtincto medio cognitam. Definitur itaque anima per corpus animatum, non cognitum per eandem animam, ſed ex operationibus vitalibus, aut aliunde; corpus autem animatum definitur per animam ut cognitam per definitionem.

Vox, *Phyſici*, excludit corpus artificiale, cuius forma eſt figura artis; corpus item Mathematicũ, quod eſt quantitas, quam expreſſe non excluſerat vox *corporis*. Nomine *organici*, ſignificatur organizatio, ſeu diſpoſitio materiæ, & heterogeneitas partium habentium organa, & inſtrumenta vitalibus functionibus inſervientia; per quod excluduntur formæ inanimatæ, quæ per ſe partium organizationem non requirunt. Forma autem cadaveris, tametſi per accidens informet partes organicas à forma vivẽtis relictas, per ſe tamen etiam informat materiam ſine tali organizatione, ut

ut quādo ab animali præcinditur pars carnis, de qua forma iterum infra.

Additur, *Potentia, vel poteſtate vitam habentis*, id eſt exiſtentia in potentia proxima ad ſubſtantialem vitam, quam dat anima, ſi nomine corporis materia prima intelligatur: ſi enim intelligitur corpus animatum, non eſt in potentia ad vitam ſubſtantialem, ſed ad accidentalem, quæ ſunt operationes ipſæ vitales. Per eandem particulam diſtinxiſſe dici poteſt Ariſtotelem animam à forma cadaverica, aliiſque inanimatis præſeferentibus aliqualem organorum formam, quæ ſcilicet licet ea habeant organa, ſunt tamen inepta ad omnem vitalem uſum.

Tamen nota, hanc particulam non eſſe neceſſariam ad integritatem definitionis, ſed maioris claritatis gratia ab Ariſtotele adhibitā, quod notavit Divus Thomas, Toletus, & multi recentiores. Ratio eſt, quia quidquid per eam exprimitur, ſatis inſinuatur per quartam particulam, ſcilicet, *organici*, cum enim organizatio per ſe ordinetur ad functiones animæ, ſufficienter hoc fuerat indicatum per vocem *organici*. Vnde Ariſtoteles poſtmodum eandem repetens definitionem, illam particulam ſubticuit.

Rogas, an hæc definitio ſit idonea, & eſſentialis. Reſpondeo affirmative. Patet prima pars ex dictis; naturam enim animæ viventis optime declarat, eamque ab omni forma non vivente diſtinguit. Secunda docetur à Conimbricenſibus hic quæſt. 1. art. 1. Ratio eſt, quia traditur per actum primum corporis organici, quorum primum eſt genus animæ, ſecundum differentia eſſentialis, qua differt, ut vidimus, ab omni forma non vivēti, etenim quamvis reſpicere & habere actu corpus organicum, & diverſis diſpoſitionibus affectum, ſit accidentarium animæ, non tamen ex ſe petere corpus quod informet ita affectum, hoc enim eſſentiale eſt animæ, ſicut quantitati exigere impenetrabilitatem ſuarum partium. Vnde colliges, breviorem animæ definitionem & eſſentialem, eſt *actus primus ſubſtantialis corporis viventis*.

Convenit autem hæc definitio univoce tribus animarum generibus: omnibus enim convenit ratio actus corporis Phyſici organici: ſicut ergo forma ſubſtantialis de omnibus ſubſtantialibus formis univoce dicitur, ſic & anima de omnibus animabus.

In capite ſecundo eiuſdem libri definivit Ariſtoteles animam, *Principium quo primo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus*, in quo primo dicitur *principium*, id eſt intrinſecum, ut declarat Toletus, quo Deus à ratione animæ ſeparatur. Secundo *vivimus*, id eſt vegetamur, aut nutrimur, nam apud Ariſtotelem ſæpe eſt idem *vivere*, ac *nutriri*, ut hoc lib. 1. cap. 1. textu 3. *vitam autem*, inquit, *dicimus nutritionem, & accretionem*, quod convenit plantis ſolum vitam vegetativam habentibus. Tertio, *ſentimus*, & *movemur*, quod convenit omnibus animalibus, ſiquidem in ſe habent principium ſenſus, & motus, nam tametſi animalia imperfecta, ut cōquilia, & alia marinis ſaxis affixa non moveantur motu progreſſivo, moventur tamen motu dilatationis, & contractionis. Quarto *intelligimus*, quod ſimul cum

reliquis; ſoli convenit animo rationali. Circa hanc definitionem oritur

Difficultas prima, An ſit una. Partem affirmantem tenent communiter Recentiores contra Aegidium, & eam animæ in communi convenire. Moventur ipſo contextu Ariſtotelis, qui cũ priorem definitionem animæ in communi dediſſet, ait ſe allaturum aliam, quæ priorem explicaret: prior autem unica eſt, & animæ in communi. Si autem obiicias, totam illam non quadrare omnibus animabus, ut ex declaratione liquidum eſt. Reſpondent, eſſe intelligendam diſtributione accommoda, ita ut una pars illi in una anima inferiori, & alia in alia quadret.

Cenſeo tamen potius eſſe enumerationem trium generum Animarum, vegetativæ, ſenſitivæ, & rationalis, & ſingularum explicationem, quam unam aliquam veram definitionem animæ in communi. Fundamentũ eſt, quod tractatu 3. Phyſico explicans definitionem naturæ tradidi; veram nimirum definitionem rationis communis totam debere convenire inferioribus, ſicut rationem communem definitam, iſtam autem non convenire ea ratione compertum eſt. Vocat autem Ariſtoteles eam definitionẽ, & prioris explicationem, quia enumerando varia genera animarum, & ipſarum actiones vitales, facilius liquet quod in priori definitione dixerat, Animam eſſe actum corporis phyſici organici, &c.

Difficultas ſecunda, An iſta definitio, vel explicatio animæ tradita ſit per cauſam finalem. Negat Hurtadus diſputat. 1. §. 7. Primo, quia Ariſtoteles lib. 2. c. 4. textu 35. docet animam eſſe finem organorum & potentiarum; ergo & operationum ad quas ordinantur potentiæ; ſed hæc traditur per ordinem ad vitales operationes; ergo, &c. Secundo, quia accidens materiale nequit eſſe finis ſubſtantiæ, quæ eſt illo perfectior. Sed contra. Subſtantia eſt finis accidentis, quod ad illius perfectionem refertur. Dicendum tamen traditam per cauſam finalem cum communi ſentẽtia, necnon per effectum. Ratio eſt, quia hic declaratur natura animæ per ordinem ad actus vegetandi, ſentiendi, &c. Sed iſti actus ſunt effectus adimanantes à virtute activa animę, & virtus vitalis animę activa eſt gratia ſuarum operationum vitalium, ergo datur per ordinem ad cauſam finalem, necnon & effectum iuxta varias conſiderationes.

Ad primum Hurtadi, dices animam eſſe quidem finem cui organorum, potentiarũ, & actuum vitalium, quia illi attribuuntur ut ſeipſis mediis perficiat, operationes vero vitales eſſe finem cuius, cuius gratia ſunt quodammodo reliqua omnia. Ad ſecundum illud verum eſſe, ſi ſermo ſit de fine ultimo ſimpliciter, non vero ſi de fine non ultimo, ut plura demonſtrant exempla.

Difficultas tertia, An hæc ſecunda definitio ſit eſſentialis. Selecta Complutenſia lib. 2. opinatur eſſe deſcriptivam; maior vero pars recentiorum cum Hurtado tenet eſſe eſſentialem. Diſtinguendum eſt, nam ſi iſta definitio ſolum aptetur animæ in communi, ut cenſet communis opinio, reſpectu illius erit accidentalis, nam animæ in communi præciſe accidit eſſe principium

vivendi vitam vegetativam, ſenſitivam, aut intellectualem, ſicut animali in communi eſſe principium ratiocinandi, rugiendi, &c. Si vero ſit, ut nos credimus, maior explicatio animæ in communi per enumerationem & definitionem trium generum animarum, erit eſſentialis quatenus ſingula animarum genera explicat per ordinem ad vitales operationes. Patet, quia anima ex ſua natura & eſſentia eſt principium radicale operationum vitalium; ad eas enim dicit ordinem eſſentialem; atqui declaratur natura animę in ſingulis generibus quatenus eſt principium radicale & primum operationis vitalis; id enim ſignificant verba illa, *Principium quo primo vivimus, &c.* ergo erit eſſentialis

Oppones primo. Prius eſt animam eſſe principium informandi corpus, & conſtituendi totum vivens, quam eſſe principium vitaliter operandi; ergo eſſe principium vitaliter operandi ſupponit prius rationem principij informandi, & conſtituendi totum vivens, & proinde ad eam rationem conſequitur; atqui id quod conſequitur ad primam & formalem rationem rei, eſt quaſi proprietas; ergo definitio declarans naturam animæ per ordinem ad operationes vitales, erit deſcriptiva, cum non declaret primam & formalem rationem. Reſponderi poteſt, licet noſtro concipiendi modo ſit quodammodo prius in anima principium informandi & conſtituendi phyſice corpus vivens, quam principium operãdi vitaliter, non tamen inde ſequi, eſſe principium operationum vitalium, fore accidentarium animæ. Ratio eſt, quia ex eadem radice habet animã utrũque, & niſi utrumque concipiatur ſaltem implicite, non concipitur eſſentia animæ completa; ſic enim in homine poſſumus cõcipere prius eſſe animal intellectuale apprehenſivum & compoſitivum, quam diſcurſivum ſeu rationale, & tamen hæc ratio poſterior eſt eſſentialis, quia ratio propria eſſentialiter & adæquate conſtituẽs hominem, iſtam etiam includit. Adde ulterius, dici poſſe forte non minus commode, eſſe principium formale informandi in anima, eſſe prius in genere cauſæ formalis, quam eſſe principiũ potentiarum & operationum vitalium, hoc vero in alio genere cauſæ finalis utique, vel efficientis eſſe prius: quare utraque ratio in diverſo genere prima eſt, & conſequenter definitio quælibet explicans eſſentialis.

Fit ex dictis demonſtrationem oſtendentem primam Ariſtotelis definitionem per ſecundam, ita poſſe componi. Id quo primo vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus, eſt actus primus corporis phyſici, organici, &c. ſed anima eſt qua primo vivimus, &c. ergo anima eſt actus primus corporis phyſici, organici, &c. Vice verſa confici poteſt demõſtratio in diſtincto genere cauſæ à priori.

Oppones ſecundo. Eſſentia animæ unica duntaxat eſt; ergo & definitio eius eſſentialis, atqui prior definitio ut à nobis ſtatutum, eſt eſſentialis, ergo hæc poſterior eſſentialis eſſe nequibit, ſed potius deſcriptiva. Reſpondeo, bene poſſe eandem eſſentiam duplici definitione eſſentiali explicari, pręſertim ſi altera ſit phyſica, altera vero metaphyſica, ut

ut bene Fonſeca 3. Metaph. cap. 3. ſic enim licet definire hominem: Compoſitum conſtans corpore & anima rationali: vel aliter: Animal rationale, & utraque definitio eſſentialis eſt, prima phyſica, ſecūda metaphyſica. Similiter ergo anima poteſt duplici illa definitione eſſentiali definiri, quia prior phyſica eſt, cum explicet principium phyſicum informans corpus, altera vero quaſi metaphyſica, quia explicat principiū vegetandi, ſentiendi, &c.

DVBIVM II.

An eſſe actum corporis organici ſit ſolius formæ viventis proprium.

Ratio dubitandi, quia non repugnat forma inanimata corporis ſimplicis, vel etiam mixti exigens ad varias operationes trauſeuntes figuras diverſas, & qualitatum temperies in ſua materia. Liquet primo in forma Cœli, quæ eſt inanimata, & tamen habet in corpore illo diverſas figuras, & temperaturam qualitatum, ut claret in Stellis, & Planetis, figura, magnitudine, & temperie qualitatum diſsimilibus, ac proinde in influxu & operatione. Secūdo, in forma hyaſpidis, & plumarum pavonum, colorum varietate micantium. Vnde enim tanta colorum pictura in illis corporibus apparere poteſt, niſi ex varia primarum qualitatum permixtione, quam iſtæ formæ requirunt? Tertio, in forma cadaveris, quæ ſuccedit in materiam eandem, & ſub eiſdem organis formæ viventis, ſine quibus non videtur poſſe conſiſtere, nam organis diſſolutis corpus illud non cenſetur cadaver; ergo non eſt proprium animæ corpus organicū: ex quo ulterius fit falſo dictum eſſe per illam particulam *organici* diſtingui animam à cæteris formis.

Aſſerendum tamen, ſolam formam viventem requirere propria argona in ſuo corpore. Ratio eſt, quia proprie & philoſophice hic organa ſonant idem ac inſtrumenta quædam vitæ, quæ dantur viventibus, ut ſe illorum operatione quotidie perficiant, ultra eam perfectionem, quam habent in inſtanti ſuæ generationis, ac proinde ſortiuntur qualitates alterius rationis, ac non viventia, quales nimirum requiruntur ad vitales operationes, & in hoc ſenſu vocantur organa communiter inſtrumenta vitæ, at non viventia, etſi habeant diverſas diſpoſitiones & affectiones, ut monſtrāt exempla memorata, quia tamen non ſunt inſtrumenta vitalium functionum, neque ipſis mediis ſe perficiunt ultra perfectionem quam habent in inſtanti generationis, non ſunt proprie organa: unde ſola forma vivens requirit & habet corpus vere organicum.

Hinc liquet ad rationem dubitandi, ad cuius explicationem quoad primum exemplum dicendum, Planetas, & Stellas non eſſe partes cœli continuas, unde nec una & eadem forma cum aliis partibus cœli informantur, & licet informarentur, non tamen diverſæ illarum partium temperies organa eſſent, cum non ſint inſtrumenta functionum vitalium. Quæ ſolutio adhibenda ad ſecundum exemplum. Ad tertiū dico, organa, quæ in cadavere appa-

rent non tam vera organa eſſe quam eorum ſimulacra, unde cadaveris & viventis organa tantum æquivoce conveniunt; in illo enim deficiunt qualitates ſuperioris rationis, quas ſemen, & forma fœminæ in utero produxit, & poſtea cõſervat, & cõtinet anima dum in corpore vivit: quare merito dixit Ariſtoteles digitum mortuum, & vivum æquivoce eſſe digitos.

Ex quibus deducitur, formam cadaveris ad ſui introductionem non exigere variam ſtructuram organorum, ſed potius eorum deſtructionem, nam cum forma cadaveris caſu repentino introducitur in corpus organicũ, ut cũ homini ſubito caput abſcinditur, aut lethali vulnere perit homo, tunc illa forma paulatim organa diſſolvit, ſicut forma ignis introducta in lignum, abſumit aliquã humiditatem in ligno relictam, itaque ſine eis poteſt natura ſua conſervari, nam ut bene Hurtadus hic ſect. 1. eadem forma cadaveris manet in pulvere, in quem reſolvitur varia organorum figura deſtructa donec ab alio agẽte diverſa forma introducatur, tunc autem nõ introducitur alia ex præciſa organorum ſolutione, cum potius ad eam forma cadaverica diſponat, & inclinet. Vſus tamen obtinuit, ne corpus illud cadaver appelletur, niſi dum in eo apparẽt diverſæ illæ partium conformationes & figuras, quæ in viventi præceſſere.

***

DVBIVM III.

Deducuntur aliquot animæ attributa.

Dico primo. Anima eſt ſubſtantia, non materia, ſed forma, ſive actus informans. Patet ex dictis ſæpe, & ex diſtinctione proprietatum, & operationum, quam inter viventia, & non viventia cernimus, ut inter animal vivum, & cadaver; ea enim aperte indicat ſubſtantiarum diverſitatem; ſed hæc diſtinctio ſumi non poteſt à ſola materia, quę in animali vivo & eius cadavere eſt eadem numero; ergo ſumitur à forma, quæ ſit principium operationum vitalium, & hanc nos animam vocamus. Vnde à fortiori anima differt à temperamento viventia, quod conſiſtit in ſolo accidentium concentu.

Dico ſecundo. Anima eſt actus primus, ſimpliciter perfectior quovis actu ſecundo, non ſolum in ratione entis, ſed etiam in ratione actus. Eſt contra Caietanum docentem in præſenti actum ſecundum formaliter & in ratione actus eſſe perfectiorem primo; tametſi materialiter & in ratione entis, primus ſit aliquãdo perfectior, ut de anima fatetur reſpectu actuum vivẽtis. Suadetur prima pars, quia actus primus dicitur ille, qui eſt principium operationis, quæ vocatur actus ſecundus; ſed anima eſt principium operationum vitalium; ergo eſt actus primus. Secunda pars oſtenditur, quia anima eſt actus ſubſtãtialis; ergo eſt ſimpliciter perfectior quovis actu accidentali, qualis eſt ſecundus. Firmatur. Actus eo perfectior eſt in ratione actus, quo perfectius actuat; ſed

actus primus ſubſtantialis actuat perfectius quovis actu ſecundo accidentali; ergo, &c. Minor probatur: nam forma vel actus non aliter actuat quam informando ſubiectum, & ſeipſum illi communicando; ſed actus quo perfectiorem habet entitatem eo perfectius eſſe ſubiecto communicat; ergo actus perfectior entitative eſt etiam perfectior in ratione actus. Nota tamen, formam ſubſtantialem, qualis eſt anima, cum rem primario conſtituat, eſſe actum primum ſimpliciter, potentias vero dumtaxat ſecundum quid & cõparatione actuũ, vel operationũ quas causãt. Nota etiã, dici actũ aliquem primũ dupliciter: primo origine & generatione: ſecũdo perfectione & cauſalitate: & hoc ſecundo modo anima eſt actus primus ſimpliciter; primo enim modo, priores ſunt quãtitas, aliæque diſpoſitiones, quam forma, quæ per generationem fit. Nec te moveat contra hoc dictum Beatitudiné, quæ eſt ſumma perfectio, conſiſtere in actu ſecundo & operatione, ut inde credas actũ ſecundum eſſe perfectiorem primo; etenim ratio beatitudinis nõ ſumitur ex maiori, vel minori perfectione entitativa, ſed ex ratione cõſecutionis ſummi & ultimi boni: quæ conſecutio, quia in operatione conſiſtit, qua beatus fruitur ſummo bono, ideo beatitudo formalis in actu ſecundo conſiſtit, quia tametſi non ſit ſumma perfectio, eſt tamen conſecutio & poſſeſsio ſummæ perfectionis.

Dico tertio. Nulla anima materialis, ſive vegetativa, ſive ſenſitiva eſt actus aſsiſtens, ſed informans. Primo, quia omnis anima materialis educitur de potentia materiæ; ſed eductio habet neceſſariam connexioné cũ unione; ergo omnis anima materialis unitur phyſice ſubiecto, & proinde eſt informans. Secundo, quia actus aſsiſtens ita per ſe ſubſiſtit, ut extra rem cui aſsiſtit, per ſe cohærere poſsit; eſt enim actus à ſubiecto ſeparabilis, & ab eo independẽs, ut intelligẽtia motrix à Cœlo; ſed anima materialis nequit cohærere extra materiã primã, cũ ab ea dependeat in ſua exiſtentia & conſervatione; ergo nõ eſt actus aſsiſtens. Tandem idem convincũt rationes de anima rationali ſtatim ſubiiciendæ.

Dico quarto. Etiam Anima rationalis eſt actus informans, ſeu forma corporis humani. In huius probationem conſpirant Fides, & ratio naturalis. Fides enim in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. definit animam rationalem eſſe veram corporis formam, ſicut reliquas ſubſtãtiales. Clementina de ſumma Trin. cap. 5. Idem adſtruit ratio naturalis.

Primo, nam generatio hominis vere aliquem terminum producit, ratione cuius homo dicatur generari; ſed iſte non eſt materia, neque anima rationalis, quia creatur; neque aſsiſtentia, ſeu præſentia animæ ad materiã, quia iſta eſt accidens, & ita neque terminus generationis ſubſtantialis, neque ſufficiens ut ex ea ſimul cum materia & anima fiat unum compoſitũ per ſe ſubſtantiale, qualis eſt homo; ergo eſt unio ſubſtãtialis phyſica animæ cum corpore, & ita anima eſt actus informans. Firmatur, quia quando emoritur homo, aliquid ſubſtantiale deperditur; ſed id nihil eſt aliud quam unio ſubſtantialis; ergo eam habet anima

cum corpore ante mortẽ. Dices, in morte hominis ſolum amitti præſentiam animæ ad corpus. Sed contra, nam cœlum non dicetur interire ex eo quod ab ea loco ſeparetur intelligentia movens, neque navis emori eo quod ex ea gubernator deſcendat; ergo in morte hominis non amittitur ſola præſentia animæ, ſed vera unio phyſica, cum vere dicatur homo interire. Secundo, quia homo ita conſtat ex materia prima ut ſubiecto, & anima rationali ut actu, ut huius ratione reddatur totum vivens, & intelligens; atqui ſi anima eſſet præciſe actus aſsiſtens, neque redderetur vivens, neque intelligens totũ; ergo. Minor probatur, quia neque cœlum ex ſola aſsiſtentia Angeli, neque Navis ex præſentia Navarchi vivens, & intelligens denominatur. Demum, Anima exiſtens in corpore eſt principium actuũ vitalium & operationũ cum dependentia à corpore, & corporeis organis: ideo enim animus, ſi organa læſa ſint, ægre operatur, & ſi omnino diſſoluta, ſtatim evolat; ergo eſt actus illi unitus, & vere informans. Patet conſecutio: nam ſi eſſet ſolum actus aſſiſtens, nullam haberet dependentiam in ſuis operationibus à corpore, ſicut neque intelligentia à Cœlo.

Fuere tamen Philoſophi, qui in oppoſitum errorem prolapſi, ut videre licet apud Conimbricenſes, hac triplici ratione ſatis leviter impellente. Prima, quia Animus rationalis eſt ſpiritalis, corpus materiale; ſed inter materiale & ſpirituale nulla eſt proportio; ergo nequit eſſe unio phyſica per ſe. Secundo, actus informans & ſubſiſtens vendicant inter ſe rationes exiſtendi oppoſitas; ſed animus rationalis eſt actus per ſe ſubſiſtens; ergo nequit eſſe corporis actus informãs. Maior patet, quia actus informans inexiſtit materiæ, eique inhæret, unde ab ea eſt inſeparabilis; actus vero ſubſiſtens eſt per ſe & à materia ſeparabilis; ergo, &c. Tertia, quia actus informans corpus extenſum debet eſſe diviſibilis, nam iuxta vetus inter Philoſophos adagium, Unumquodque recipitur ad modum recipientis; ſed animus rationalis eſt indiviſibilis; ergo nequit eſſe actus informans corpus. Verum hæ rationes facile eliduntur. Prima, quia tametſi animus propter ſuã dignitatem, & ſpiritalem rationem maxime à corpore diſtet, tamen ſecundum rationem actus ſubſtantialis cum ſufficienti proportione reſpondet corpori, quod eſt potentia intra idẽ genus ſubſtantiæ, ut cum eo in unius tertij per ſe compoſiti, unione phyſica copuletur: quam proportionem ſatis indicat, quod animus ipſe in hoc ſtatu pendeat à temperamento, & organis corporeis in ſuis vitalibus functionibus. Secunda, quia falſa eſt maior propoſitio: ſiquidem eſſe actum informantem, & ſubſiſtentem, nullam in eandem formam repugnãtiam involvunt. Nam actus informans dicit unionem formæ cum materia, quæ unio poteſt eſſe ſine dependentia formæ in ſua entitate intrinſeca ab illa uti ſubiecto, at vero actus ſubſiſtens, ſi ſit incompletus, dicit partialem ſubſiſtentiam, ſeu independentiam à ſuppoſito, vel termino ſuſtentante, quod non repugnat cum unione ad ſubiectum, imo neque cum dependentia ab illo, ut multi vo-

lunt

lunt, & nos credimus, qui formæ materiali ſubſtantiali ſimul cum dependentia à ſubiecto tribuunt ſubſiſtentiam & independentiã à ſuppoſito. Tertia, quia illud adagium exponi poteſt de omni re, quæ recipitur in aliquo ſubiecto tanquam in cauſa materiali ſui eſſe; tunc enim, ſi ſubiectum eſt extenſum, forma debet eſſe extenſa & diviſibilis, ut eſt maxime probatio; anima autem non ita recipitur in corpore; non enim ab eo in ſua exiſtentia cauſatur. Addo, dici poſſe tunc actum debere eſſe diviſibilẽ ut corpus informet, quando non habet virtualem extenſionem, eam autem animus noſter obtinet, nam ratione ſuæ perfectionis poteſt ſe quaſi extendere, & informare totum corpus extenſum ac ſi eſſet formaliter diviſibilis; ſicut ſimiliter Angelus per ſuam ſubſtantiam indiviſibilem, quia gaudet virtuali extenſione, poteſt adeſſe toti huic gymnaſio, ſicut aër in illo incluſus.

Eſt contra Caiet. 1. p. q. 76. art. 1. §. in reſponſione ad primum, oppoſitũ ſine fundamento aſſerentem.

Dico ultimo. Anima rationalis, non tantum ut vegetans & ſentiens, ſed etiam ut rationalis, eſt forma corporis humani. Oſtẽditur primo, ex Concilio Vienneſi memorato ſupra, vbi definitur, Animam rationalem, ſeu intelligentem, vere per ſe & eſſentialiter eſſe formam corporis, quod plane perinde valet ac ſecũdum ſuum proprium eſſe, quod eſt intellectivum, eſſe formã corporis. Secundo, Anima rationalis in propriis operationibus gradus intellectivi pendet à corporis tẽperamento & ſenſibus; in hoc enim vitæ ſtatu omnem cognitionẽ à ſenſibus haurit; ſed illa dependentia in operatione oritur ex phyſico nexu animę cum corpore, ut indicatum; ergo anima rationalis, etiam ſecundum proprium gradum intellectivum, eſt forma unita corpori. Poſtremo: nam eadem entitas indiviſibilis eſt anima quatenus vegetans, ſentiens, & intelligens; ergo unitur corpori ſecundum ſe totam, & proinde etiam ut rationalis.

CAPVT III.

DVAS continet præſens caput partes. In prima recẽſet quinque animæ potentias, & quatuor animatorum genera. In poſtrema qua ratione una anima in altera contineatur, exponit.

Potentiarum autem animæ, &c. In priori parte docet quinque eſſe animæ potentias, vegetativã, ſenſitivam, loco motivam, appetitivam, & intellectivam, ſecũdum quas conſtituit quatuor animatorum gradus: quędam enim ſunt viventia, quæ tantum ſibi vendicant potentiam vegetativã, nempe augmentativam, ſeu nutritivam, quales ſunt plantæ: Alia vero ſunt, quæ tantum habent potentiam vegetativam, & ſenſitivam, non tamen loco motivam, ut conchilinia; iſta enim augentur, & ſentiunt, non tamen moventur motu progreſsivo: Alia vero ſunt, quæ obtinent potentiam vegetativam, ſenſitivam, loco motivam, non tamen intellectivam, ut equus, leo: alia demum ſunt quæ habent hæc omnia ſimul, ut homo; ergo tantum ſunt quatuor viventium gradus ex ſeparatione potentiarum animæ. Deinde oſtendit appetitivum nõ conſtituere diverſum gradum vivẽtis à ſenſitivo, eo quod ſint ad invicem coniuncta; non eſt enim ſen-

ſenſitivum quod non ſit appetitivū. Nā quibuſcumq; ineſt tactus, ineſt voluptas & dolor; at quibus ineſt ſenſus, ineſt tactus; ergo quibus ineſt ſenſus, ineſt voluptas & dolor; ſed talia ſunt appetitus, ut notum eſt; ergo quibus ineſt ſenſus, ineſt appetitus. Secundo id ſuadet: quia omnia animalia habent ſenſum tactus; ergo omnia animalia habent ſenſum alimenti; alimentum enim percipitur per ſuas qualitates tāgibiles; ſed ubi eſt ſenſus alimēti, poteſt eſſe fames & ſitis; & ubi eſt fames & ſitis, eſt appetitus, quia fames eſt appetitus calidi & ſicci, ſitis vero appetitus frigidi & humidi; ergo de primo ad ultimum, ubi reperitur ſenſus, reperitur appetitus, ac proinde non faciunt diverſos viventis gradus.

Similiter autem ſe habent ei quod eſt, &c. In poſtrema capitis parte qua ratione una anima contineatur in alia, declarat utendo exemplo figuræ, & in primis inquit non dari unam animam in communi ſeparatam ab omnibus animabus in particulari, ſicut neque datur figura in communi ab omnibus figuris in particulari ſeparata. Deinde docet, ſicut inter figuras triangulus prior eſt quadrangulo, ita inter animas vegetativam eſſe priorem ſenſitiva, & ſenſitivā rationali. Et ſicut triangulus eſt in quadrangulo, ita vegetativum eſſe in ſenſitivo, & vegetativum & ſenſitivum in rationali. Demum docet, ſicut una anima ſeparatur ab alia, ita potentias proprias unius animæ ſeparari à potentiis alterius, ut vegetativum à ſenſitivo.

* * *

DVBIVM IIII.

Quotuplex ſit animarum & animatorum genus.

PRænoto primo, Cum anima ſit eſſentialiter principiū operandi vitaliter, nullum eſſe poſſe commodius indicium ad illius eſſentiam & diſtinctionem indagandam, quā varietas in modo vitaliter operandi.

Prænoto ſecundo, Actionem vitalē proprie eſſe illam, qua res vivēs per ſe & ab intrinſeco exiſtens in ſtatu connaturali operatur in ſeipſa, ut liquet in herba dum creſcit, ſeque ipſam auget, in bruto animanti dum ſentit, ſeque loco movet, & in homine dum intelligit; unde ea ratione diſtinguitur ab actione non vitali, per hanc enim non vivens, nihil in ſeipſa ab intrinſeco operatur, ſed in alias res diverſas, à quibus etiam ſæpe patitur. Dixi in ſtatu naturali, nam ſi conſtituatur extra illum, virtutem habent reducendi ſe ad illum, quo modo aqua frigiditate privata, remoto impedimento, ſe iterum per actionem immanentem infrigidat, quæ actio non magis vitalis eſt quam, ea qua ab aliquo extrinſeco principio infrigidari poteſt. His poſitis ſit

Aſſertio prima. Triplex tantum eſt animarum genus, ſcilicet vegetantis, ſentientis, & intelligentis. Suadetur, nam modus operandi vitaliter indicat nobis eſſentiam animæ; atqui modus operandi vitaliter triplici tantū genere cōtinetur, vegetandi, ſentiendi, & intelligendi; ergo triplex tantum eſt animarum genus, ſcilicet vegetantis, ſentientis,

Ita communis Philoſophorum ſenſus cum Ariſtotele.

tis, & intelligẽdi. Minor liquet, quia operatio vitalis ut prænotatum, eſt illa qua res per ſe, & ab intrinſeco exiſtens in ſtatu naturali in ſeipſa operatur; atqui modus operandi ab intrinſeco in ſe, & in ſtatu naturali, tantum eſt ille triplex & numeratus; ergo, &c. Minor iſta exponitur, nam vel operatio ab intrinſeco fit mediis qualitatibus ſenſibilibus ſimillimis eis, quibus non viventia extra ſe operantur, & iſte modus pertinet ad rationem vegetandi; mediis enim illis qualitatibus vivens convertit in ſe alimentum, efficit nutritionem; vel operatio fit mediis qualitatibus ſenſibilibus ſubtilioribus tamen, quæ intentionales dicũtur, ut ſpecies impreſſę ab obiectis, & hic modus perfectior eſt, & pertinet ad rationem ſentiendi; vel poſtremo fit mediis qualitatibus ſpiritualibus, & eſt nobilior, ac pertinet ad rationem intelligendi, ergo triplex tantum datur modus operandi vitaliter diverſus, & conſequenter triplex principium vitale, ſeu anima vegetans, ſentiens, & intelligens.

Obiicies. Sicut ſub anima ſentienti continetur anima leonis, ita & anima hominis, & utraque eſt ſpecies infima; ergo ſicut anima leonis non conſtituit in illa diviſione particulare genus animæ, ita neque anima hominis. Nego conſequentiam, quia anima leonina non habet aliquem modum operandi vitaliter diſtinctum à cæteris ſentientibus; at anima hominis habet, nempe per ſpecies immateriales. Quare in memorata diviſione ſumitur anima ſentiens pro anima bruti.

Aſſertio ſecunda. Genera, vel gradus animatorum, ſive viventium quoad eſſe ſubſtantiale tantum ſunt tres, tametſi in ſenſu, in quo loquitur Ariſtoteles, quatuor dici queant. Prima pars liquet, quia animata conſtituuntur per animas, ſed in generali dumtaxat dantur tria animarum genera; ergo & animatorum, non enim eſſe queunt plura conſtituta quam conſtituentia, ſicut neque plura coloratorum genera quam colorum. Secunda pars declaratur, quia genera animatorum diſtinguuntur à Philoſopho per potentias in ordine ad ſubiecta, ita ut ille cenſeatur gradus diſtinctus ab alio, qui ſine alio poteſt reperiri, ut ex Ariſtotele hic conſtat cap. 3. textu 31. & 32. ubi indicat ſenſitivum, & appetitivum non eſſe diverſos animatorum gradus, quia nunquã unus ſeparatur ab alio. Et hoc modo D. Thomas diſtinguit hos gradus; ſed ſi gradus ſic diſtinguantur, inveniuntur quatuor; ergo, &c. Minor probatur; quia primus eſt vegetativus, qui à ſenſitivo & reliquis ſeparatur in plantis: ſecundus ſenſitivus, qui ſine loco motivo progreſsivo, & intellectivo invenitur in quibuſdã animantibus, ut in Oſtreis marinis, quæ à ſaxis quibus adhæreſcunt non moventur: tertius eſt loco motivus, qui ſine intellectivo in brutis reperitur: quartus demum eſt rationalis, qui in homine tantum invenitur; ergo cum alij nõ reperiantur modo prædicto, quatuor numerari poſſunt dumtaxat animatorum gradus, nempe vegetativus, ſenſitivus, loco motivus, & intellectivus, quamvis ſecundum eſſe ſubſtãtiale tres tantum ſint pro animarum numero.

Obiicies, inde deduci quatuor dari gradus ſecundum eſſe ſub-

ſtantiale diſtinctos, nam ſi aliqua anima datur, quæ non ſit principium loco movendi, ſed tantum ſentiendi, debebit profecto conſtitui aliud genus ſubſtantiale animæ diſtinctum à tribus enumeratis, ſcilicet loco motivum, ergo & novus ſubſtantialis gradus. Patet, nam ſi aliqua daretur anima, quæ foret tantum principium intelligendi, & alia quæ ſimul foret intelligendi & appetendi, hoc eſſet genus ſubſtantiale animæ à priori diverſum; ergo idem in præſenti inſtituto dicendum. Reſponde, operationem loco motivam oriri ab omni anima ſentiente, & in quovis animante reperiri. Ratio eſt, quia tametſi conchilia ſuo loco non moveantur motu progreſsivo, moventur tamen loco motu dilatationis, & contractionis, & hoc ſufficere videtur, ut operatio loco motiva abſolute ab anima ſentiente dicatur oriri, nec propter eam ſit peculiare genus animæ diverſum à ſentiente conſtituendum, licet poſtea membrũ iſtud ſecundum, anima ſentiẽs, poſsit ſubdividi in animam ſentiẽtem, quæ ſit principium motus dilatationis & contractionis, & in aliá quæ ſit principium motus progreſsivi, quia iſtæ rationes inter ſe in dividuis animantibus ſeiunguntur.

DVBIVM V.

Quomodo dividatur anima in vegetentem, ſentientem, & intelligentem.

PRæmoneo, animam vegetantem bifariam capi poſſe. Primo, ut contractam ad aliquã ſpecificam animam excludenté ſenſitivam, & intellectivam, quo pacto componit plantam. Secundo, ut abſtractam ab anima ſenſitiva, & non ſenſitiva. Primo modo anima vegetans diſcrepat à ſentiente, & intelligente. Secundo modo eſt communis utrique animæ, & de illis effertur. Idem fero iudicium de anima ſentiente in ordine ad intelligentem.

Cenſeo primo. Iſta diviſio animæ fit in mẽbra inter ſe impermixta. Patet, nam anima vegetãs hic ſumitur pro anima contracta ſolum ad rationé vegetandi, excluſa ratione ſentiendi: Anima ſentiens contracta ad rationem ſentiendi, excluſa ratione intelligendi; ſed ita anima intellectiva non eſt ſenſitiva, neque hæc eſt vegetativa; ergo ut ſic ſunt iſta membra impermixta. Maior probatur, cætera enim perſpicua ſunt: nam ſi ita non ſumãtur membra dividentia unum, nimirum anima vegetativa includetur in ſenſitiva, & utrumque iſtud in anima intellectiva, ſicque tam inepta eſſet diviſio, ac ſi divideretur animal in ſenſitivum hominem, & brutum, nam ſenſitivum includeretur in homine, & bruto.

Cenſeo ſecundo. Diviſio iſta exacta eſt, & generis in ſuas ſpecies, quę perfectione ſunt inęquales. Prima pars claret ex dictis, quia eſt adæquata, & totum diviſum latius patet quam ſingula membra dividẽtia, & membra ſe invicem excludunt; ergo, &c. Secunda pars etiam patet, nam triplex anima, vegetativa, ſenſitiva, & intellectiva conveniunt univoce in ratione animę, & differunt per peculiares differentias

eſſen-

eſſentiales, ut ſatis liquet; ergo diviſio animæ in tres iſtas erit generis in ſpecies. Tertiò oſtenditur, nam anima vegetativa vendicat modum operandi maxime imperfectum, quia operatur per qualitates valde materiales; ergo erit omnium imperfectiſsima; ſenſitiva autem modum operandi aliquanto perfectiorem, per qualitates minus materiales; ergo erit perfectior. Tandem intellectiva modum operandi perfectiſsimum, per qualitates, ſcilicet omnino immateriales; ergo perfectiſsima inter omnes; operatio enim ſicut rei naturam, ita & perfectionem teſtatur.

DVBIVM VI.

Sit ne anima compoſita ex partibus heterogeneis.

CVM in corpore viventium varia organa & inſtrumenta videamus, diverſis vitæ functionibus apta, necnon varias diſpoſitiones in diverſis illius partibus, ut in capite, oculis, & corde animalis, & in radice, trunco, & foliis plantarum, ambiguum eſt, num eiuſmodi varietas organorum, & diſpoſitionum arguat diverſitatem ſubſtantialem partium in forma vivente, & quidem ambiguitas ſolùm erit de anima vegetante, & ſentiente non de rationali, quæ cum omnino ſit indiviſibilis, expers eſt diviſibilitatis partium.

Dicendum cum Thomiſtis, & nonnullis recentioribus, omnem animam eſſe eiuſdem rationis, & ſimilem in ſuis partibus ſubſtantialibus ſicut forma aquæ. Suadetur primo, quia non ſufficit quælibet diverſitas operationum ut arguat diverſitatem ſubſtantialem in principio; nec quælibet diverſitas diſpoſitionum ut indicet diverſitatem ſubſtantialem partium formæ; ergo propter iſta ſigna præciſe non debet admitti diverſitas ſubſtantialis partium in anima. Antecedens patet, tum quia idem principium diverſas elicit operationes, ut ſol: tum quia plures formæ inanimatæ, quibus ſimilitudo in omnibus ſuis partibus conceditur, ſortiuntur varias diſpoſitiones & accidentia in diverſis partibus corporis, ut in hyaſpide, & pavone.

Secundo, Anima rationalis, tametſi careat partibus, quia tamen eſt forma viventis, poſtulat in variis partibus diſsimiles diſpoſitiones ad varios actus eliciēdos; ergo anima bruti, tametſi partes habeat omnino ſimiles, poſtulabit eādem de cauſa diverſas partium diſpoſitiones. Probo cōſequentiam, Anima indiviſibilis informat partes varie diſpoſitas, ita ut in ſingulis virtualiter multiplicetur, & quaſi replicetur; ergo anima bruti multiplicata realiter ſecūdum partes omnino ſimiles, poterit informare partes materię diverſo modo diſpoſitas. Reſpondebis, animam rationalem, quamquam in ſe non habeat partes diſsimiles, habere eas in ſua entitate. Contra primo, Anima rationalis licet in ſe ſit indiviſibilis, quia tamē informat corpus, ita ut in illo quaſi multiplicetur, ideo poſtulat partiales uniones ſubſtantialiter diverſas; ergo forma bruti, cuius partes realiter multiplicantur, quamvis omnino ſint ſimiles, poſtulabant

partiales uniones ſubſtantialiter diſsimiles. Secundo, diverſitas unionis ſumitur ex diverſitate unibilium; ſed unibilia in omnibus partibus hominis ſunt ſimilia ſubſtantialiter, ut patet; ergo & partes unionis. Maior probatur primo, quia modus eſſentialiter reſpicit rem cuius eſt modus, & ipſi accommodatur. Secundo, quia totus finis modi eſt rem afficere in ordine ad munus ipſius modi, verbi gratia, unionis ad uniẽdum, & pręſentię ad ubicandum, ergo tota eius eſſentia ſumitur in ordine ad rem quam afficit, & conſequenter tota eſſentia unionis in ordine ad unibilia, ac proinde diverſitas unionis ex diverſitate unibilium.

Vt argumenta quæ contra traditam doctrinam adverſarij adducere ſolent, facillimo negotio diluas, obſerva, diverſitatem illam diſpoſitionum deberi toti viventi ut ſic, ut poſsit varias vitæ functiones exercere. Itaque hæc pars animæ, ſi ſecundum ſe ſpectetur, non magis poſtulat hanc diſpoſitionem quam diverſam; ſi vero ſumatur ſimul cum omnibus aliis, poſtulat diſpoſitionem illam, quam aliæ non habent, ita ut ſi illæ habeant diſpoſitiones omnes, præterquam pedis, hæc pars poſtulat diſpoſitionem pedis: quia per ſe, & ex ſe ordinantur ad componendum unum animatum corpus. Si autem quis roget, à quo determinetur agens naturale ad ponendam potius in capite hanc animæ partem, quam alteram? Reſpondebis, determinari à Deo, quia hæ partes ſolum numero differunt, & ad hanc numero actionem potius quam ad aliam, ſolus Deus determinat.

Obiicies. Intenſio qualitatis conſtat partibus diſsimilaribus, ergo & formæ iſtæ ſubſtantiales. Nego conſequentiam, diſcrimen eſt, quia in qualitatibus eſt evidens indicium partium diſsimilarium, nempe oppoſitio graduũ cõtrariarum qualitatũ, cum enim ſolus primus gradus caloris opponatur ſoli octavo frigoris, ut ſuo loco dictum eſt, neceſſario concedendum eſt eos gradus eſſe inæquales: at inter partes formarum ſubſtantialium nullum eſt urgens indicium huius diſsimilitudinis, cum inæqualitas operationum, & diſpoſitionum non ſemper arguat diſsimilitudinem ſubſtantialem formarum, & principiorum, ut probatum eſt.

DVBIVM VII.

Sit ne forma plantarum proprie anima, & diviſibilis.

FOrmam vegetantem, quę plantis ineſt, non eſſe proprie animam, arbitrarunt Stoici, aliique veteres, ut refert Plutarchus lib. 5. de placitis Philoſoph. cap. 26. quos ſequi collibuit quibuſdam recentioribus, qui rationem vitæ in ſola cognitione & appetitione agnoſcunt. Contra vero Pithagorici formam vegetantem eſſe etiam ſenſitivam, & conſequenter appetitivam ſomniarũt, imo Manichæi, teſtante Divo Auguſtino, hęreſi 46. animam rationalem plantis tribuebant. Vnde ab arbore folium, aut fructũ colligere homicidium putabant.

Dicendum primo, formæ ſubſtantiales plantarum vere ac pro-

prie

prie ſunt animæ, quæ vocantur vegetantes, atque adeo plantę vere vivűt. Colligitur ex Sacra Scriptura, in qua mors & vita plantis tribuitur. 1. Corint. 15. *Quod ſeminas non vivificatur niſi prius moriatur.* Ioannis 12. *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, &c.* Pſal. 77. *Occidit in grandine vineas eorum.* Idē tenent Divus Dionyſius de divinis nominibus, c. 6. & Divus Auguſtinus 11. de Trinitate, cap. 6. ſi vero aliquando oppoſitum aſſerere videtur, intelligendus eſt de anima ſentiente, ut recte Divus Bonaventura in 2. diſt. 19. circa textum obſervavit. Eſt etiam Ariſtotelis lib. 1. de plătis. Suadetur primo, nam anima eſt actus corporis phyſici organici, &c. atqui anima plantarum eſt eiuſmodi actus; ergo, &c. Minor patet ex Ariſtotele, hoc lib. 2. textu 6. dicente, in plantis eſſe partes inſtrumentales & organicas, ut fructus, folia, ramos, radices. Et ſecundo de partibus animalium, c. 10. non eſſe tot organa in Plantis requiſita, ſicut in aliis viventibus, quia earum actiones vitales pauciores ſunt. Secundo, quia vivens creatum, ex communi ſententia Philoſophorum, eſt principium ſe movẽdi ab intrinſeco in ſtatu connaturali, ut explicatum dub. 4. huius diſputationis; plantæ autem ſe in ſtatu connaturali movent ab intrinſeco: augētur enim per intuſſumptionem, & ſecundum omnẽ ſui partem: unde certum vendicant tempus vitæ & incrementi, ſicut vera alia vivẽtia; ergo earum forma vegetans vere eſt principium vivens.

Obiicies primo. Deo, & creaturis viventibus datur una ratio communis vitæ; ſed nulla ratio vitæ cogitari poteſt communis Deo, & plantis, nam plantæ nequeunt habere vitę rationem, niſi ab intrinſeco moveantur; Deus autem ita moveri nequit; ergo vera vita, & anima nõ ineſt plantis. Sed propter hanc rationem debent ipſi etiam negare Animam rationalem, & ſubſtantiam Angelicam gaudere propria vita, quia neque eis vivere convenit in ordine ad appetitionẽ, & cognitionem, niſi ab intrinſeco motu reali moveantur, quod neutiquam cadit in Deum. Reſpondeo ergo, dari rationem communem vitæ Deo, & plantis, quæ eſt perfectio rei, petens eſſe ab intrinſeco, abſtrahendo ab omni motu phyſico & reali, qui in creaturis locum habet, ſed non in Deo.

Obiicies ſecundo. Nulla eſt operatio in plantis, quæ ſit index veræ vitæ; ergo proprie non vivunt. Antecedens liquet, nam ſi plantæ attrahunt alimentum, illud diſponunt, alterant, in propriam ſubſtantiam convertunt, ſibique uniunt, atque ita augentur ab intrinſeco, propter quod illis præcipue vita conceditur, etiam ignis pabulum ad ſe attrahit, & cum oleum exſugit, illud diſponit, alterat, in ſe convertit, ac unit, atque ita creſcit ab intrinſeco; ſed iſtæ actiones nullius vitę ſunt indices in igne, ergo nec ſimiles in plantis. Confirmatur, nam omnis operatio vitalis debet eſſe immanens in principio agenti; actio autẽ qua planta nutritur & accreſcit, tranſit in aliquam partem materiæ diſtinctam; ergo non eſt vitalis. Negandum primum antecedẽs. Ad probationem dicendum, nutritionẽ qua planta in ſe convertit alimentum per intuſſumptionem, ea

ratione qua tractatu de generatione expoſitū eſt, eſſe vere actionem vitalem, & ab intrinſeco, nec ullam ſimilem in igne reperiri. Ratio eſt, quia illa eſt actio propriiſsime vitalis, quæ tendit in terminum immanétem, id eſt, qui ex natura rei poteſt, & petit fieri à principio intrinſeco in ſuo ſtatu connaturali, itaut ex natura rei fieri nequeat ab extrinſeco, eiuſmodi autem eſt accretio plantæ; niſi enim ipſa per propriam virtutem operetur circa alimentum, alterando, & convertendo, nullius agentis creati vi, vel tranſverſum augeſcet unguem; at ignis augmentatio ita fit ab igne, ut principio intrinſeco: ut valeat fieri ab extrinſeco; ſicut enim ignis quilibet poteſt efficere partialem adgenerationem ignis, ita & partes adgeneratas alteri unire, & proinde illum augere, neque enim ex parte termini, aut modi apparet maior difficultas in illa unione, quam in producenda aliqua parte ignis, in qua ſimul plures partium uniones neceſſario producuntur. Huius autem diſcriminis inter viventis & non viventis nutritionem, & accretionem, tria ſigna invenimus. Primum, quod nunquam compertū ſit herbam ullam, aut plantam, imo nec hominem, ab extrinſeco, aut per ſolam iuxta poſitionem alimenti nutriri: unde fit, ut quamvis alimentum adſit, niſi ab ipſo vivente diſponatur, & altereiur, nunquam eo nutriatur, neque ipſi quidquam proſit. Secūdum, quod ſi vivens impediatur à nutritione intrinſeca per intusſumptionem, attractionem, & converſionem alimenti, ſtatim pereat. Tertium eſt, organorū varietas, quæ ideo inſtrumenta ſunt à natura, ut per ea vivens alimentum diſponat, & in propriā vertat ſubſtantiam; quod ſi id fieri poſſet ab extrinſeco principio, fruſtra eſſet tantus organorum apparatus. Itaque his ſignis liquet, nullam eſſe virtuté in agente creato, etiam Angelo, ad nutriendum, & augendum tale vivens, niſi ſeipſum active nutriat, & augeat. In non viventibus autem oppoſita ſigna cernuntur.

Merito Hurtadus ita exponit aſſertum illud Divi Thomæ *Viventia ſe poſſe perficere ultra magnitudinem acquiſitam in primo inſtanti generationis*, ut ſenſus ſit, viventia ſic ſe poſſe ab intrinſeco perficere, ut ea perfectio nequeat ab extrinſeco ex natura rei provenire; in quo differunt non viventia, hæc enim ſi ſe poſſunt perficere, poſſunt etiam perfici ab extrinſeco. *Hic diſp. 3. §.17.*

Inſtas. Partes viventis, quæ per nutritionem adquiruntur, potuerunt ab extrinſeco agente in prima generatione produci; ergo nō efflagitant ex natura ſua produci à principio intrinſeco, atque adeo earum productio non erit immanens, & vitalis modo explicato. Reſpondeo partes ſubſtantiales viventis dupliciter poſſe produci, aut in primo inſtanti generationis viventis, aut deinde per nutritionem. Primo modo & tempore poſtulant omnes illę quę requiruntur ad integritatem viventis ſimul produci ab extrinſeco agéte ut alibi dictum; cum enim ipſum vivens nondum ſit, neque ſe, neque ullam partem ſui poteſt producere, unde ſuapte natura petit talem productionis modum in primā generatione; quia tamen naturaliter nequeunt ſimul produci omnes partes viventis, ideo na-

naturaliter etiam petit, ſecũdum productionis modum, qui eſt per nutritionẽ. Suppoſito igitur quod in primo inſtanti aliqua viventia pars non ſit producta, implicat naturaliter illa produci ab alio, quam ab ipſo ſuppoſito cuius eſt: quare neganda eſt conſequentia argumenti.

Ad ſuperiorem confirmationem dico, ad rationem actionis vitalis vere immanentis non requiri neceſſario ut res vel pars agat in ſeipſam, ſed ſatis eſſe ſi agat in aliam partem eiuſdẽ ſuppoſiti, aut naturæ; ſic enim actus vitales materiales in homine vere cenſetur immanentes, & oriũtur active etiam ab anima, nec tamẽ in ea, ſed in materia, aut quãtitate media potentia ſenſitiva recipiuntur. Vnde cum nutritio ſit actio unius partis in aliã eiuſdem viventis, vere eſt immanens & vitalis.

Obiicies tertio. Adhuc operatio immanens ut ſic non eſt ſignũ rei viventis; ergo tametſi plantæ eliciant nutritionem immanentem, non ideo eas vivere inde colligendum. Antecedens conſtat in emanatione potentiarum ab anima rationali, frigoris ab aqua, &c. quarum nulla eſt actio vitalis, ut omittam ſine iis potentiis animam non agere & perficere ſe in ſuo ſtatu connaturali poſitam, & ultra perfectionem debitam in primo inſtanti generationis, quod neceſſariũ eſt ad actionem vere vitalem, ut dictum dubio 4. huius diſputationis. Reſponde, nullam ex iſtis eſſe vere actionem vitalẽ immanentẽ, quia tendit in terminum, qui non petit neceſſario emanare à principio intrinſeco, ſed poteſt æque bene ab extrinſeco, ut videre eſt in aqua, cui calidæ connaturalis frigiditas ab agente extrinſeco connaturaliter ſæpe reſtituitur, unde idem de aliis proprietatibus ut de calore ignis, & de potẽtiis animæ iudicandum: quamvis enim iſtæ producantur à ſua natura, quia ſupponitur exiſtens, & cum virtute ad earum efficientiam, & ut cauſa magis intrinſeca & particularis, poſſent tamen etiam connaturaliter produci à primo generante, ſi virtus innata deficeret, ad ipſum enim ſpectat non ſolum dare formam, ſed etiã conſequentia ad formam, id eſt quæ ſpectant ad eſſe formæ completæ in ſuo ſtato connaturali: at actus nutritionis nequit ex natura rei connaturaliter produci, etiam à primo generante; ad hoc enim non ſpectat nutrire vivens & vitaliter movere.

Dicendum ſecundo. Senſus nõ ineſt plantis, quare anima vegetans, non eſt neceſſario coniuncta ſenſitivæ: ita fere omnes Philoſophi cum Ariſtotele lib. 2. cap. 2. text. 13. & 14. ubi clariſsime docet in plantis eſſe vegetativum ſine ſenſitivo. Idem docet paulo inferius, & lib. 1. de plantis. cap. 2. ubi refutat oppoſitam ſententiam, quam S. Auguſtinus lib. de quantitate animæ. cap. 33. ita reiicit. *Non eſt audienda neſcio, quæ impietas ruſticana plane, magiſque lignea, quam ſint ipſa arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quando uva decerpitur, credit.* Ratio præter communem Philoſophorum ſenſum eſt, nam quæ habent vitam ſenſitivam, tactum quoque habent, iſte enim eſt ſenſus primus, & communiſsimus, qui vitam ſenſitivam ubique comitatur, quæ autem ſunt prædita tactu, capacia ſunt doloris, & vo-

voluptatis; ſed nec dolor, nec voluptas apparet in plantis; ergo non habent tactum, nec vitam ſentientem. Minor patet, nam etſi pungantur, non fugiunt ſicut cætera animalia. Dices non fugere, quia radices quaſi compedibus ligantur. Sed hinc arguo, nam cæteris viventibus datus eſt motus ut ſe tueantur, cur ergo plantis dãtur cõpedes? Firmatur: quę ſenſum habẽt, habẽt quoque ex Philoſopho 1. de generatione animalium, cap. 5. ſomnum & vigiliam, his carent plantæ; ergo, &c.

Obiicies. Aliqua in plantis videmus, quæ indicant eorum aliquam cognitionem, diſtinguunt enimutiles ſuccos ab inutilibus, illos attrahentes, hos fugientes; cucumeres enim ad humiditatẽ ſe porrigunt, oleum autem adverſantur, quo perfuſi moriuntur. Arbores etiam in umbroſo conſitæ loco, ſolem quæritantes in altum ſe erigunt, & alia ſunt mira, quæ legi poſſunt apud Conimbricenſes cap. 3. quæſt. 1. artic. 1. quibus probari videtur nullam eſſe animam pure vegetativam. Reſpõdeo, illa partim oriri à virtutibus attractrice, & expultrice, quæ abſque ullo ſenſu, aut cognitione vegetanti animę inſerviunt; partim ex nativis plantarum virtutibus, & latenti antipathia vel ſympathia, quæ rebus etiam inanimatis inſunt. Imo addo motus iſtos ut ſic, non ſolum non eſſe actus vitæ ſenſitivæ, ſed nec vitæ, quia non ſunt à vivente movente ſeipſum in ſtaturali, &c.

Ita Ariſtot. lib. de longitudine & brevitate vitæ cap. 7. & de iuventute & ſenectute. c. 1. eſtq; cõmunis ſentẽtia.

Dicendum tertio. Plantarum animæ ſunt extenſæ & diviſibiles. Probatur, nam ramus de arbore cæſus vegetatur & frondeſcit ſicut ipſa arbor, ergo ſignum eſt utramque partem vitam retinere, atque adeo animam, quę arborem ſimul & ramum prius cõtinua informabat, in duas fuiſſe partes diviſam. Firmatur. Tunc utraque pars diviſi vivit, ſed non indiviſibili anima priori, cum nequeat eadẽ numero forma duas ſimul materias diſcontinuas, & loco diſſitas informare: neque vivit duplici anima per diviſionem in illis partibus reſultante, priori corrupta, tum quia ſi diviſione prior anima interiret, non reſultaret duplex alia anima in eiuſmodi partibus, ſed duæ formæ cadavericæ, ut fit cum animal perfectum in duas partes ſecatur: tum quia illa duplex anima reſultans neceſſario forat, aut eiuſdem, aut diverſę ſpeciei cum priori, non diverſę; experimur enim, ex ramo abciſſo gigni arborem ſimilem ei à qua ſciſſus eſt, & ſimiles fructus edere, neque eiuſdem, quia nunquam unũ individuum totale migrat immediate in aliud eiuſdem ſpeciei: diſpoſitiones enim quæ ſufficientes ſunt ad producendam novam numero formam, melius ſufficerent ad conſervandam priorem eius ſpeciei, cum pauciora requirat conſervatio, quam productio; ergo partes arboris vivunt eadem anima, quam antea habebant, diviſa tamen.

Collige, Animam vegetantem poſſe definiri, *Primum principium vegetationis, ſeu nutritionis tantum*, vel iuxta aliam normam Ariſtotelicam, *Actus corporis organici, poteſtate vitam vegetantem dumtaxat habentis.*

***

DV-

DVBIVM VIII.

An forma ſenſitiva ſit vere anima, & diviſibilis.

CIrca primũ dico primo. Forma ſenſitiva eſt vere anima. Eſt communis ſentẽtia cum Ariſtotele libro primo de plantis, in principio, dicente. *Vita in animalibus patens eſt, & manifeſta, in plantis vero occultior, nec adeo evidens.* Suadetur primo, quia ſive anima ſit *actus corporis phyſici organici*, ſive *principium quo primo vivimus, ſentimus, & movemur*, utraque definitio ei apprime quadrat. Secundo, quia eſt principium cognitionis ſenſitivæ, quod ſoli animæ convenit; tumetiam pluriũm operationum vitalium, quæ neceſſario oriuntur ab aliquo principio radicali vitæ, quod nos animam vocamus.

Dices, Materiam primam eſſe quoque principium vitalium operationum, nec tamen propterea eſſe animã. Verum quidem id eſt, quia materia prima eſt tantum principium paſsivum, & receptivum actuum vitalium, ad quod non requiritur ut materia ſit vivens, ſicut neque requiritur ad hoc ut ſubiectum aliquod recipiat actum ſupernaturalem, ut ſit ipſum ſupernaturale: at quod eſt primum principium operationũ vitalium, & quaſi præcipuus fons totius entitatis illarum, neceſſe eſt ſit vivens, ſicut ſimiliter, quod eſt principale principium actus ſupernaturalis opus eſt ut ſit ſupernaturale. Ratio à priori eſt, quia cauſalitas cauſæ materialis eſt valde imperfecta, cum ſit receptio actus & perfectionis. At cauſalitas efficiẽtis eſt lõge perfectior; ipſe enim dat effectui quidquid habet perfectionis; tametſi cum dependentia à materia, ſi terminus ſit in ſua entitate ab illa pendens.

Circa ſecundum de diviſibilitate, maior eſt controverſia. Qui cenſent animas plantarum indiviſibiles, idem dicunt de quovis animali, etiam imperfecto.

Dico ſecundo. Animæ animalium imperfectorum, ut vermiculi, & lacertæ, ſunt extenſæ & diviſibiles. Eſt communis ſentẽtia, & expreſſa Auguſt. lib. de quantitate animæ, cap. 31. ubi aſſerit ſe vidiſſe vermiculum multipedem diviſum in plures partes; quæ omnes eadem celeritate, qua antea integrum animal, movebantur. Atque hinc deducitur ratio huius aſſertionis: Animalia enim iſta imperfecta diviſa in partes vitam retinent in ſingulis, ut cernimus in lacerta; cuius illa pars quæ capite conſtat, vivit non ſecus ac ſi non fuiſſet diviſa; altera vero pars vivit aliquo tempore, licet non tanto, quia nimirum non poteſt alimentũ ſumere quo nutriatur. Hic applicari poſſunt argumenta facta pro diviſibilitate animę plantarum dubio tranſacto. Ex loco vero Divi Auguſtini qui afferri ſolet ex lib. de immortalitate animæ capite ultimo tantum colligitur animas iſtorum vivẽtium habere mutuã partium, & facultatum connexionem; minime vero eſſe indiviſibiles.

Multi Thomiſtæ, & alij, quos citant Conimbricenſes hoc lib. 2. capit. 1. quæſt. 8. qui problematice hanc dubitationem proponunt, licet de animalibus imperfectis nobiſcum ſentiant; addunt tamen animalia perfecta, v. g.

equum, leonem, canem habere animas indiviſibiles, quæ totę in tota materia, & totæ in quavis parte recipiuntur.

Ita Scotus in 4. diſt. 44. q. 1. artic. 1. Durandus in 1. diſt. 8. 2. p. q. 3. Tolet. in præſenti, q. 5. Suarez. diſp. 15. Met. ſect. 10. n. 32. & tom. 3. in 3. p. diſp. 51. ſect. 4. & 5. & alij, quos citant.

Dico tertio, etiam animas perfectorum animalium diviſibiles eſſe, & in materia extenſas. Fundamentum huius concluſionis eſt, quod ſit rerum ſpiritualium proprium, eſſe totam in toto, & totam in quavis parte connaturaliter; ergo animæ perfectorum animalium non ſunt indiviſibiles; deberent enim eſſe totæ in toto, & totæ in quavis parte materiæ, unde eſſent ſpirituales: conſtat autem animas eorum animaliũ eſſe corporeas & materiales. Et ratio à priori huius eſt, quia in compoſitione partium integrantium conſiſtit prima diſtinctio entis materialis & corporei ab ſpirituali; ergo nulla eſt ſubſtantia materialis & corporea, ſive totalis ea ſit, ſive partialis, quæ non habeat talem partium compoſitionem, atque adeo partium diviſibilitatem.

Secundo. Anima materialis brũti quantumcunque perfecti, educitur de potentia materiæ diviſibilis; ſed nequit educi tota de tota materia, & de qualibet eius parte; ſed tota de tota, & pars de parte; ergo anima quævis materialis eſt diviſibilis. Minor claret primo, nam forma quæ de ſubiecto educitur, cum fiat dependenter in ſua entitate ab illo, & in eodem recipiatur, debet ipſi in ſua entitate omnino comměſurari; quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur; ergo, &c. Firmatur: non enim aliunde à priori conſtat omne accidens materiale quantumcunque perfectũ, & cæteras formas ſubſtantiales, eſſe diviſibiles, niſi quia de materia, & ſubiecto extenſo educuntur; ergo idem erit de anima bruti perfecti. Secundo, nam ſi forma materialis educatur tota de tota materia, & de qualibet parte, erit tota in tota, & tota in qualibet parte; eiuſmodi autě modus exiſtendi proprius eſt rerum ſpiritualium, & materialibus, ut Chriſto Domino in Euchariſtia, non conceditur ſine miraculo; ergo.

Neque enim dici poteſt, animas animalium perfectorũ non educi quoad entitatẽ, ſed ſolum quoad unionem; ſic enim crearentur nõ ſecus ac rationales; ergo educuntur quoad entitatem. Nec valet quod dicunt Thomiſtæ, has formas non educi à materia determinata, nam præterquam quod intelligi nõ poteſt, ut eo pacto eductio fiat, eſt proprium formę corporeæ ut à materia determinata dependeat; ergo ab ea determinata educitur: alias dici etiam poſſet, animas animalium imperfectorum non educi dependenter ab aliqua materia determinata. Similiter dari poſſet migratio formæ accidentalis à ſubiecto in ſubiectum contra cõmunem philoſophiam. Item fieri poſſet in animalibus perfectis, ut poſt multum temporis, ratione nutritionis, & diminutionis, omnis materia præexiſtens fuiſſet expulſa, & alia de novo adveniſſet, atque adeo ut conſervata eſſet tota illa forma abſque tota illa materia ex cuius potětia primum fuit educta: quod videtur abſurdum. Item unio formæ materialis comitatur actualem dependentiã formæ à materia; alias conſervabitur ſeparata, quod non eſt dicendum; ſed omnis forma materialis unitur toti materię; ergo à tota materia dependet; atquã

qui una pars formæ dependere non poteſt à tota materia adæquate; ſic enim darentur plures, cauſæ materiales adęquatę & immediatæ eiuſdem effectus; ergo à diverſis partibus materiæ dependent diverſæ partes formæ; ergo ſimili proportione educuntur. Quod adduci ſolet de indiviſibili, quod ſcilicet dependet à parte indeterminata, nihil valet: punctum enim, non uni parti ſecundum ſe totam copulatur, ſed ſecundum minorem & minorem, ut dicitur. At quo fundamento dicetur non poſſe aſsignari unam partem materiæ, quin aliæ minores & minores aſsignentur, à quibus hæc forma dependeat, cum ſit certum formas viventium determinare ſibi certam magnitudinem materiæ; ita ut in alia minore non valeat conſervari.

Tertio. Qualitas omnium operationum pandit naturam principij à quo fluunt, ut eſt in confeſſo apud omnes; ſed omnes operationes animæ materialis, etiam bruti perfecti, ſunt extenſę & diviſibiles, ut patet in ſenſatione externa, & ex hac de omni interna; omnes enim recipiuntur in ſubiecto extenſo, & pendent à potentiis, & ſpeciebus impreſsis formaliter extenſis; ergo & forma, quæ eſt principium earum operationum erit formaliter extenſa.

Quarto. Formæ imperfectorum animalium, ut concedunt Thomiſtæ ſunt diviſibiles; ergo perfectorum. Conſequētia patet, nam quædam animalia, quæ imperfecta dicuntur, ſunt perfectiora quā aliqua, quę vocentur perfecta; ſerpens enim perfectior eſt muſca, aut talpa, quæ inter perfecta recenſentur; habet enim plures ac perfectiores ſenſus; atqui forma ſerpentis eſt diviſibilis; ergo & talpæ; cur enim diviſibilitas formæ perfectiori tribuetur, & imperfectiori negabitur, cū alioqui indiviſibilitas ſignum ſit perfectionis in animalibus? Atque hinc ſumitur ratio à priori, nam forma ſerpentis eſt perfectior quam talpæ, atqui illa eſt diviſibilis, igitur diviſibilitas non provenit ex imperfectione formæ, ſed ex conceptu materialitatis, vel aſsignetur ratio cur ex his formis inæqualiter perfectis, perfectior ſit diviſibilis, alia non; quare cum omnes ſint materiales, erunt pariter diviſibiles.

Quinto. In anima rationali difficillime intelligitur ipſius indiviſibilitas coniuncta cum informatione materiæ extenſæ, ratione cuius eſt tota in tota materia, & in qualibet parte; ergo non eſt hæc prærogativa animæ materiali tribuenda ſine urgenti ratione, quæ hic nulla eſt, ut viſum.

Sed obiiciunt primo Ariſtotelem libro de iuventute & ſenectute, cap. 1. ubi poſtquam dixiſſet animas plantarum & animalium imperfectorum diviſas vivere, addit iſtud non contingere in optime conſtitutis animalibus, eo quod eorum natura maxime ſit una. Reſpondeo ſenſum Ariſtotelis eſſe, animam perfecti animalis dici magis unā quā animalis imperfecti, quia illa requirit maiorem unionem, & connexionem ſuarū partium, ſine qua unione conſiſtere non poteſt. Idē dici poteſt ad D. Thomam, appellare ſcilicet animas animalium perfectorū indiviſibles, non quia partibus careāt, ſed quia nequeāt dividi in partes quarum utraque conſiſtat ſine alia; nam per divi-

ſionem, aut una, vel utraque corrumpitur & deſinit vivere: ſicut etiam minimum naturale cuiuſvis viventis etiam imperfecti, dicitur indiviſibile, non quia partes non habet, ſed indiviſibile in partes, quæ poſt diviſionem conſervent eandem formam.

Obiiciunt ſecundo: Facta diviſione in his animalibus, aut nulla pars vivit, quando ſcilicet abſcinditur aliqua neceſſaria ad cōſervationem totius; aut vivit vna tantum pars, quando abſcinditur altera non ita neceſſaria; ergo ſignum eſt eorum animas eſſe indiviſibiles ſicut rationalis, alias cur non poſſent partes diviſæ brevi aliquo tēpore vivere ſicut partes animalium imperfectorū? Cōfirmat hanc rationem Caietanus, nam forma diviſibilis eodem modo reſpicit totum & partem, ideo poteſt in parte conſervari: anima vero indiviſibilis ſolum reſpicit totum per modum unius perfectibilis integri, unde in eo conſervari poteſt, & non in parte, ergo talis anima nō eſt diviſibilis. Negatur prima conſequentia, & reſpondetur, illud non provenire ex defectu partium, ſed tum ex maiori connexione partium; tum quia aliqua animalia, præſertim perfectiora, perfectiorem organizationem requirunt ratione proprię animæ, quam alia viventia minus perfecta, ſaltē quoad hoc; at organizatio diviſione diſſolvitur ſicut diviſo minimo naturali cuiuſvis viventis etiam imperfecti, neutra pars viveret; non quidem ob indiviſibilitatem animæ, ſed ob defectum magnitudinis debitæ. Ad confirmationem negatur antecedens, & inſtatur; egregie in eodem minimo naturali viventis imperfecti, cuius anima eſt extenſa, & diviſibilis, & tamen poteſt in toto conſervari, cum in parte non poſſit.

Obiiciūt tertio. Anima indiviſibilis, & materialis poſſibilis eſt, ergo iā erit producta, ſi autē aliqua eſt, horū animaliū perfectorū anima, ut ſuadent indicia indiviſibilitatis, quæ in ipſis cernuntur. Reſpondetur, talem formam eſſe impoſſibilem; non enim poteſt forma aliqua pendere in fieri & eſſe à ſubiecto diviſibili, & materiali, idque cōnaturaliter, quin ſit materialis, & habeat commēſurationem cum partibus ſubiecti, atq; adeo ex partibus integretur.

Obiiciunt quarto: Hæc indiviſibilitas ſuadetur ex conſenſu, & ſubordinatione facultatum & operationum, quam cernimus in diverſis partibus animalis perfecti; in eis enim etiam vehemens operatio unius potentiæ alterius operationem impedit, quæ indicant tales operationes oriri ab eadem indiviſibili anima, non à diverſis partibus eiuſdem animę. Reſpondeo, ſi aliquid probat, probare etiam de animalibus imperfectis, quæ etiam percuſſa in cauda movent caput, &c. Itaque ſolum probat omnes illas facultates & operationes eſſe radicatas in eandem eſſentiam animæ informantis continue omnes partes animalis. Ille etiam partium conſenſus oritur ex naturali connexione & ſympathia partium organicarum illius.

Obiiciūt ultimo. Animalia perfecta non augentur adquiſitione novarum partium formæ. Patet, quia ſic non fierent debiliora, ſed ſemper robuſtiora, ut ignis; ergo eorum formæ ſunt indiviſibiles. Reſpondemus antecedens eſſe falſum, ut conſtat ex doctrina de

gē-

generatione, imo ex ibi dictis refutatur opinio contraria: debilitatur autem vivens, licet adquirat partes formæ, quia repatitur ab alimento, ſicque langueſcunt eius vires.

Sed quæres, quid dicendum de eo quod narrat Ariſtoteles 3. de partibus animalium, cap. 10. Corpus animalis abſciſſo capite viſum eſſe progredi. Reſpõdeo, aut loqui de corpore animalis imperfecti, vel talem motum fuiſſe breviſsimum ortum ex impetu impreſſo à violenta partium ſeparatione, & agitatione ſpirituum adhuc in corpore remanentium. Alia quæ narrantur, ut de ariete truncato capite ambulante, item que de tauro, vel habuerunt eandem cauſam inſinuatam, vel ſunt fabuloſa, vel certe dæmonum præſtigiis præſtita ad hominum illuſionem.

DVBIVM IX.

Quas partes corporis anima citra controverſiam informet.

PRimo certum eſt, non unam principalem, ſed plures eſſe debere animantis partes, quæ ab animo informentur: nam anima eſt actus corporis phyſici organici, &c. at corpus organicum plures includit partes; ergo, &c. Firmatur, nam plures partes ſentiunt; at ſentire nequeunt, niſi informentur animo.

Secundo perſpicuum eſt, animam tametſi reperiatur in pluribus partibus corporis quantum ad ſubſtantiam & entitatem, minime tamen reperiri quantum ad omnes eius potentias & operationes; in quo diſcrepat ab aliis formis, quæ non ſunt actus corporis organici, ut videre eſt in igne, quæ eſt in quavis parte illius, etiam ſecundum omnes ſuas potentias & operationes; in quavis enim parte ignis habet calorem & ſiccitatem, quibus operatur; anima vero cum ad diverſas potentias depoſcat varia organa diverſis qualitatum temperamentis affecta, eas non habet in qualibet parte, ſed iuxta diverſitatem organorum; ut in organo viſus viſivam potentiam, in auditu auditivam, & ſic de cæteris.

Tertio, citra controverſiam eſt animam informare omnes illas partes, quæ in corpore inter ſe continuantur, & in quibus aliqua operatio vitalis, ſaltem nutritionis elicitur, cuiuſmodi ſunt partes organicæ, ut in arbore radix, & truncus; & in animali, caput, brachium, caro, oſſa, nervi, arteriæ, venæ, & ſimiles, quarum nulla eſt in qua anima non eliciat actum nutritionis, quas omnes Philoſophi, communiter fatentur animo informari, quamquam non defuere, qui opinarentur animam eſſe in ſolo cerebro, aut in corde. Videatur Toletus lib. 2. quæſt. 4. qui eorum fundamenta diſſolvit.

Quarto indubitatum eſt, organa omnia ſenſuum tam exteriorum quam interiorum, item appetitus ſenſitivi, & quæ inſerviũt intellectioni, & volitioni informari ab anima: quia in his partibus anima proprie ſentit & exercet alias operationes vitales enumeratas; non autem ſentit anima, nec exercet actum vitæ, ubi non eſt; ergo, &c.

Quinto, hinc deducitur tamen

quam omnino certum,non ſolum partes organicas, ut caput, brachium, &c. ſed etiam quamlibet partem, etiam minimam in eis incluſam, & cuncta ipſarum indi viſibilia vivere, & ab animo actuari. Ratio eſt primo,quia partes organicæ, non coagmentantur niſi ex his partibus minoribus,& indiviſibilibus:nec eſt maior ratio cur anima actuet partes quaſdam capitis,& non alias.Secundo, quia informatio animæ non eſt diſcontinua, & intervallis interrupta; ergo ſi anima actuat partes extremas capitis, etiam medias,& conſequenter omnes.Tertio,in omnibus cuiuſque organi partibus æque anima elicit operationem aliquā vitalem, ſaltem nutritionem;ergo non eſt maior ratio cur unam & non omnes actuet.

Sexto,deducitur etiam ut compertum, folia arboris, & partem corticis viridem, informari ab anima: quia in his deprehendimus vitalem operationem,nimirum nutritionem, ſive augmentum intus ſumptione factum.

Hæc certa, ſunt ambigua vero ſequentia, an informet capillos, dentes, ungues, ſanguinem,quatuor humores,ſpiritus vitales, & animales, ſemen, lac,& adipem, quod maioris claritatis gratia nonnullis dubiis explicabitur.

DVBIVM X.

An informet anima capillos, dentes,& ungues.

PRima ſententia vult hæc non vivere, neque augeri alimento intus ſumpto, ſed excrementis iuxta poſitis ad radices ipſorum, & per impulſum partium internarum, quo emittūtur foras excremēta,converti in formam capillorum, ungium, &c. Ita tenet Vazquez 1.par.diſp.113. c.1.n.2 & Galenus in libro Artis medicæ.

Secunda, concedit iſta vivere, non tamen eadē animalis anima, ſed alia vegetativa ſolum. Hæc ſententia non caret probabilitate,præcipue quoad capillos,& eſt Bonaventuræ in 4. diſtinct. 44. quæſt.1. & Durandi ibidem, q.1.

Tertia ſententia ait, informari eadem animalis anima, & in homine anima rationali. Eſt divi Thomæ in 4.diſt.44. quæſt.1.ar. 2.quæſtiuncula 3. ad tertium, & Scoti diſtinct. 3. eſtque probabilior.

Dico primo. Dentes informantur ab anima.Probatur,quia dentes vere augentur per intusſumptionem: cuius argumento eſt primo, quod ſicut cætera corpora vegetativa determinant ſibi certam magnitudinem, & figuram. Secundo, quod per fibras quaſdam, quibus quaſi radicibus creſcunt,carni adhærent.Tertio, quod ſunt quædam oſſa oris altiis ſimillima: unde ſicut cætera oſſa animātur,cui favet Ariſtoteles 2. de generatione animalium, cap. 4.inquiens, *Eandem rationem habere dentes, atque oſſa.* Tertio, quia ſunt partes integrales hominis, ſine quibus eſſet mancus, & impeditus in pluribus actionibus, ut locutionis,commeſtionis, &c. Sed dices: ergo ſentiunt per tactum. Reſpondetur,negando conſequentiam cum D. Thoma, & communiori, nam ad ſenſum tactum requiritur ſubiectum mollius,& melius temperatum:quare animā in dētibus & oſsibus non habe-

Ita D. Tho. Scotus, Conimbr. lib.1. de generat. cap.4 q.13. Hurtad. ſupra §.38.& 42.

habere diſpoſitiones potētiæ ſenſitivæ, ſed vegetativæ tantum, atque ita dolorem, quem in oſsibus, dentibusve ſentimus, non ab ipſis, ſed à nervis quibus carni inhærent, prouenire: quod etiam ſentit Vazquez, eſtque ſatis probabile, neque in contrarium habet, quod urgeat.

Dico ſecundo. Vngues, & capilli informantur ab anima: videtur eſſe Ariſtotelis hoc libro 1. texto 39. & lib. 3. cap. 13. ubi ait, eſſe partes, actu, eſtque expreſſa D. Thomæ. Ratio pro utriſque eſt, quia hæc augentur, & nutriuntur ab intrinſeco, tum ipſius animalis affectionas ſubeunt; fiunt enim duriores, cum animalis corpus ætate ſolideſcit, cum tamen in pueris teneriores ſint: cumque animalis calor langueſcit, nec poteſt humidum perfecte decoquere, capilli etiam eundem patiuntur defectum, ideoque caneſcunt: nec ſolum illi, qui tunc foras emittuntur, ſed etiam alij, qui iam antea erant prælongi: quæ ſigna ſunt eadem animalis anima informari. Ratio peculiaris pro vnguibus, tum quia ſimiles oſsibus, ac dentibus in diſpoſitionibus, & modo nutriendi; tum quia ſunt partes manus, illam ad ſuas operationes iuvantes, quod etiam docuit Galenus, licet reſtringat ad eas ſolas unguiū partes, quæ ſunt radici proximiores, tamen eadem eſt ratio de omnibus. Ratio etiam pro capillis, quia folia, quæ in arboribus capillis reſpondent, & plumæ in avibus, vivunt, & ab intrinſeco nutriuntur: quod patet ex earum organizatione, & venarum multitudine; ergo & capilli in animalibus.

Dices: ergo in Chriſto hæc unita ſunt hypoſtatice verbo. Reſpondeo, ita eſſe admittendum, ut explicat Suarez 1. tomo, in 3. par. diſput. 15. ſect. 5. Nec eſt inconveniens per iſtorum reſolutionem aliquas unionis partes fuiſſe deſtructas, id enim in continua nutritione, & reſolutione partium etiam perfectarum cōcedi debet.

Obiicitur pro ſecunda ſententia primo, quia cęterę partes animalia habent certum tempus ac terminum creſcendi, capilli vero, & ungues ſemper creſcunt, etiam cum aliæ partes animalia non augeſcunt; ergo, &c. Reſpondetur, non poſſe in infinitum augeri; quare habere certos terminos augmenti, tametſi toto vitæ tempore creſcant, quia ſemper adeſt excrementitius humor, quem in propriam ſubſtantiam convertunt: ſicut dentes creſcunt tota vita, ut omnes fatentur, quos tamen probabilius eſt animari.

Secundo, cadaver non informatur anima animalis, & in eo augentur capilli, & ungues; ergo, &c. Reſpondetur, non augeri reipſa, licet ita appareat, apparet autem, quia conſumpta carne infimæ partes ungium, & capillorum patefcunt, quæ antea intra carnem latebant.

Tertio, ut docet Ariſtoteles 3. de hiſtoria animalium, cap. 10. hecticis, & tabidis, quorum aliæ corporis partes conſumuntur potius, quam augentur, adhuc tamen plus augentur ungues, & capilli, quod ſignum eſt illud incrementum non ab anima animalia oriri, ſed à propria diſtincta. Reſpondetur ex eodem Ariſtotele 2. de generatione animalium, cap. 4. ægrotantes eo quod minus alimenti convertant, abundare magis excrementia ad unguium, & capillorum augmentum.

VI-

Vltimo credibile non eſt, in capillis hominis, ad terram uſque protenſis, animam eſſe rationalem; ergo. Reſpondeo, non eſſe illud incredibile, ſed probabile, cum ita videatur Philoſophis ſapientiſsimis.

DVBIVM XI.

An humores informentur anima.

EXagitatur præcipue hæc controverſia de ſanguine, quod tamē de ſanguine dixerimus, dictum volumus de aliis humoribus, ſcilicet pituita, bili atra, & flava; hi enim humores eodem modo ſe habent reſpectu corporis animalis, quo ſanguis.

Prima ſententia aſſerit, ſanguinem vivere, & animalis anima informari. Ita Bañez 1. de generatione, cap. 4. quæſt. 8. art. 5. Toletus hic quæſt. 4. & Mendoça diſp. 1. ſect. 6. & alij.

Secunda ſententia eſt Caietani 3. par. quæſt. 5. art. 2. & quæſt. 54. art. 2. duplicem ſanguinem diſtinguentis, unum nutrimentalem aut venalem, qui minus coctus eſt, & in venis continetur: alterum arterialem, in arteriis reſervatum, & magis elaboratum, huncque eſſe ad integritatem naturæ animalis pertinentem; quare hunc ait eſſe animatum, non priorem.

Ita quāplurimi Theologi, & Philoſophi, præſertim Suarez, to. 2. in 3. p. diſp. 15 ſect. 6. Vazquez

Sit tamen prima concluſio. Sanguis non informatur animalis anima, nec vivit. Suadetur ex Ariſtotele 2. de partibus animalium, cap. 3. & lib. 3. cap. 5. ubi ait, *Sanguinem eſſe materiam totius corporis, & membrum illius in potentia*, quod verum nō eſſet, niſi ſanguis eſſet in potentia, ut per nutritionem ſubſtantialiter transmutatus in aliquam aliam partē viveret eadem anima, qua reliquę partes, & ex D. Thoma tum 1. par. quæſt. ultima, art. 1. ad tertium, ubi ait, *Humidum nutrimentale eſſe id, quod non pervenit ad ſuſcipiendam perfectè naturam ſpeciei, ſed adhuc in via eſt ad illam, ſicut ſanguis*: & 3. par. quæſt. 31. art. 8. ad primum ait, carnem, & oſſa eſſe actu partes viventis, ſanguinem vero minime; additque Chriſti Domini corpus, non debuiſſe ex aliqua Virginis parte formari, quia hæc non potuiſſet ab ea auferri, ſine diminutione integritatis ſubſtantiæ ipſius, & decens non erat, ut qui venerat corrupta reparare, ullam inferret matri corruptionem, ſed ait, formatū eſſe ex ſanguine virgineo, qui non eſt, inquit, actu pars, quæ loca Thomiſtæ ſiniſtre exponunt, ut legenti conſtabit, & notat Vazquez ſupra numero 20.

diſp. 36. c. 5. Conimbr. 1. de generatione, cap. 4. q. 24. artic. 2. Valles lib. 2. cōtroverſiarum, c. 4. & communiter Medici cum Galeno lib. 4 de uſu partium.

Suadetur primo ratione: nam ſanguis eſt immediatum alimentum viventis, ut Schola Ariſtotelica, & Medica cum ratione teſtatur; ideo enim à iecore per omnes partes corporis diſpergitur, ut iſtæ agant in illum, & in ſe cōvertant; ſed alimentum debet eſſe diverſæ rationis à vivente, ut in illum agere, & in ſuam ſubſtātiam viventem convertere poſſet; ergo ſanguis non informatur anima, præſertim totius viventis. Reſpondet Hurtadus, ſanguinē etiam viventem anima rationali eſſe poſſe alimentum, quia cum cōſtet temperamento diverſo, ac cæteræ partes, id ſufficit ut aliæ in ipſum agant, & in ſe convertant; ſic enim ſæpe urgente fame propter inopiam alimēti, una

pars

pars viventis robuſtior, agit in aliam diverſi temperamenti, & ea alitur. Sed contra, nam ſi ſanguis iam eſſet informatus anima rationali, cur, quæſo, ſtatim deberet amittere illam unionem, & ſtatim cum eadem anima aliã in nutritione ſubire? Deinde illa nutritio, quę ſervit ſanguini, non eſſet vera converſio alimenti in ſubſtantiam vivẽtis; ſi enim iam iſtud alimẽtum eſt ſubſtantia vivens ipſius viventis, & eadem anima informata, quomodo converti poteſt in ſubſtantiam eiuſdem viventis? Demũ falſum eſt, unam partem viventis alia immediate ali urgente fame, tantum enim aluntur omnes tunc adipe, qui ſanguis eſt excrementitius, & inanimatus, ſparſus per corpus, & quaſi ſepoſitus ad huiuſmodi defectionem ſupplendam.

Secundo. Sanguis extra corpus fluens, eiuſdem eſt rationis ſpecifice cum ſanguine intus remanente, & continuus cum illo: verbi gratia, quando ſciſſa vena profluit: neque enim eſt probabile ſola ruptione venæ, & ſanguinis fluxu repente fieri mutationem ſubſtantialem; ſed non eſt credibile ſanguinẽ foras emiſſum informari anima; ergo neque ſanguis intus manens. Dicunt, ſanguinem fuſum, & ſeparatum ab homine donec retinet calorem, retinere etiam animam rationalem. Sed contra, ergo manus abſciſſa informatur anima quamdiu calorem conſervat, qui durat aliquantulum, & reperitur cum forma cadaveris, ut patet in homine recens mortuo: nam per te ſanguis eſt pars tam integralis, quam ipſa manus. Secundo, fuſo toto ſanguine, & homine ea ſola cauſa mortuo, manebit aliquando adhuc anima in ſanguine, & non in homine, aut homo etiam vivet ſine omni ſanguine, quæ videntur abſurda.

Tertio. Sanguis non continuatur cum cæteris partibus; ergo neque animatur anima totius. Hurtadus negat antecedens, quia ſanguis iecori, & vicinis partibus corporis magis fluidis continuatur, & totus corporis ſanguis eſt continuus. Addit propter hoc argumentum, ſi vim haberet, oſſa non animari, quia eorum continuatio difficilior videtur: verum maior ratio eſt, ut oſſa cæteris partibus dicantur continuari, quã ſanguis, nam illa difficillime à carnibus evelluntur, ſunt fixa, nunquam ſponte ſeparantur à reliquis partibus, iſte vero facillime ſeparatur, inſtitutuſque eſt ut toto diſcurrat corpore, venis deinde inſciſsis totus omnino effluit, imo & ſæpe ſponte. Vnde argumento ad hominem contra Hurtadum: nam nulla pars integralis continuata corpori ex illo effluit; quod ipſe ait, §. 30. probãs ſemen ideo non continuari cæteris partibus, nec vivere; ſed ſanguis etiam incorruptus ſæpe ſpõte effluit; ergo neque erit pars integralis continua viventi.

Quarto. Sanguis non præ ſe fert operationem ullam vitalem, aut aliud indicium vitæ; non enim nutritur per omnem ſuam partem, ſed additione ſola novi ſanguinis in hæpate geniti, ut cum Galeno docent Medici, ſicut vinum augetur in dolio per infuſionem alterius vini; non item præ ſe fert ullã organorũ varietatem; ergo non informatur ab anima. Dices, ſanguinem eſſe generale organum ad præſtandas plures animi operationes, quæ

Ff di-

dicũtur animi paſsiones, ut ſunt ira, odium, &c. Reſpondeo, falſum eſſe ex vero ſanguinis influxu fieri tales actus: nam potius ob ſympathiam, & ſecretam connexionem, aut virtute attractrice, aut expultrice, ex illis affectibus, & paſsionibus animæ, oriuntur phyſice alterationes, & commotiones ipſius corporis, quibus ſanguis etiam commovetur.

Quinto. Si ſanguis eſſet actualis pars informata ab anima, deberet ſanguis Chriſti ex vi verborũ contineri ſub ſpeciebus panis eodem modo quo oſſa & nervi, & non propter ſolam concomitantiam: cuius tamen contrarium docet Concilium Tridentinum. Sequela ex eo vim habet, quia vi verborum integrum Chriſti corpus, cum omnibus ſuis partibus, continetur ſub ſpeciebus panis.

Prædictæ rationes æqualiter probant de omni ſanguine: nam licet unus eſſe poſsit altero purior, non tamen diverſæ ſpeciei; nulla enim ſunt talis diverſitatis in Philoſophia inditia: quare diſtinctio Caietani communiter exploditur.

Secunda concluſio. Negandum non eſt ſanguinem, eſto non animetur, eſſe partem quandam corporis animalis. Pro quo adverte, in animali alias eſſe partes phyſicas eſſentiales, ut materiam, formam; alias integrantes, & vere viventes, cæteris partibus continuas, ut caput, collum, &c. alias quæ ſunt neceſſariæ ad integritatem eſſentialium, & integralium, ſeu totius viventis integri & perfecti, quales ſunt quatuor humores & ſpiritus vitales, & animales. Nunc ergo dicimus, ſanguinem eiuſmodi eſſe partẽ, quæ pertineat ad integritatem, veritatem, & conſiſtentiam totius, ita ut ſine eo nequit vivere, neque vivens integrũ appellari valeat, Primo, quia Verbum Divinum aſſumpſit integram naturam humanam; ſed aſſumpſit ſanguinẽ, ut eſt omnino compertum; ergo ſanguis eſt pars naturam humanam integrans. Secundo, quia in corporibus Glorioſis, ut eſt commune Theologorum placitũ, erit ſanguis cum cæteris humoribus; ſed tunc non deſerviet ad alimẽtum; ergo ſolũ erit, quia eſt pars ad illorum corporum integritatem neceſſaria.

Opponit primo Hurtadus. Vita verſatur in ſanguine tanquam in ſede propria; ſed anima eſt vita; ergo in ſanguine verſatur, ipſumque animat. Maior videtur conteſtata ſacris literis, præcipue Levit. 17. ubi dicitur, animam omnis carnis in ſanguine eſſe, id eſt vitam eſſe in ſanguine ut in ſede præcipua. Cui ſenſui favet Auguſtinus quæſt. 57. in Leviticum, *Aliquid vitale*, inquiens, *eſt in ſanguine, quia per ipſum maxime in hac carne vivitur. Ipſam vitam corporis vocavit animam.* Reſpondeo, vitam omnis carnis in ſanguine eſſe uti præcipua ſede, quia ſanguis eſt ſedes calidi, & humidi naturalis per omnia membra diffuſi, ſine quibus vita cõſiſtere nequit. Vel etiam quia eſt immediatum viventis nutrimentum, quod non cadit in alia remota, uti Hurtadus obiicit.

Opponit ſecundo. Sanguis eſt vera hominis pars; igitur animo rationali informatur. Conſecutio liquet, quia non eſt alia anima totius, & alia partium, cæteroqui totus homo non eſſet unum ens per ſe; ergo cum anima rationalis

ſit

ſit una forma indiviſibilis, ipſiſſima informat omnes partes continuas corporis humani. Antecedens oſtenditur primo ex Innocentio III. in quadam extravaganti de celebratione Miſſarum, ubi docet, aquam, & ſanguinem fluxiſſe è latere Chriſti, ut oſtenderetur Chriſti corpus habuiſſe quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis conſtitutionem; ſed homo vere conſtituitur ſolis ſuis partibus; ergo quatuor humores inter quos eſt ſanguis, ſunt veræ partes hominis. Secundo, nam illa eſt pars integralis hominis, ſine qua ipſe manet mutilus, & mancus; ſed talis manet ſanguine exinanitus; ergo ſanguis eſt eius pars integralis. Minor iſta probatur: nam homo ſanguine effuſo manet inutilis ad quamvis fere vitæ functionem, & illico exanimatur multo magis quam manu, aut brachio amputatis; ergo ſine ſanguine manet mutilus, ſicut ſine brachio aut manu, atque adeo potiori iure ſanguis erit pars integralis, quam brachium & manus. Firmatur, quia dici nequit hominem ſanguine fuſo inutilē reddi, & exanimari eo quod ſanguis ſit alimentum, & deficiat, nam partibus nō tanta ineſt voracitas, ut exiguo tempore defectum alimenti non ſuſtineant: cauſa igitur eſt, quia deficit una è præcipuis partibus hominis à qua reliquæ pendent. Reſpondeo, primum antecedens cum utraque ſua probatione conſentire cum aſſertione noſtra ſecūda, nec amplius efficere. Quoad probationem primæ conſecutionis dices, non eſſe incommodum ut homo integer, quatenus complectitur omnia genera partium, quæ pertinent ad conſiſtentiam & veritatem integri animalis, nō ſit unum per ſe continuatione, & quaſi mathematice; ſatis enim eſt ut ſit unum per ſe ordinatione phyſica, id eſt ut conſtet partibus, quę omnes per ſe phyſice ordinentur ad complementum integri animalis, & ad conſervationem eius vitæ & functionis, quod ſanguini maxime convenit. Imo hoc admittendum eſt neceſſario in oppoſita opinione, in qua probabilius cenſetur non animari capillos, qui tamen ſunt pars pertinens ad hominis integritatem, nam ſine illis homo, ſicut avis ſine plumis, mutilus relinquitur. Ad confirmationem cauſa cur homo fuſo ſanguine ſtatim exanimetur, nō eſſe præciſe, quod ſit alimentum, ut bene ibi probatum, ſed quod ſit quoddā generale inſtrumentum animæ ad ſuas functiones, & ad generationem ſpirituum vitalium, & animaliū, quorum miniſterium ad motum & ſenſationem animalis eſt maxime neceſſarium.

Opponit tertio. Chriſtus Dominus vere aſſumpſit ſanguinem, quod ſine nota temeritatis, ut docet Suarez, aliique Theologi, negari non licet; ſed non aſſumpſit naturam irrationalem; igitur ſanguis eſt animatus animo rationali. Quod ſi reſpondeas, minorem non eſſe abſolute veram, primo quia tametſi Chriſtus non aſſumpſerit naturam irrationalem ſolum, aſſumpſit tamen illam, quæ ad complementum rationalis uti ſanguis pertinet. Secūdo, quia forma irrationalis cadaverica, quæ ſucceſsit in materiam pro Chriſti Domini anima, vere fuit unita hypoſtatice Verbo Divino in triduo mortis, & tunc Deus erat cadaver. Inſtat contra primum.

Aſſumptio corporis & animi ſufficiebat ut Deus eſſet verus homo, quin aſſumpſiſſet ſanguinem forma irrationali informatum, ſicut homo eſt verus homo ſine ſanguinis animatione, & propterea obiicit, quod præ ſe ferre videtur quâdam indignitatem, ut Deus eſſet vere ac denominaretur perſona irrationalis, v.c. ſanguinis. Inſtat contra ſecundum, allud falſum eſſe, tum quia operi redemptionis opus non fuit talis aſſumptio cadaveris, atque ita corpus Chriſti Domini ſemper retinuit hypoſtaſim divinam, cadaveris autem forma propria caruit ſubſiſtentia, tum quia nequit aſſumi natura irrationalis, quod à ſe 3. p. late oſtenſum ait.

Reſpondeo, appoſite illi eſſe reſponſum. Ad primam inſtantiam adde, ſanguinem fuiſſe aſſumptum, etſi non informaretur anima rationali, quia pertinet, ut dictum, ad naturæ rationalis complementum; quam Verbum integram & perfectam aſſumpſit: unde nequit dici Verbum aſſumpſiſſe duas naturas abſolute, unam rationalem, aliam irrationalem, quia ſanguis ut complementum aſſumptus, ideoque nec Deus denominatur perſona irrationalis, nec poteſt dici Deus abſolute ſanguis, ſicut nec dicitur manus, ſed ſolum ſanguis eſt pars Chriſti, vel Dei, ſicut & manus ſimiliter dicitur pars Dei. Accedit, quod licet Deus diceretur ratione unionis hypoſtaticæ cũ aliqua natura irrationali irrationalis perſona, nullam indignitatem id prę ſe fert, ſed ſolum ſummam Dei potentiam, ut bene ex Tertulliano docet Vazquez infra. Ad ſecundam inſtantiam, probabilius iudicari à Suarez tomo 2. in 3. par. diſput. 38. ſect. 3. in fine formam cadaveris in triduo conſequenter, & velut in via aſſumptam, quia illa forma non potuit manere ſine aliqua ſubſiſtentia, aut ſaltem termino ſubſtantiali. Sed id omiſſo Theologis, maior eſt ratio cur natura ſanguinis inanimati aſſumeretur, quia erat pars integræ naturæ rationalis aſſumptæ; quod vero ſubdit naturam irrationalem non poſſe aſſumi, verum non eſt, ut optime Vazquez oſtendit tomo 1. 3. partis, diſp. 33. cap. 2. & 3.

DVBIVM VLT.

An ſpiritus vitales, & animales, ſemen, lac, & adeps animentur.

COmmuni Medicorum doctrina tenuiſsimæ quędam ſubſtantiæ dantur in animali à quatuor humoribus diſtinctæ, & exquiſitiſsime elaboratæ à natura, quæ ob maximam tenuitatem, ac ſubtilitatem ſpiritus vocantur, horum alij vitales ſunt, alij animales; vitales generantur ex ſanguine defæcatiſsimo in ſiniſtro cordis ventriculo, ibique à corde inſignem, maximeque actiuum calorem concipiunt, quo deinde per arterias in totum corpus diffuſi, natiuum calorem omnium partium fovent, & ſunt præcipua inſtrumenta vitæ, & operationum eius. Animales generantur in cerebro, ex ſpiritibus vitalibus perfectius ibi elaboratis, recipiuntque nobiliſſimas qualitates, & diffunduntur per nervos, ſuntque inſtrumenta

menta ſenſus, & motus.

Cōmunior ergo ſententia fert, hos ſpiritus non eſſe animatos, licet pertineant ad integritatem naturæ animalis: quod eiſdem rationibus probandum, atque de ſanguine; ſunt enim tenuiſsimæ defęcati ſāguinis particulę. Quos etiam aſſumptos à verbo eſt probabilius, nam etiam ad veritatem naturæ pertinent, quatenus ſine illis neque operari, neque vivere valeat, ſicut neque ſine ſanguine.

De lacte Ariſtoteles 4. de generatione animalium, c. 8. aliique apud Conimbr. 1. de gener. cap. 4. quæſt. 25. docent generari ex ſanguine menſtruo à fæce, & ſordibus purgato, quem ubera virtute attractrice ſugunt per venas, decoquunt, & albedine, dulcedine, aliiſque proprietatibus perfundunt, ideo in fœminis poſt conceptum fœtum ceſſat fluxus menſtrui ſanguinis, ut hoc debite attemperato fœtus alatur tam intra, quam extra uterum. Inde etiā fit, ut poſt alterum conceptum, ceſſet lac in fœminis, quæ ſanguine non abundant: quia in fœtum in utero alendum derivatur. Poteſt etiam lac ex alio ſanguine quam ex menſtruo generari, tametſi ex hoc communiter oriatur. Vt erudite probant Conimbricenſes 1. de gener. cap. 4. quęſt. 25. artic. 1. Non conſtat vero inter Authores, an lac ſpecie differat à ſanguine. Aliqui illud tātum accidentibus diſtinguunt, & aiunt, lac eſſe ſanguinem bene concoctum. Alij volunt diſtingui ſubſtantialiter, quia id indicet accidentium diverſitas: & ij Ariſtotelem dicentem lac eſſe ſanguinē bene concoctum explicant in ſenſu cauſali, quia ſcilicet ex ſanguine proxime generatur. Conimbricenſes loco proxime citato utrumque probabile iudicant.

Quovis tamen modo dicendum, lac non vivere actu, tum quia eo nutriuntur ubera, tū quia non nutritur per intusſumptionem ſecundum omnem ſuam partem, ſed per additionem novi lactis in uberibus geniti.

De ſemine dicendum, nullum ſemen iam elaboratū, atque perfectum vivere. De ſemine animalis ſuadetur 1. ex Ariſtot. 2. de generatione animalium, cap. 3. ante finem, ita de ſemine loquente: *Nam illud quoque*; id eſt ſemen, *excrementum eſt, habetque omnes partes*: nempe viventis, *potentia, actu nullam*. Vbi bis negat ſemen vivere, ſemel illud vocans excrementum, iterum aiens nullam eſſe illi partem viventis actu & formaliter. Suadetur ſecundo ratione. Nam ſemen animalis elaboratū, nullum habet vitæ indicium; ergo vita caret. Antecedens probatur, quia ſemen non continuatur cum cæteris partibus viventis, & ab ipſis ſponte recedit; nec alitur per intuaſumptionem, nec habet in ſe organa, quæ omnia conſtant ex anatomia; nec denique pertinent ad conſtitutionem animalis, ut liquet in animaſculis recens genitis, quæ ſeu ine carent. Neque obſtat ſemen concurrere ad generationem, cum concurrat ut inſtrumentum viventis, quod neceſſario non debet eſſe vitale.

Opponis primo, luxurioſos ut plurimum eſſe macios, & exiles: id autē provenit, quia illis deeſt pars animata, quæ eſt ſemen: ergo, &c. Reſpondeo, deeſſe illis immediatum alimentum, nimirum ſanguinem, & partem animatam, nempe carnem; ex ſan-

guine enim, & carne fit ſemen, & quo plus ſeminis effunditur, eo plus ſanguinis, & carnis perit converſione in ſemen: ideoque luxurioſi defectu ſanguinis, & carnis graciles fiunt.

Opponis ſecũdo, ſpadones cenſeri homines mancos, quia illis deeſt ſemen; ergo ſemen animatur. Reſpondeo, id non oriri præciſe ex defectu ſeminis (alioquin puer etiam omnis mancus eſſet) ſed qui eis præſcinduntur nervi, quin ſunt ſeminis fabri, nervi autem ſpectant ad hominis integritatem, & animantur.

De ſemine plantarum iam perfecte elaborato, probant aliqui ex D. Thoma 1. contra gentes, cap. 89. ubi abſolute negat vitam ſemini. Secũdo probatur, quia plantarum ſemen non eſt perfecte elaboratum, donec habeat magnitudinem, decoctionem, & maturitatem generationi ſufficientem; ſed quando has omnes conditiones habet nullum præ ſe fert vitæ argumentũ; ergo perfecte elaboratum non vivit. Minor oſtenditur, quia ſemen arboris cum has omnes cõditiones habet ſpõte ab arbore decidit, quod ſignũ eſt non continuari cum arbore, neque eius vitam vivere. Separatum autem ab arbore, nec alitur per intuſſumptionẽ, nec ſeipſum in ſtatu naturali movet, nec in eo cernuntur organa; nec habent aliquem vitalem actum, ad quem illis egeat; nec denique pertinet ad perfectam alicuius viventis conſtitutionem; ergo, &c.

Opponis primo. Semen dum eſt in arbore, vel planta continuatur cum ipſa; ergo vivit vitam eiuſdem plantæ. Patet conſequentia, quia quæ ſpecie diſcrepant, continuari nequeunt. Diſtinguo antecedens: ſemen continuatur cum arbore dum eſt in illa ante decoctionem, & maturitatem, concedo; poſt, nego. Et ſic in primo ſtatu concedimus vivere, quia tunc non eſt ſemen, utpote ineptum generationi.

Opponis ſecundo. Dum eſt in arbore ſemen alitur per intuſſumptionem; ſed hæc eſt propria viventis; ergo, &c. Diſtinguo ſimiliter antecedens, alitur per intuſſumptionem ante maturitatem, concedo; poſt, nego. Quod explico & confirmo hoc exemplo. Cortex, ſeu nux iuglantis, vel amygdali antequam nucleus perfecte elaboratus, & maturus ſit, alitur per intuſſumptionem, & vivit; at nucleo perfecte elaborato, nux nec alitur, nec vivit, ut concedunt omnes; ergo idem erit de ipſo nucleo, ſive ſemine.

Opponis tertio. Sive ſit ſemen in planta, ſive decerptum ab ipſa, habet figuram organicam, & heterogeneam, quæ proprie viventis eſt; ergo vivit. Reſpondeo, negando in ſemine plantæ perfecte elaboratæ eſſe partes vere organicas, nam iſtæ non ſolum conſiſtunt in externa figura; ſed in aptitudine ad eliciẽdos actus vitales, quales non habet ſemen maturum. Vnde partes eius non ſunt magis organicæ, quam partes cadaveris, ſcilicet ſpecie tenus. Et confirmatur exemplo nucis aridæ, quæ retinere videtur figuram & partes organicas, non tamen habet, quia non ordinat eas ad ſeipſam in ſtatu naturali movendam.

Opponis quarto. Semen plantarum non vivit, ergo non concurrit principaliter ad illarũ generationem; ſed non eſt alia cauſa ſecunda, quę principaliter concurrat;

currat; ergo ſola prima. Concedo utrâque conſequentiam. Quod etiam videtur dicendum ab iis, qui ſemini plantarum vitam tribuunt. Nam ſemen, verbi gratia, pinus, non vivere eandem ſpecie vitam cum pinu, videtur evidens, tum ex accidentibus externis, tû quia non apparet, cur ſi eandem ſpecie vitam viveret, ab eo diſcontinuaretur. Solum ergo vivet aliâ vitam imperfectiorem; ergo non poterit principaliter concurrere ad generationem pinus.

De adipe, unde gignatur, & ad quid inſerviat, Medicorum eſt diſputare: nobis dicendû cum communi ſententia, illum non vivere. Sic Ariſtoteles 1. de generatione animalium, cap. 10. ubi docet, adipem eſſe excrementum ſicut ſemen. Ratio eſt, quia adeps nullam oſtêdit vitæ functionem, nec ſpectat ad conſtitutionê animalis. Et ſi alimentum deficiat, dicunt multi inſervire adipem aliarum partium nutritioni.

Ex dictis liquet, ſalivam, ſudorem, & lacrymas non eſſe animata, imo nec pertinere ad integritatem viventis, nec veritatê, cum ſint quædam excrementa. Vnde iſta non erunt in corporibus glorioſis, & tametſi in Chriſto in hac vita fuerint, non tamen erant unita hypoſtatice Verbo Divino.

DISPVTATIO SECVNDA,

De quidditate animi rationalis.

MIRVM ſane quam varie varij philoſophati ſint Philoſophi veteres de Rationali animo, quam diſſone de illo ſenſerint, quam perperam illius naturam tradiderint. Sed quid mirum? quid cæcus de coloribus? Vera luce deſtituti, nihil niſi abſonum poterant evulgare: commodius nos ex hiſce tricis explicabimur.

DVBIVM I.

An anima rationalis ſit ſpiritalis.

VIdimus dub. ſuperioris diſputationis animam rationalem eſſe actum informantem, ſeu formam humani corporis, non tantum ut vegetantem & ſentientem, ſed etiam ut rationalem: nunc videndum, an ſit ſpiritalis actus.

Errarunt turpiter plures veteres Philoſophi, qui animam noſtram corpoream faciebant: Zeno enim ignem eſſe dixit: Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras aërem, quos forte Varro imitatus eſt, qui referente Lactantio Firmiano libro de opificio Dei, ita animam humanam deſcripſit, *Anima eſt aër conceptus ore, deferveſactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus.* Hippaſus quoque, & Parmenides animam igneam fecere: Empedocles ſanguinem, Critias ex ſanguine & humore compoſitam. Quos forte Latinus Poëta ſequitur, cum ait *purpuream vomit ille animam.* *Virgil. Aeneid, 9.*

Cor-

Corpoream quoque humanam animam eſſe arbitrarunt Cleantes, Chryſippus, ac fere omnes Stoicæ familiæ alumni. Et in lege veteri Sadducæi, qui Sadducæum quemdam Magiſtrum ſecuti, ut in Actis Apoſtolorum legitur, neque reſurrectionem, neque Angelos, aut ſpiritus credebant. In eundem errorem lapſi ſunt Apollinaris Alexandrinus, uti refertur lib.5.hiſt. Tripartitę, cap.44. & Tertulianus in ſuo lib.de anima,& de carne Chriſti, ut etiam teſtatur D. Auguſtinus lib.1.de Geneſi ad liter.c.25.& in lib.de hæreſ.cap.86.& in epiſtol. 157. ad Optatum. Neque enim Tertulianus noſtram animã eſſe corpus voluit, eo ſenſu quo explicat Auguſtinus, id eſt vere & realiter exiſtentem,quo modo dicit Paulus in Chriſto habitare omnem plenitudinem gratiæ corporaliter, ſed in eo ut velit eſſe proprie corpus, ut bene Conimbricenſes lib.2.c.1.q.6. vide apud ipſos.

Eſſe tamen ſpiritualem teſtatur primo auctoritas ſacrarum litterarum, ubi ſæpe ſpiritus appellatur,ea ſignificatione, qua ſpiritus à corpore diſcrepat,ut Eccleſiaſte ultimo, *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Et Lucæ 23. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.*& 24.*Palpate,& videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet*.& 27.*Clamans voce magna, emiſit ſpiritum*, id eſt animam Ieſus efflavit. Et ad Romanos 8.*Spiritus Sanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro*.

Secundo,definitio Eccleſię,quę in Decretalibus tit. 1. de ſumma Trinitate & Fide Catholica,c.firmiter,quod eſt primum ita ſancit *Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit* (id eſt Deus) *creaturam corporalem,& ſpiritualem; Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem, ſpiritu,& corpore conſtitutam*, cui definitioni omnes Patres cõſentiunt, ut videre licet apud Conimbricenſes citatos.

Vltimo vera Philoſophia,nam operationes pandunt naturã rei, ſed multę operationes animæ ſũt omnino ſpiritales, & tranſcendunt limites cuiuſvis naturę omnino materialis, igitur anima unde oriuntur ſpiritalis eſt. Minor patet primo in cognitione; Anima enim intelligit omnia rerum genera, omneſque gradus naturarum, concipit Deum & Angelos, & rationes rerum univerſales à ſingularibus & materia ſenſibili,loco,& tempore abſtractas, ipſaſque per ſe ſpeculatur. Perveſtigat rerum omnium rationes, cauſas, & effectus, & mirabili conſecutione inter ſe ratiocinando connectit; reflectit ſupra ſuos actus, in eoſque de veritate, ſeu falſitate ut iudex diſquirit. Cognoſcit non ſolum quæ ſunt,ſed etiam quæ non ſunt, fingit enim quidlibet ac novos in ſua mente mundos architectatur. Secundo, in voluntate, quæ non ſolum appetit bona tantum corpori conſentanea,ſed etiã rationi, quamvis ſæpe ſint contra appetitus ſenſitivi propenſionem. Tertio, in libero exercitio voluntatis quo ſe libere veluti domina,in quodvis obiectum inflectit, & a quovis deflectit, neque more belluino trahitur,ut liquet ex dictis de Fine;iſtę autem actiones in rebus omnino materialibus locum non habent; ergo ſunt ſpiritales, & à ſpiritali principio.

Op-

Oppones. Si anima hominis ſit ſpiritalis, non eſſe hominem unum per ſe, nã ex una parte ſubſtantiali, alia accidentali unum per ſe non conſurgit, ergo neque ex una parte materiali alia ſpiritali. Negatur conſecutio, quia ut ex partibus conſurgat unum per ſe, requiritur ut ſint eiuſdem ordinis, & prædicamenti, non vero ut ſint eiuſdem omnino rationis. Quare cum materia & anima rationalis ſint eiuſdẽ prędicamenti & ordinis ſubſtantiæ efficiunt unum per ſe, tametſi una ſit materialis, alia ſpiritalis, ſicut etiam unum per ſe conflant propter eãdem rationem ſubſiſtentia Verbi Divini & natura humana Chriſti Domini, licet illa ſupernaturalis, hæc naturalis, & ſimiliter natura humana & ſubſiſtentia, quamvis illa res, iſta modus: at pars ſubſtantialis & accidentalis ſunt ordinis omnino diverſi, ideoque non poſſunt in unitatem entis per ſe convenire.

Nota in fine, multos ex ſanctis Patribus antiquis animam rationalem corpoream vocaſſe, quod non ita accipiendum, quaſi velint animam re ipſa corpus eſſe, aut conſtare corpore, ſed ut indicent animam comparatione Dei, quodammodo fæce corporea concretam eſſe, cum ab illa divinæ mentis ſimplicitate & excellentia infinite diſtet. Quod eo etiam patres faciebant, ut eorum amentiam exploderent, qui animam humanam de Dei ſubſtantia progenitam faciebant.

***

DUBIUM II.

An anima rationalis ſit omnino indiviſibilis, & exiſtat in toto corpore.

ASſertio prima. Animus rationalis omnino eſt indiviſibilis, id eſt expers partium integrantium extenſionis. Suadetur primo. Omnis res ſpiritalis caret partibus extenſionis, animus rationalis eſt ſpiritualis, ergo caret partibus extenſionis. *Ita communis Philoſophia & Theologia.* Dices hanc rationem eſſe inefficacem, quia dantur multæ res ſpiritales, quæ partibus extenſionis conſtent, & ſecundum eas diviſionem admittant. Verum ut vis iſtius rationis, quæ eſt una ex præcipuis ad indiviſibilitatẽ animi noſtri adſtruendam, conſtet, oppoſitum dubio ſequenti oſtendemus.

Secundo. Si animus noſter eſſet diviſibilis, & extenſus formaliter, amputato per partes brachio, anima ſimiliter per partes amputaretur; ſed hoc repugnat animæ naturæ; ergo, &c. Minor declaratur, nam vel illæ partes animæ amputatæ corrumperentur, & hoc eſt contra immortalitatem animæ, quã aſtruit fides, nã ſicut illę partes ab aliis abiungũtur abſciſſæ, idẽ fieri poſſet de ſingulis reliquis, atque ita totus animus interiret, vel illæ partes regrederentur ad reliquas partes corporis, & hoc etiam implicat: nam ſic duæ partes animæ eiuſdem rationis eandem partem corporis informarent, quod natura non patitur, ut liquet ex ſæpe dictis; alia enim pars eſſet otioſa,

nam totum illud munus ab aliis exercetur; vel illæ partes ſeparatę conſiſterent,& tunc rogo quid iſtæ partes facerent? expectarent ne in hoc mundo donec homo obiret, & cum aliis reuniretur; vel denique abiret in alium mundũ,& hoc difficile, nã ſi abſciſſæ fuere homini in peccato mortali, tota anima digna erat pœnis inferni,& proinde eius partes,ergo illę partes abſciſſæ pœnis inferni adducerētur: at ſi poſtea homo ageret pœnitētiã, & in gratia decederet,reliqua anima cœlo donaretur,quę ridicula ſunt,& abſona fidei principiis. Et ſimilis oboritur difficultas,ſi illę partes amputatę ſint homini in gratia exiſtēti.

Obiicis primo. Manus hominis abſciſſa & ſeparata movētur aliquo tēpore,ſed ille motus eſt vitalis,igitur ab aliqua parte animæ abſciſſæ ibi aliquantulum perſeverante, ſiquidem anima una & indiviſibilis nequit duas materias loco ſeparatas, & diſcontinuas informare. Reſpondeo cum Alberto Magno in ſumma de homine quæſt. 2. quem ſequuntur Philoſophi, motum illum provenire ab ſpiritibus animalibus & vitalibus, qui cum tenues ſint & flatuoſi percuſsione alterati motu ſuo manum agitant aliquo tempore: unde non eſt motus vitalis ab anima; non enim pars animæ abſcinditur,ſed ſolum pars unionis extenſæ, qua anima manum illam antea informabat,cuius facta abſciſsione deſinit deinceps illam informare.

Obiicis ſecundo. Anima rationalis eſt in ſubiecto extenſo & diviſibili; ergo extenſa & diviſibilis erit. Cõfirmatur,nam unio, quę eſt modus animæ, debet eidem proportionari; ſed unio in noſtra ſententia eſt formaliter extenſa & diviſibilis;ergo & anima. Nego conſequentiam: nam anima non eſt in materia per coextenſionem & commenſurationem cũ ipſa & eius partibus,quia non educitur ex ea, ſed per repetitionem quandam continuã ſuæ præſentiæ ad diverſas partes materiæ, ſicut Angelus eſt in ſpatio extenſo: vel ſi mavis, quod ego probo, per indiviſibilem præſentiam reſpicientem totum corpus tanquam locum adæquatum, eſt etiam per informationẽ & unionem,quæ ipſi corpori adæquatur. Ad confirmationem reſpondeo, unionem animæ non proportionari ipſi in indiviſibilitate, ſicut neque in ſpiritualitate, ſed in ratione unionis & rei unibilis; per eam enim anima rationalis eo ipſo quod eſt eſſentialiter forma corporis, eſt unibilis per unionẽ materialem & corpoream, & conſequenter extenſa formaliter.

Aſſertio ſecunda. Anima rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in ſingulis eius partibus. Prima pars, eſt contra multos ex veteribus Philoſophis, quorum alij exiſtimarunt non eſſe in toto corpore,ſed in parte determinata illius, nimirum in cerebro, alij vero in corde ipſam conſtituebant. Probatur tamen primo,nam ſi eſt in una parte corporis tantum, Quæro,an in aliis partibus ſint aliæ, & ſic in homine plures darentur animæ,cuius oppoſitum infra probabimus, an vero nulla ſit anima, & nulla alia forma. Et neque dici primum poteſt, quia in quavis parte corporis experimur motum vitalem, ſaltem nutritionis, qui eſt introductio formæ viventis in materiã alimenti per unionem phyſicam & for-

malem,

malem, unde ibi debet eſſe anima, quæ introducitur, introductio enim, & unio phyſica neceſſario ſimultatem exigit extremorum. Neque ſecundum, quia tunc illæ partes materiæ remanerent ſine omni forma, quod repugnat ex natura rei.

Secunda pars ſequitur ex prima aſſertione. Nam ubicumque eſt aliquid rei indiviſibilis eſt tota res, alias enim ſi aliquid ipſius eſſet in una parte & nō aliud, iam eſſet diviſibilis; ſed anima eſt in toto corpore & eius partibus, quas informat; ergo tota eſt in toto illo, & tota in ſingulis eius partibus: quod docuit Auguſtinus libro 6. de Trinitate, cap. 3. ubi comparat Deum exiſtentem in mundo animæ corpus informanti, nimirum, quia ſicut iſta eſt tota in ſingulis partibus informando, ita Deus totus in omni parte mundi aſsiſtendo per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Obiicis primo, ergo eſt anima rationalis in pede, unde & intellectus, ac per conſequens habitus ſcientiæ, ſicque poterit pes ſapiēs dici. Reſpondeo, animam rationalem eſſe in pede, intellectum vero non in materia pedis, ſed in anima, quæ in ea materia exiſtit; quod abſurdum non eſt, ſed neceſſariū pro natura animæ: ſcientiæ vero non dicuntur eſſe in intellectu prout in pede, quia ibi nō ſunt potentiæ ſenſitivæ, quæ ad productionem intellectionum, & habituum intellectus requiruntur.

Obiicis ſecundo, Anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte & indiviſibili corporis; ergo eadem anima naturaliter habet duas præſentias ad idē prorſus indiviſibile ſpatium. Patet conſequentia, quia cū quis ſuas manus iungit, & altera alteram tangit, indiviſibilia extrema ſeu ſuperficies externæ, tam quantitatis, quam materiæ manuū penetrantur, & ſunt in eodem ſpatio; ſed anima rationalis eſt unita illis ſuperficiebus materiæ; ergo bis eſt ſimul, & duas habet pręſentias in eodem ſpatio, unam ratione ſuperficiei unius manus, & alteram ratione alterius. Reſpondeo admittendo ſequelam, quod non eſt à ratione alienum, nam legitime ex eo quod rationalis anima ſit etiam in ſuperficiebus externis manuum, & iſtæ per contactum ſe penetrēt, & ſint in eodem loco, deducitur, eam eſſe bis ſimul in eodem loco, & in eo duas obtinere præſentias.

DVBIVM III.

An omnis res ſpiritalis ſit indiviſibilis.

Animi noſtri indiviſibilitas ex eius ſpiritalitate monſtrata adigit nos in hāc quęſtionem, in qua nota prius, indiviſibile ſumi pro entitate carente omnino partibus extēſivis inter ſe diſtantibus, & phyſice unitis, ac propterea diviſionis expertе. Pars negans aſtruitur triplici argumento. Primum eſt. Ens materiale & ſpirituale inter ſe opponuntur; ſed de ratione entis materialis non eſt eſſe extenſum & diviſibile, ut cernere licet in punctis materiæ & formæ corporeæ; ergo neque de ratione entis immaterialis eſſe inextenſum & indiviſibile. Secundum. Datur res ſpiritalis conſtans partibus inten

ſionis ut actus intellectus, & voluntatis, & habitus; ergo dari poteſt res ſpiritalis cum partibus extenſionis; cur enim iſtæ magis quam illæ rationem rei ſpiritalis everterent? Tertium ſumitur ex doctrina Suarij: tenet enim diſputatione 15. Met. ſect. 3. in fine, unionem qua animus rationalis copulatur cum corpore eſſe ſpiritalem, quia eſt modus formæ ſpiritalis, & tamen eſſe diviſibilem in partes extẽſas integrales, quia educitur de potentia materiæ, & ab ea pendet. Similiter ut idem tradit tom. 3. in 3. par. diſput. 48. ſect. 1. & alibi, præſentia localis Angeli eſt ſpiritalis, & tamen diviſibilis in partes loco diſtantes continuas, & diviſibiles ex parte ſpatij, tametſi ex parte Angeli ſint indiviſibiles; igitur non omnis res ſpiritalis eſt indiviſibilis.

Sed hæc non difficile diluuntur. Primum, quia punctum materiæ, tametſi non ſit extenſum ut *quod*, cum non ſit compoſitum ex partibus, eſt tamen ut *quo*, quia eſt continuatio & coniunctio partium extenſivarum, & per ipſum fit omnis ſectio, ut ex Auguſtino tract. 7. phyſ. diſp. 1. dub. 7. explicatum. Secus vero contingit in entitate ſpiritali, quę eſt omnino inextenſa & indiviſibilis. Secundum, quia partes extenſiuæ non evertunt ſpiritalitatẽ; ſunt enim partes inextenſæ, & non diſtantes loco, nam omnes illæ ordinantur ad idemmet ſubiectum, quoad extenſionem indiviſibiliter ſumptum perficiendum magis graduali augmento: at partes extenſæ, & diſtantes illam vertunt, quia extenſio talis eſt proprius conceptus rei corporeæ, ut ſatis cernere licet in omni corpore & propriis eius accidentibus. Neque vero eo quod aliquod genus partium non officiat rationi rei ſpiritalis, iam planũ fit nullum ei repugnare, nam ſubſtãtia corporea admittit partes extenſivas, nõ intenſivas. Tertium, quia unionem animi noſtri cum materia eſſe corpoream & diviſibilem probavi tractatu 2. diſput. 2. dubio 3. & 4. Vbi vero Angelicum etiam in ſpatio diviſibili eſſe in ſe formaliter indiviſibile, quia educitur, & recipitur in ſubiecto ſpiritali indiviſibili, licet habeat virtualem extenſionem in ordine ad ſpatium, ut oſtendam infra, dum erit ſermo de anima ſeparata.

Pars affirmans nobis placet cum Hurtado diſp. 2. ſect. 3. quam Philoſophi & Theologi indicant dum paſſim animi noſtri indiviſibilitatem ex ipſius ſpiritalitate deducunt. Primo ex Auguſtino lib. 2. de incarnatione, probante Deum non poſſe dividi, quia eſt ſpiritalis, *impoſſibile namque eſt*, ait, *de incorporeo diviſionem aliquam fieri.*

Secundo. Omnibus rebus ſpiritualibus datur unus conceptus communis ſpiritus; ſed ſi aliqua entitas ſpiritualis ſit extenſa & diviſibilis, non daretur eiuſmodi conceptus; ergo, &c. Maior patet, nam omnibus entibus realibus datur communis conceptus entis realis, corporeis communis conceptus entis corporei; ergo & ſpiritalibus ſpiritalis. Minor probatur, nam nequit cogitari alius conceptus conſtitutivus rei ſpiritualis, qui omnibus ſit communis, niſi ratio entis ſimplicis & carentis extenſione partium; ſed ſi aliqua entitas ſpiritalis eſſet diviſibilis, non ei quadraret; ergo, &c.

Dicet

Dicea eſſe poſſe alium, qui omni rei ſpirituali conveniat, nimirum non eſſe materiam, neque ab ea pendens. Sed contra primo, nam creatio quantitatis in Euchariſtia, nec non creatio formæ materialis poſitæ divinitus extra ſubiectum, neque eſt materia, neque à materia pendet, & non eſt ſpiritalis. Contra ſecundo. Si daretur corpus ſimplex completum, uti multi probabiliter opinatur, eſſet quid materiale ea ratione præciſe, quia haberet partes extenſas, ſicut modo habet materia prima; atqui neque eſſet materia, neque ab ea penderet; ergo ratio ſpiritus non conſtituitur per non eſſe materiam, neque ab ea dependens.

Tertio, ex oppoſita doctrina deducitur eſſe poſſe formam ſpiritalem ſubſtantialem extenſam, & corpus per diverſas ſui partes informantem: conſequens eſt abſurdum, ergo. Maior patet, nam illi formæ non repugnaret extenſio ratione ſpiritualitatis, neque ratione ſubſtātiæ, quia etiam ut ait Suarez, unio ſubſtantialis animæ eſt ſpiritualis & extenſa; neque ex eo quod forma ſpiritalis neceſſario debeat eſſe incorruptibilis, ſi enim haberet diverſas partes unitas, unione corrupta per diviſionem partes illius interirent, ut ſuperius dictum: neque inquam inde repugnat, tum quia ad rationem formæ ſpiritalis neceſſaria non eſt incorruptibilitas, nam in contraria opinione Suarij unio animæ cum corpore ſpiritalis eſt, & tamen corruptibilis: tum quia ſi ſit neceſſaria, poſſent illius partes eſſe unitæ unione incorruptibili inter ſe & cum materia, uti contingit in partibus formæ cœleſtis corporeæ iuxta ſententiam Suarij, ergo poteſt dari forma ſpiritalis extenſa per diverſas partes corpus informans. Vnde deduco duo incommoda. Primum ad hominem, nam hinc ulterius fieret poſſe creari animam rationalem extenſam formaliter, quæ eſſet alterius ſpeciei ab hac noſtra, & faceret hominem ſpecie diverſum, quem eſſe poſsibilem adhuc de potentia abſoluta plerique adverſarij negant cum Suario 1. par. lib. 3. cap. 9. num. 16. Secundum eſt, eſſe poſsibilem ſubſtantiam completam ſpiritalem extenſam, tum quia ſi ſemel admittatur anima intellectualis formaliter extenſa, quo fundamento negabitur poſſe dari ſubſtantiam completam ſpiritalem ſimiliter extenſam? tum quia illa ſubſtantia non eſſet ens corporeum, iuxta adverſariorum philoſophiā, quia neque eſſet materia, neque ab ea pendens; id vero abſurdum eſt, nam ſi daretur ſpiritus ita extenſus per partes continuas, & loco diſtantes, & ſecundum eas palpari poſſet, nulla eſſet illatio Chriſti Domini, qua ſe non eſſe ſpiritum dixit Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* Vbi corpus infertur ex obiecto palpabili, & conſequenter ſpiritus ex impalpabili. Quod ſi dicas, ſubſtantiam illam non fore palpabilem, quia careret impenetrabilitate. Contra oppono, quia ſi ei tribuatur extenſio partium loco diſtantium, poterit quoque tribui extēſio impenetrabilis per aliquam formam, quæ quidem cum neque eſſet materia, neque ab ea pendens; eſſet incorporea, & immaterialis per te, ſicut modo eſt præſentia Augeli diviſibilis in partes continuas impene-

trabiles in eodem ſpatio; tunc autem quomodo conceptum rei ſpiritualis à materiali diſcernes?

Vltimo. Nam ſic facile demonſtratur animi rationalis indiviſibilitas, alia enim ratio ſumpta ex eius immortalitate forte facile poteſt eludi, ut ſupra indicatum. Sic etiam facilius contra Thomiſtas oſtendi poteſt, actus intellectus, & habitus ſcientiarum, non habere partium extenſionem in ordine ad diverſa obiecta: igitur affirmandum eſt omnem rem ſpiritalem eſſe omnino inextenſam, & indiviſibilē, prę ſertim cum oppoſitæ partis argumenta non urgeant.

Collige duo. Primum, rationem propriam rei ſpiritualis cōſiſtere in entitate ſimplici, carente omni extenſione & diviſione partium, rationem vero rei corporeæ in entitate extenſa, & diviſibili. Secundum, rationem ob quam dependere ſubiective à materia facit rem materialem, eſſe, quia talis dependentia facit rem extēſam, ut ſuperius explicatum, ſicut & cauſa ob quam dependere ſubiective à ſubiecto ſpiritali facit rem immaterialem, & ſpiritalem, eſt quia talis dependentia illā efficit omnino inextenſam. Omne ſiquidem quod recipitur, ad modum recipientis recipitur.

DVBIVM IIII.

Quando anima rationalis fuerit producta, & cœperit eſſe in corpore.

Pono primo, rationalem animam, etiam corpori, unitam eſſe ſubſiſtentem. Ita probatum ad primum phyſicū: ſubſiſtētia enim propria ſolum impeditur per unionem ad ſubſiſtētiam alienam; at rationalis forma ſolum obtinet unionem informativam, quæ longe diverſa eſt ab unione hypoſtatica, & ſecundum ſubſiſtentiam; ergo talis unio non adverſatur proprię ſubſiſtentiæ, ac proinde adhuc materiæ unita ſubſiſtit.

Pono ſecundo, animam rationalem à ſolo Deo per creationem fieri, cum ſit ſubſtantia ſpiritalis, ſubſiſtens per ſe, & indepena à materia in eſſe, & conſervari: unde non fiet cum concurſu materiæ, ſed ex nihilo. Ita deſumitur ex illo Geneſis 3. *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, id eſt, animam rationalem, quaſi ex divino pectore, intimiſque præcordiis afflavit. Idem agnovit expreſſe Ariſtoteles, nam in 2. de generatione animalium, cap. 2. poſtquam probaſſet omnem aliam animam ex materia educi, ſic ait de rationali: *Reſtat ergo, ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* His poſitis,

Sit concluſio. Anima rationalis non fuit creata ante corpus, ſed ſimul à Deo creatur, & corpori infunditur. Ad huius concluſionis intelligētiam adverte, Platonem in Timæo finxiſſe Deum, ante corporum fabricationē omnes animas intellectuales condidiſſe, & incomparibus Stellis cōſtituiſſe: tamen eas cœleſtium rerum tædio, & terrenarum amore captas, ut tanti ſceleris pœnas luerent, in corpora humana tanquam in ergaſtulum fuiſſe deiectas. Idem autumatus fuit Origenes, ut ex eius primo libro Periarcon

ton conſtat, & id refert Epiphanius in Epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum. Idem quoque ex parte aſſeruerunt aliqui Rabini Hebræorum, aientes omnes animas initio fuiſſe conditas,ne cōcederent Deum aliquid de novo creare:non tamen antequam corpora ſubirēt peccatum ullum admiſiſſe. Verum hic error communi conſenſu exploditur à Patribus,ut videre licet apud Conimbricenſes in caput 1.libri 1.quęſt. 3. Damnatus etiam eſt hic error in Concilio Bracharenſi primo, cap. 6. & à Leone primo in epiſtola ad Toribium , ubi ſummus Pontifex in eos,qui dogma illud profitebantur,ita ſcribit. *Eos Catholica Fides à corpore ſua unitatis abſcidit,conſtanter prædicans atque veraciter , quod animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus , non fuere.*

Deinde refelli poteſt memoratus error,& ſimul probari concluſio noſtra,hunc in modum. Anima rationalis eſſentialiter eſt forma corporis, & ſubſtantia incompleta,ac pars hominis,natura ſua ordinata ad illum conſtituendum tanquam ad finem primarium ; ergo cum fiat à DeoAgente ordinatiſsimo, non fieri debuit ante, vel extra corpus, ſed in ipſo corpore , cum eo componens hominem, ſicut aliæ formæ non fiunt, niſi quia poſtulat cauſa materialis, & ad compoſitionem totius, in quo diſcrimen eſt inter creationem Angeli , & Animæ, nam Angelus eſt ſubſtantia quædam per ſe completa immediate producibilis ratione ſui: quare quod producatur in hoc vel illo inſtanti, non poteſt reduci ad aliquam cauſam materialem , ſed immediate in voluntatem divinam ; at cùm anima rationalis ſit forma, creatur iuxta rectum ordinem naturæ in inſtanti in quo ad illam eſt ultimo diſpoſita materia.

Opponis. Animus rationalis poſt hominis interitus conſiſtit à materia ſeparatus ; ergo idem fuit ante hominis ortum. Nego conſequentiam,nam ille defectus unionis,& violētus ſtatus, quem habet animus ſeparatus, proveniunt à cauſis ſecūdis,quæ unionem animi & corporis tueri non poſſunt.At ſi id contigiſſet in prima animi creatione , talis defectus in ſolum Deum refunderetur:quare ſicut Deus,quia in omni opere perfectus, nullam materiam ſine forma creavit , ita neque ullam formam rationalem ſine materia.

Confirmatur , nam animus rationalis ante corporis unionem nullam operationem vitalem dicit , neque elicere potuit ; ſed nulla ſubſtantia , præſertim tam nobilis,quam eſt anima rationalis , produci poteſt in eo ſtatu, in quo longo tempore nullam operationem elicere poſsit;ergo non fuit producta ante corporis unionem. Maior patet , nam ſi ullam elicuiſſet , ea fuiſſet intellectio; atqui nec veſtigium ullum apparet in nobis ullius rei quā ante corporis unionē cogitaverimus, nec recordamur cuiuſpiam quod nobis in illo ſtatu contingerit, ſicut homines ab inferis redeuntes , eorum quæ viderunt meminere.

Deinde animas ante corpora non peccaſſe,conſtat ex doctrina divi Pauli ad Romanos 5.ubi ait, per unum hominē introiiſſe peccatum in hunc mundum ; anima autem homo non eſt , ut quidam falſo autumarunt , docetque di-

vus

vus Thomas 1. par. quæſt. 75. art. 4. & alibi. Ruiſum cap. 9. eiuſdem epiſtolę cum inquit, Iacob & Eſaü, priuſquam in lucem editi eſſent, nihil boni aut mali egiſſe. Præterea animas in ſcelerum pœnam non immigraviſſe in corpora, ex eo oſtenditur, quia ſequeretur primo iniuſtum eſſe ſceleratum aliquem hominem occidere, & iuſtum conſervare, nam cum corpus eſſet animæ carcer ſcelerum ipſius pœna, ſeparatio à corpore eſſet libertas animæ, & pœne finis, atque adeo ſceleratū hominem occidere, & iuſtum conſervare, nihil aliud eſſet, quam animas iuſtas in corpore, ut in carcere detinere, & iniuſtas liberare, quod eſſet magnum beneficium iniuſtis, & iuſtis pœna. Secundo ſequeretur unionem corporis & animæ non eſſe bonum naturæ, ſed potius malum quidpiam, ſicuti eſt omnis pœna: quod tamen eſt à ratione alienum, cum nullum malum per ſe intendatur, & tamen natura unionē animæ & corporis, hominiſque generationem per ſe intendat.

Quod vero Philoſophus animarum ortum ante corpora nequaquam poſuerit, patet primo ex eo, quod platonicam reminiſcentiam multis locis improbavit, ut in 1. Poſteriorum, cap. 1. & 3. de Anima, cap. 4. textu 14. ubi ait, hominis intellectum eſſe quaſi nudam tabulam, in qua nihil eſt expreſſum. Deinde 12. Metaphyſ. cap. 3. textu 16. & 17. docet cauſam efficientem præcedere ſuum effectum; formalem vero (qualis eſt anima) nullo modo. Nec obeſt 2. de generatione animalium c. 3. aſſeruiſſe mentem exterius ingredi. Non enim his verbis vitam illius extra materiā & ante unionem cum pore, ſed divinam eius originem & creationem, atque independentiam à materia indicavit, ut ipſe orationis contextus oſtendit: ſic enim habet, *Reſtat igitur ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola Divina ſit: nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis.*

Neque obſtat noſtræ aſſertioni illud Geneſeos 2. ubi dicitur requieviſſe Deum die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Primum, quia non dicitur Deum abſolute requieviſſe; Ioannis enim 5. dixit Chriſtus: *Pater meus uſque modo operatur, & ego ſemper operor*, ſed requieviſſe ab opere quod patrarat, videlicet illis primis ſex diebus. Vt ſit ſenſus, Deum mundi opificium abſolviſſe ſex diebus, atque ita die ſeptimo deſtitiſſe mundi machinam condere. Itē, quia ut interpretatur D. Thomas lib. 2. contra gentes, cap. 84. & in 2. art. 1. ad ſeptimum, Albertus Magnus in ſumma de homine, quęſt. 15. quies illa intelligenda eſt ſecundum ceſſationem à novis ſpeciebus condendis, non autem à novis individuis, quorum ſimilia ſecundum ſpeciem præceſſerint. Quare cum omnes animæ intellectivæ, omneſque homines ſint unius ſpeciei, nihil repugnat prædictæ quieti Deum quotidie animas creare. His adde obiter, novas animantium, aliarumve rerum ſpecies, quæ ex varia cōmiſtione progreſſu temporum extiterunt, etiam in prima mundi origine dici quodammodo fuiſſe productas, non in ſe, ſed in ſuis cauſis.

Rogas, Quo temporis puncto, ſeu quot dierum tranſacto ſpatio anima intellectiva infundatur corpori. Reſpondeo, infundi corpori quando debite organizatum

zatum dum magnitudinem gran dioris formicæ habet, ut docet Ariſtoteles libro 7. de hiſtor. anim. c. 3. & Abulenſis in caput 1. Matthæi par. 1. quæſt 53. quamquam ea magnitudo non ſemper ſit eadem. Pernelius enim libro de hominis procreatione, capite 10. ait, *Se vidiſſe die quadrageſimo eiectum fœtum ſemidigiti magnitudine, vere ac prorſus conformatum; caput enim erat avellanæ par, & maius quam pro reliqua corporis ratione: oculi ut cancris exerti: naſus, auricula, brachia, manus, crura, pedes, hiſque ſecreti digiti.* Communiter autem aſſerunt Philoſophi, hanc organorum delineationem, in maribus perfici circa quadrageſimum diem, in fœminis circa octogeſimum, ob defectum caloris, & imbecillitatem virtutis formatricis. Quod ex eo optime confirmatur, quia in veteri lege fœmina, ſi maſculum pareret, quadraginta diebus; ſi fœminam, octoginta ſeſe domo continebat, & à templi ingreſſu ceſſabat. Hunc enim numerum divinarum litterarum interpretes ad imitationē naturæ, ac temporis, quo in utero corpus effingitur, præſcriptum fuiſſe aiunt. Lege Conimbricenſes in cap. 1. lib. 2. quæſt. 4. artic. 2. qui addunt hanc ſucceſsive formationis legem, non ſervaviſſe corpus Chriſti ſervatoris noſtri in utero Virginis Matris. Nam quod naturæ vi, quadraginta dierum ſpatio paulatim effingēdum erat, divina virtute, ac Spiritus Sancti opera, momento perfectum, abſolutumque fuit, ut eſt communis Patrum, & Scholaſticę Theologiæ profeſſorum doctrina.

***

DVBIVM V.

An inter animas rationales inæqualitas ſubſtantialis eſſe poſsit.

HAec difficultas præſertim in animabus rationalibus habet locum, in quibus maiora cernuntur inæqualitatis indicia, quamquam in aliis etiam animabus locum habeat.

Dico primo. Non implicat eſſe duas animas rationales ſubſtantiali, ſeu individuali perfectione inæquales. Probatur. Poteſt exempli cauſa ratio generica animalis contrahi per differentias ſpecificas eſſentiali perfectione inæquales, ut per rationale & rugibile, ergo & ratio ſpecifica hominis per differētias individuales ſubſtantiali perfectione inæquales. *Ita authores infra citādi.*

Firmatur primo: quid enim implicat dari duos intellectus humanos, quorum alter natura ſua facilius & perſpicacius intelligat quam alter? Sed iſta maior perfectio unius non eſt tāta, ut ſit ſpecifice diverſa, & inæqualis; ergo ſolum ſubſtantialis. Quare nec implicabit dari duas animas rationales ea ratione inter ſe inæquales: quod clarius adhuc cernitur alio exemplo duplicis intellectionis, quarū una idem Angelus intelligit Petrum tantum, & altera Petrum ſimul & Paulum; ſunt enim individualiter inæquales, & non diverſæ ſpeciei ſicut ipſarum obiecta. Qua in re aperte favet Suarez, dum paſsim, maxime 1. par. docet omnes viſiones Dei beatas eiuſdem eſſe ſpeciei, plures tamen individualiter inæquales; ergo, &c.

Firmatur ſecundo ſoluendo implicationem, quã ductus Hurtadus diſput. 2. ſect. 6. & 7. abſolute inficiatur. Implicat enim, ait, ut idem reſpectu alterius ſit ęquale, & inæquale; ergo & dari duas animas eiuſdem ſpeciei individualiter inæquales. Conſecutio clara eſt, nam gradus ſpecificus & individualis eſt eadem indiviſibilis entitas à parte rei, ſi autem anima Petri eſſet maior individuali perfectione quam anima Pauli, illa huic eſſet ęqualis perfectione ſpecifica, & inæqualis perfectione individuali. Primum vero antecedens explicatur, nam uni enti creato nequeunt ſimul competere forma, & eius privatio; ergo neque inæqualitas, & æqualitas, nam inæqualitas dicit exceſſum perfectionis, æqualitas carentiam talis exceſſus. Confirmatur, nam virga eadem nequit eſſe æqualis & inæqualis comparatione alterius ſingularis. At hæc implicatio facile expeditur. Sicut enim idem realiter homo ſecundũ formalitatem genericã animalis eſt æqualis leoni, & ſecundum ſpecificam inæqualis, ita homo unus alteri poteſt eſſe ęqualis in ſpecifica, & in individuali inęqualis, huius generis multa ſunt exempla; ſiquidẽ una res in ſentẽtia Hurtadi poteſt eſſe ſimilis & diſsimilis alteri, ſiquidem albedo in ratione qualitatis eſt ſimilis nigredini, & diſsimilis in propria forma albedinis. Quare in forma diſtinguendum antecedens, & ſi intelligitur abſolute, nimirũ duas res eſſe ęquales & inęquales realiter ſecundum ſe totas, concedendum. Si ſecundum diverſas formalitates maxime ratione præciſas negandum, ut patet adductis exemplis. Atque idem eſt in duabus animis individua perfectione inæqualibus, quas ſolum concludit argumentum, & ipſius confirmatio realiter à parte rei, & abſolute eſſe inæquales, quia gradus ſpecificus eſt realiter identificatus cum individuali inæquali.

Vrgeas. Duæ animæ ſubſtantialiter æquales numero diſtinguuntur, ergo duæ inæquales ſi dentur, diſtinguentur ſpecie, unde nulla individua ſolum individualiter inæqualis intra eandem ſpeciem eſſe quibunt. Patet conſecutio, nam inæquales magis diſtinguntur, quam æquales, iſtæ diſtinguntur numero, igitur illæ diſtinctione pluſquam numerica. Negatur conſecutio. Probationi reſpondetur intra latitudinẽ eiuſdem differentiæ individualis reperiri totam illam inæqualitatem, qualem inter primum & ſecundum gradum caloris, vel certe neceſſario inter unam intellectionem Petri, & alteram Petri ſimul & Pauli, quas idem Angelus elicit concedenda.

Dico ſecũdo. Sunt de facto plũres animæ inæquales ſubſtantiali perfectione. Suaderi poteſt primo, Decreto illo Doctorum Pariſienſium, qui tanquam errorem damnant aſſerere omnes animas rationales eſſe æque perfectas, quia ex ea ſequitur tam perfectam eſſe ſubſtantialiter animam Proditoris Iudæ, quam Chriſti Domini.

Ita Caiet. 1. p. q. 85 ar. 7. contenditque eſſe ſententiã D. Thomæ eos appellans cæcos, qui de Sancti Doctoris mente dubitãt Murtia lib. 1. diſp. 1. q. 8. & complures Neoterici.

Secundo efficacius. Poteſt eſſe inæqualitas ſubſtantialis inter duas rationales animas individuas, ut iam conſtat; atqui plura ſigna talis inæqualitatis, ſaltem in pluribus apparet; ergo de facto admittẽda. Minor patet; nam unus homo habet intra eandem

ſpeciem

ſpeciem intellectum nobiliorem quam alius, quod tradit Suarez 1. par. & ſuadet maior aptitudo unius quam alterius ad ſcientias. Similiter unus homo habet intra eandem ſpeciem voluntatem perfectiorem, & magis idoneam naturæ ſuæ ad virtutes morales naturalesſ atqui hæc inæqualitas in perfectione ſubſtantiali potētiarum, & operationum arguit animas, unde oriuntur ſubſtantialiter inæqualesſergo,&c.

Dices cum Hurtado, id provenire ex meliori temperamento, non vero ex perfectiori anima ſubſtantialiter, nam idemmet homo ob eandem cauſam modo ſe acutiſsimum experitur, & mox mutata diſpoſitione, ſe plumbeū cernit. Sed contra, nam licet aliquando per accidēs mutetur optimum alicuius connaturale temperamentum, ſublata tamen cauſa mutationis, ſtatim homo reſtituitur ad eum ſtatum, & temperamentum, quo perfectius & facilius intelligit quam aliusſ ergo ſignum eſt animam illius tale tēperamentum perfectius exiguere, cuius exigentiæ nulla poteſt alia eſſe radix, niſi maior animæ perfectio.

Confirmatur, nam in ſtatu innocentiæ non omnes homines eſſent æque idonei ad ſcientias, atqui ibi nulla eſſet prava connaturalis temperamenti affectioſergo illa inæqualitas oriretur ex inæqualitate temperamenti unicuique debiti, & hæc ex inæqualitate animarum.

Certant tamen pro æqualitate omnium animarum eiuſdem ſpeciei Henricus, Durandus, Sonzinas, Palacios, Sotus, & alij, quos refert & ſequitur Fōſeca 5. Meta. cap. 18. quæſt. 16. ſect. 1. Conimbricenſes hic lib. 1. cap. 3. quæſt. 5. Vazquez 1. 2. diſput. 82 Salas 1. 2. tomo 2. tractatu 13. diſputat. 13. ſect. 2. num. 17. Toletus hic lib. 3. quæſt. 18. qui oppoſitam opinionem vocat in fide periculoſam. Sed nullum in ea periculum indicant cōtrariæ probationes, quarum prima petitur ex Ariſtotele 3. Met. cap. 3. text. 11. negante inter individua eiuſdem ſpeciei eſſe unum prius, aut poſterius naturaſat per prius & poſterius omnes intelligunt perfectius, & imperfectius, & ipſe Ariſtoteles ſic ſe expicat *Vbi eſt prius & poſterius, ſemper illud eſt prius, quod melius.* Reſpondeo, ibi ſatis obſcure loqui Philoſophum: agebat enim contra ideas Platonis, multa ex aliorum ſententia inculcans, & in utramque partem verſans. Adde, explicari poſſe, perfecti, aut imperfecti ſecundum ſpeciem, aut rationem univerſalem, quod inter ſpecies ſubalternas, & infimas, non inter individua reperitur. Nec video qua ratione dicant aliqui hoc eſſe clariſsimum Ariſtotelis teſtimonium.

Secunda, quia ex contrariis ſententis ſequitur liberum arbitriū, quod eſt ipſa voluntas, non eſſe in omnibus hominibus æquale. An ne eſt hoc periculum quod intendit nobis Toletus? Sed facile avertimus. Concedimus liberum arbitrium ſumptum pro entitate voluntatis humanæ inæquale eſſe in pluribus hominibus, æquale vero in ipſis, & etiam in Angelis ſumptum pro indifferentia voluntatis ad agendum, vel non agendum, aut hoc præ alio eligendumſin hoc enim nullius voluntas cogitur, ſed manet ſemper æque ſui domina iuris.

Tertia. Subiectum conſtans per-

fectiore calore, dicitur altero calidius; ergo homo conſtans perfectiore anima, dicetur magis homo altero. Nego conſequentiam, nam anima perfectior non eſt magis anima, quam altera, cum ille exceſſus non oriatur ex additione aliqua gradus intenſionis, ſed ex diverſitate indiviſibilis gradus individualis.

Quarta. Nam ſi noſtra argumēta efficacia eſſent, efficerent plane in eodem homine pro diverſis ætatibus eſſe animam ſeipſa perfectiorem ſubſtantialiter. Patet, quia in pueritia, & in iuventute diverſum temperamentū & aptitudinem ad intelligendum experitur atque in ætate virili. Vt omittam varietatem temperamēti in diverſis ſuppoſitis eſſe indicium diverſæ formę, magis quam in eodem, ut ſupra nos Toletus docuit. Reſpondeo. Si comparemus hominem cum ſeipſo in diverſis temporibus, quamvis in eo varietas aliqua in operatione appareat, eam tamen non eſſe tantam, quæ refundi non poſsit in varietatem aliquam diſpoſitionis & temperamenti, quæ eidem homini, & animæ pro diverſo tempore connaturaliter conveniant. At ſi comparemus unum hominē cum alio, puerum cum puero, iuvenem cum iovene, in omni ætate meliori temperamento & acumine ad intelligendum pollet unus, quam alius, quod inæqualitatis animarum argumentum eſt.

Quæres, an idem dicendum ſit de individuis aliarum rerum inanimatarū. Reſpondeo, poſſe competenter admitti, ubi fuerit ſufficiens fundamentum ad inæqualitatem. Verum eſt in multis inanimatorum formis non apparere tale fundamentum ut in duabus aquæ, vel terræ partibus naturali ſtatu præditis; conſtant enim diſpoſitionibus omnino ſimilibus, quare una non dicetur ſubſtantialiter perfectior altera. In formis autem mixtorum clarius hæc diverſitas emicat, & frequentius adhuc in accidentibus; potentiæ enim aliæ ſæpe in naturali ſtatu perfectius aliis operantur: unde poſſunt duæ potentię viſivę inęquales dici, id quod in intenſibilibus clarius patet, quod enim eſt intenſius eſt perfectius alio. In his vero, quæ nec intenſibilia ſunt, nec operativa, non apparet huius inæqualitatis ſufficiens fundamentum, nam reſpiciunt ſubiectum ſub eadem ratione: verbi gratia, duæ quantitates, quæ materiam ſecundum ſe ſequuntur, ſive in hac ſublunari, ſive in illa cœleſti ſint, non apparet cur inæquales dicantur. Idem eſſe videtur de duabus qualitatibus eiuſdem ſpeciei, & æque intenſis.

DVBIVM VI.

An in omnibus viventibus una ſit tantum anima informans, & in ſingulis multiplex.

Circa primum, miſsis variis opinionibus & erroribus, quos referunt, & refellunt Conimbricenſes, & alij interpretes,

Dicendum primo, Non eſſe in omnibus viventibus unam tantum ſpecie animam. Primo, quia ſi una eſſet anima viventiū, ſicut eſt materia, omnia eſſent eiuſdem ſpeciei,

ſpeciei,quia nullum eſſet principium ex quo poſſet ſpecifica diſtinctio deſumi; at hoc eſt abſurdum in Philoſophia. Secundo, quia maxime proprietatũ & operationum varietas,quæ in viventibus cernitur, clare teſtatur diſtinctionem ſpecificam inter animas plurium viventiũ, quæ ſunt principia adeo diverſarum operationum & proprietatum.

Dicendum ſecundo,Multo minus eſſe unam numero animam in omnibus viventibus etiã brutis. Ratio eſt, quia una & eadem numero forma non poteſt informare ſimul plures materias adeo diſiunctas,& diſcõtinuas, ut ſunt materiæ plurium viventium, & ex oppoſito ſequeretur unam & eandem rem eſſe ſimul in pluribus locis maxime diſtantibus, quod eſt ſupra virtutem cuiuſvis rei creatæ, præſertim corporeæ.

Dicẽdum tertio,Nec eſſe unam animam rationalem in omnibus hominibus contra errorem plurium, quos refert Albertus Magnus in ſumma de homine.Conſonat tamen fidei, & verę Philoſophiæ concluſio. Fidei primo, quia Concilium Lateranenſe ſub leone 10. ſeſſ.8.ſic habet: *Damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, & unicam in cunctis hominibus,& hac in dubium vertentes,cum illa non ſolum vere per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum & immortalis,& pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis,& multiplicata,& multiplicãda ſit.* Secũdo,quia fides docet,hominũ alios mereri, alios demereri, alios ſalvari, alios damnari, quæ omnia ſimul deberent in eandem animam convenire,id autem ſaltem ex natura rei repugnat. Demum ſequeretur eandem eſſe animam Chriſti Domini, & Proditoris Iudæ, & Antichriſti: quod eſt blaſphemum.Secundo,conſonat concluſio Philoſophiæ, quia iuxta contrariam opinionem in eodem intellectu exiſterent actus erroris, & ſcientiæ omnino contrarij,& repugnantes circa idem obiectum; tumetiam in voluntate, ut volitio, & nolitio efficax eiuſdem obiecti, quod eſt omnino à Philoſophia,& ratione alienum.

Circa ultimum dicendum ultimo, in quovis vivente unicam tantum eſſe animam,Probatur in homine: unde à fortiori in aliis viventibus conſtabit. Ac in primis fide certum eſt, in homine non exiſtere duas animas rationales. Ita definitum à Concilio Conſtantinopolitano 8. artic. 11. Quod autem nec ſint tres, una vegetans,altera ſentiens,alia rationalis,ſuadetur auctoritate Ariſtotelis 1. de anima, textu 9. & divi Thomæ 1.par. quæſt.76.art. 3. & potiſsimum Sacræ Scripturæ Geneſis 2.verbis illis, *Spiravit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ,* vel ut in Hebræo eſt, *vitarum*, ut intelligamus ſpiritum unicũ homini inditũ, ideo ſpiraculum dicitur, illumque eſſe principium vitarum, id eſt triplicis gradus vitæ, & operationis vegetantis, ſentientis,& rationalis, ut advertit ibi Caietanus,& Delrius. Demum in Clementina ſumma de Trinitate aſſeritur, Chriſtum Dominũ vere factum hominem per hoc quod aſſumpſit partes naturæ noſtræ ſimul unitas, ſcilicet corpus & animam intellectivam, ubi nullius alterius animæ, quæ ſit pars hominis, ſit mẽtio. Unde

Conimbricenſes contrariam opinionem parum tutam, & nullo modo ſuſtinendam eſſe aiunt, 1. de generatione, cap.4. quæſt. 21. & à Suario diſputat. 15. ſect. 10. parum tuta iudicetur, & à Rubio ut temeraria, & in eadem fide periculoſa, quamvis ei notam Hæreſeos manifeſte, aut erroris in fide non imponant, quod nullibi expreſſe inveniatur damnata.

Probatur deinde ratione. Primo, nam alias homo non eſſet unum animal, aut vivens, ſed plura, nam forma vegetans illum conſtitueret in ſpecie plantæ, ſentiens in ſpecie bruti, rationalis in ſpecie hominis, atque ita partim eſſet planta, partim brutum, partim homo. Unde fieret ulterius, ut ſpectatus etiam ſecūdum partes phyſicas & eſſentiales, non eſſet unum per ſe. Secundo, Operationes vegetativæ, ſenſitivæ, & intellectivæ ſæpe ſe in homine retardant, & interdum omnino impediunt, ut vehemens ſenſatio contemplationem impedit, vehemens & aſsidua cōtēplatio opus ſtomachi & nutritionem; ſed huius rei non poteſt aſsignari alia cauſa, niſi quia eas omnes operationes unica elicit anima, & ad unam vehemētius applicata non ſufficit ad reliquas, ergo, &c. Tertio. Si anima rationalis eſſet realiter diverſa à ſenſitiva, ab ea independenter operaretur, ita ut iſtius organo labefactato, illa integre & perfecte ſuas ederet operationes; ſed experientia oppoſitum manifeſtat; ergo, &c. Probatur maior, quia ſi anima rationalis uniretur materiæ informatæ iam forma leonis, non dependeret in ſuis operationibus à forma leonis; ergo neque à forma alia ſenſitiva, quæ ſupponatur unita mediis aliis diſpoſitionibus, quod eſt neceſſarium, ſi ſint formæ realiter diverſæ. Quarto. In bruto anima ſenſitiva poteſt præſtare operationes vegetativæ; ergo non eſt ponenda forma vegetans diſtincta, & conſequenter neque in homine alia diverſa à rationali propter eādem cauſam. Probatur antecedens, nam forma ſenſitiva cum ſit diviſibilis, eſt vegetabilis, augetur enim, & creſcit ſicut forma vegetans: ſiquidem quæ parva erat in inſtanti generationis, temporis ſucceſſu magna evadit; ergo ipſa præſtat actionem animæ vegetativæ; ſi enim ipſa poteſt ſeipſam augere in ſua materia, cur hæc non poterit, cum præſertim eadem virtus requiſita ad operationem vegetativam, ſit omnino neceſſaria ad ſenſitivam? nam calor & humiditas, quæ ad alterandum alimentum deſerviunt, etiam neceſſario requiruntur ad ſenſationem; ergo nutritio & ſenſatio ab eadem virtute & forma in bruto oriuntur.

Dices, animam rationalem non eſſe diviſibilem, nec capacem extenſionis in entitate, atque adeo neque eſſe vegetabilem. Reſpondetur, id cadere in unionem & informationē ipſius, quod ſat eſt; poteſt enim ipſa ſuam unionem augere ad materiam ampliorem.

Quinto, quia unica materia unicam tantum poteſt admittere formam ſubſtantialem ſimul, quæ omnino expleat eius capacitatem. Demum quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, ſeparata anima rationali à corpore, poſſe adhuc corpus manere cum vita, quod alienum eſt ab experientia, imo & à fide, quæ docet, ſeparata anima Chriſti Domini, eius corpus mortuum

tuum

tuum manſiſſe. Probatur ſequela, nam ſi in homine eſſet anima vegetans, ſentiens, & rationalis inter ſe diverſæ, unaquæque depoſceret ſuas diſpoſitiones diverſas, atque adeo illis ablatis, quæ ad informationem animæ rationalis exiguntur, poſſent aliarum diſpoſitiones integræ manere, ac proinde ipſæ animæ adhunc informare, cum præſertim iſtæ non pendeât ab anima rationali, cum illam potius antecedant.

Oppones primo. In nobis reperiuntur operationes contrariæ, nam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; ergo & diſtinctæ animæ, quæ ſunt talium operationum & inclinationum cõtrariarum principia. Reſpondeo, tales actus & inclinationes proprie non contrariari, ſed improprie, quatenus ſcilicet tendunt ad diverſa obiecta, licet ſub diverſis formalibus rationibus, eo tamen modo, quo contrariantur, ab eodem principio poſſe dimanare.

Oppones ſecundo. Ex Ariſtotele 2. de generatione animalium, capite 3. fœtus hominis prius vivit vita plantæ, deinde vita animalis, & demum vita hominis; ergo erunt tres animæ ſucceſsive introductæ in materia ſeminis, quæ cum poſtea maneant in homine erunt in eo tres animę. Reſpondeo primo cum D. Thoma 1. par. quæſt. 76. artic 3. ad tertium: in materia ſeminis humani tres illas animas ſucceſsive introduci, ita tamen ut priores per poſteriores excludantur, quia ad illas diſponebant & ordinabantur, atque adeo in homine duntaxat manere animam rationalem, tametſi ante illam vixerit Petrus vita plantæ, & vita animalis, quæ dicuntur formæ embrionis, & diſponunt ad animam rationalem. Reſpondeo ſecundo cum Alberto Magno, & Toleto, quæſt. 7. nullam formam introduci in materia ſeminis ante rationalem; ſed hanc non ſtatim exercere omnes ſuas operationes, ſed prius operationes animæ vegetantis, deinde animæ ſentientis, & poſtremo animæ rationalis. Vnde non dixit Ariſtoteles fœtum prius eſſe plantam, deinde brutum, & tandem hominem, ſed prius vivere vita plantæ, &c. id eſt prius elicere operationes plantæ, &c; nomine enim vitæ intelligit Ariſtoteles ſæpe non vitam ſubſtantialem, & animam, ſed accidentalem, nempe operationem vitalem, ut liquet in definitione animæ ab ipſo adducta: *Actus corporis, &c. poteſtate vitam habentis.*

Deducitur ex dictis, animam intellectivã tribuere homini tres gradus vitæ, vegetativæ ſcilicet, ſenſitivæ, & rationalis.

DVBIVM VII.

An anima ſupponat in materia quam informat formam corporeitatis.

HAbemus in unoquoque vivente ſolum eſſe unam animam; inquirendum modo, an ſaltem anima ſupponat in materia quam debet informare formam inanimatam corporeitatis illi coęvam, & ab illa inſeparabilem.

Autumo primo. Nulla anima ſupponit in materia formam corporeitatis ſubſtantialem. Probatur primo. Nulla neceſsitas cogit

Ita D. Tho. 1. par. q. 70. art. 4. 6. & 7. Suarez.

git

diſputat.13. Met ſect 3. & diſp.15. ſect.10. Hurtadus diſp. 4. Phyſi. §. 18. & cōmuniter philoſophi contra Scotū in 4. diſt.11. q.3. ar.2. in omnibus & ſolis viventibus corporeitatis formā ponentē, & Hēricū quodlib. 1. q. 2. & 3. quodlib. 3. q. 13. & 14. in ſcolo hominis illam admittentem.

git ponere formam corporeitatis in materia ſine anima; ergo reiiciendæ. Antecedens patet primo. Illa forma non eſt neceſſaria ut viventi det eſſe corporis ſubſtantialis, nam corpus ſubſtantiale in eo conſiſtit, ut ſit totum conflatum ex materia & forma ſubſtantiali; ſed hoc habet quodlibet vivens, etiamſi conſtet forma ſpirituali, nempe anima rationali; ergo ſine forma illa corporeitatis habet eſſe corpus phyſicum completumque. Minor hæc patet: nam hoc ipſo quod homo conſtat ex materia & animo, diſtinguitur à ſpiritu; ergo per illud conſtituetur in ratione corporis contra diſtincta ab ſpiritu. Secundo, neque eſt neceſſaria ad corporis organizationem; anima enim ſufficit; qui enim dat formam, dat conſequentia ad formam; ſic enim omnes formæ, experientia teſte, ſunt principia activa inſtrumētorum, quibus agent ad ſuas functiones, ut ignis caloris, anima potentiarum; ergo etiam ſenſuum externorum & internorum, nam iſti cum ſint potentiæ vitales, nequeunt à forma illa corporeitatis, quæ inanimata eſt, emanare. Tandem neque eſt neceſſaria eiuſmodi forma diſtincta ab anima, ut illa det gradum genericum corporis, & anima ſpecificum, ut aliqui volunt, nam eadem forma quæ dat ſpecificum, dat etiam genericum gradum, ut videre eſt in accidentibus; eadem enim albedo dat ſubiecto gradum genericum colorati, & ſpecificum albi. Similiter in ſubſtantiis, nam eadem entitas Angelica indiviſibilis dat gradum genericum ſpiritus, & ſpecificum; ergo idem erit in formis ſubſtantialibus cōpoſiti phyſici. Secundo probatur dictum, nam ſi forma illa corporeitatis prius afficeret materiam, non relinqueret in ea capacitatē ad formam viventis, & ſi poſtea illam reciperet, vivēs ſpectatum quoad ſuas partes phyſicas & eſſentiales, non eſſet unum per ſe; ergo non eſt admittenda. Prima pars antecedentis patet, quia una materia unius tantum formæ ſubſtantialis eſt capax. Secunda, quia ex ente completo, & alia forma ſubſtantiali adveniente non fit unum per ſe; ſed forma corporeitatis cum ſit individua, & proinde pertinens ad ſpeciem atomam, neceſſario conſtituit ſpeciem phyſicam completam, ſicut forma lapidis; ergo ex compoſito ex materia & forma corporeitatis, atque ex alia forma viventis non fieret unum per ſe. Vltimo. Nulla forma eſt apta ad recipiendam aliam formam ſubſtantialem, ſicut nulla materia apta ad aliam informandam, cætero qui munera actus & potētiæ ſubſtantialis confunderentur; igitur forma corporeitatis inepta eſt in materia, ut in ipſa forma vivens excipiatur. Hinc

Autumo ſecundo. Nulla forma etiam inanimata requirit in materia ut excipiatur forma corporeitatis. Eſt contra Avicenam lib.1. Sufficient. cap.2. ubi ad omnem formam in materia excipiendam conſtituit in illa corporeitatis formam ipſi coævam. Conſtat tamen ex dictis, & ulterius peculiariter confirmatur. Primo, ex Ariſtotele 1. phyſic. capit. 9. dicente: *Materiam eſſe primum ſubiectum, ex quo fit aliquid, & in quod ultimo reſolvitur id quod corrumpitur.* Et alibi. Secundo, ratio ob quam ponitur eſt, ut extēdat materiam ad recipiendum formam ſubſtantialem;

tialem;

tialem;ſed id ſufficienter præſtat quantitas, quæ materiam impenetrabiliter extendit ad omnem actionem agentis corporei, etſi materia in extenſione ſit contrahenda, aut protrahenda, præſtat denſitas & raritas; ergo non admittenda eius muneris gratia, præſertim cũ materia affecta eiuſmodi forma adhuc egeret quantitatis extenſione impenetrabili, & hæc affecta denſitate, & raritate.

Oppones primo. Anima eſt actus corporis phyſici organici; ſed corpus phyſicum non eſt ſola materia, ſed compoſitum ex ipſa & forma ſubſtantiali corporeitatis; ergo cum anima actuet corpus phyſicum, ſupponit in materia formam corporeitatis. Solutio huius argumenti colligitur ex dictis diſputat. 1. dubio 1. ubi explicatum fuit, nomine corporis intelligi materiam primam à Philoſopho affectam organis, & diſpoſitionibus neceſſariis ad introductionẽ formæ viventis, eiuſque conſervationem.

Oppones ſecundo. Idem numero corpus Chriſti Domini, quod vivum pependit in Cruce, mortuum poſtea iacuit in ſepulchro; ergo in ſepulchro habuit eandem formam corporis, quam in Cruce; ſed in ſepulchro non habebat corpus animam rationalem; ergo hæc ante informationem ſuppoſuit formam corporis in materia Chriſti, & in ſeparatione relinquit eandem. Reſpondeo, Corpus Chriſti Domini vivum & mortuum dici idem numero, quia eandem materiam, & unionem hypoſtaticam ad verbum ubique retinuit, & aliqua accidentia, ut quantitatem, externam delineationem, organorumque figuras; non vero quod fuerit idem corpus ſubſtantiale completum; ſic enim potius fuit ſpecie diverſum.

Oppones tertio. Poſtquam interit animal, eius materia manet cõſtituta in ratione corporis ſubſtantialis ſicut antea; ſed tunc de novo non introducitur nova aliqua forma inanimata, neque eſt forma vivens, per quam eſſe corporis conſtituatur; ergo retinet in ſe formam corporeitatis, per quã tunc ſicut antea ſit corpus phyſicũ. Maior certa eſt. Minor quoad primam partem (nam ſecunda clara eſt) probatur ita: Cum formæ ſubſtantiales varientur eſſentialiter pro varietate eſſentiali diſpoſitionum, ſi forma cadaveris introduceretur, eſſet diſtincta pro varietate eſſentiali diſpoſitionũ; ſed res non ita contingit; ſive enim homo præ nimio frigore, ſive nimio calore moriatur, ſemper manet idem cadaver; ergo non introducitur.

Reſpondent Conimbricenſes 1. de generatione, cap. 4. quæſt. 10. artic. 3. formas cadaveris ſpecie diſtingui iuxta varias diſpoſitiones ad ſui introductionem diſponentes, & iuxta varias cadaverũ delineationes. Hæc doctrina quoad primam partem probabilis, non tamen quoad ſecundam, nam forma cadaveris nullo modo requirit delineationes, & organa, cum potius illa diſſolvat.

Alij vero, quibus aſſentior, opinantur, ſpecie diſtingui formas cadavericas pro diſtinctione ſpecifica animarum, quibus ſuccedunt, atque adeo formam cadaveris hominis mortui, & leonis mortui ſpecie diſtingui: Et quidem in plantis & animalibus, nemo, ut arbitror, dicet eiuſdem

ſpeciei eſſe formas cadaverũ accedentes. Vnde deformis cadavericis ſuccedentibus formæ viventis eiuſdem ſpeciei, dicendum eſt eſſe ſemper eiuſdem ſpeciei, per quaſcumque diſpoſitiones vivens intereat, & in illa introducatur, nam cadaveris forma propter ſuã imperfectionem, videtur admittere quaſcũque diſpoſitiones per quas vivens illud fuerit corruptum. Sive autem hoc ſive primum illud dicatur, tenendum eſt pro certo materiam in ratione corporis completi ſubſtantialis conſtitui, non per formam corporeitatis peculiarem ipſi coævam, ſed per eandem formam ſubſtantialem, per quam in certa ſpecie atoma ſubſtantię completæ conſtituitur.

Pater Coninch. tomo 1. quæſt. 76. artic. 3. num. 10. & 11. docet, in omnibus animalibus, præter ipſam animam, dari formas ſubſtãtiales partiales, quæ conſtituunt ſingulas partes corporis organici, & uni dant rationem carnis, alteri oſsis, &c. quæ ſimul omnes apte materiam informantes conſtituunt corpus organicum, non quidem ut integrá ſubſtantiam, ſed ut partem eſſentialem animalis ulterius per ipſam animã perfectibilem & animabilem, quod vel inde dicit patere, quod corpus ſine anima diu conſervare nequeat, ſed ſtatim naturaliter tendat ad corruptionem, aitque hãc eſſe ſententiam Scoti, & late defendi à Patre Dandino lib. 2. de Anima.

Primo, quia os, & caro quantum poſſumus ex eorum proprietatibus colligere differunt ſubſtantialiter; ergo per aliquam formam ſubſtantialem; hæc nequit eſſe anima, pręſertim in homine, quia hæc eſt eadem in omnibus partibus, & dat omnibus idem eſſe ſubſtantiale, ergo, &c. Secundo, quia caro & os in ratione carnis, & oſsis præciſe manent eadem viva & mortua, ut colligere licet ex omnibus eorum accidentibus, ergo non habent præciſe rationem oſsis, & carnis ab ipſa anima.

Hæc opinio ſufficiẽtiſsime manet refutata ex dictis in pręſenti, & dubio 6. tranſactæ diſputationis, ubi docui omnem animam eſſe eiuſdem rationis & ſimilem in ſuis partibus ſubſtantialibus ſicut forma aquæ, & illas varias diſpoſitiones deberi toti viventi ut ſic, ut varias vitæ functiones exercere valeat, & hanc partem animæ, ſi ſecundum ſe ſpectetur, non magis efflagitare hanc diſpoſitioné, quam diverſam, ageníque naturale determinari à Deo ad ponendam potius in brachio hanc animæ partem, quam alteram. Vnde liquet oſſem, & carnem non diſtingui ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, cum informentur eadẽ animalis anima. Ad ſecundum negatur antecedens; ſæpe enim Ariſtoteles ait, digitum vivum, & mortuum, æquivoce eſſe digitos, idemque de carnibus, & oſsibus habendum.

DVBIVM VIII.

Sitne anima rationalis formaliter vegetans, & ſentiens.

MOneo primo, bifariam dici rem aliquam alia̓m eminenter continere. Primo, quando eſt entitas perfectior valens illam

illam producere, ſic lux calorem continet, & quævis cauſa æquivoca ſuum effectũ. Secundo, quando eſt entitas perfectior altera, & licet non valens eam producere, tamen potens omnes eius virtutes & operationes cauſare.

Moneo ſecundo, animam vegetantem & ſentientem ſumi poſſe vel pro gradibus animarum formaliter conſtituentium vivẽs & animal in prædicamento ſubſtantiæ, vel pro determinatis animarum ſpeciebus, altera conſtituente plantam, altera brutum.

Ita Conimb. 1. de gener. c. 4. q. 21. ar. 2. & communiter recentiores.

Aſſero primo. Anima rationalis eſt formaliter vegetans, ac ſentiens. Probatur à priori, nam communis gradus animæ viventis & ſenſitivæ eſſentialiter & formaliter includũtur in rationali. Patet, quia inter gradus eſſentialiter ſubordinatos ſuperiores includuntur formaliter in inferioribus; at iſti gradus rationale, ſenſitivum, vegetans, ſunt eſſentialiter ſubordinati; homo enim formaliter & eſſentialiter eſt animal, & vivẽs; hæc enim ſunt prædicata generica, quæ formaliter conveniunt ſpeciei in recta ſeriæ conſtitutæ categoriæ ſubſtantiæ, qualis eſt homo; ergo anima rationalis formaliter eſt vegetans & ſentiens. Confirmatur. Anima vegetans formaliter nihil eſt aliud, quam primum ac radicale principium facultatum & operationum vitalium, ſicut anima ſentiens operationum ſenſitivarum, ut docuit Ariſtoteles ſecunda animæ definitione; ſed anima rationalis eſt primum ac radicale principium facultatum & operationũ vitalium, & ſenſitivarum, nam nulla eſt in homine anima alia à qua tales operationes oriantur, ad quas homo habet propria organa deſtinata à natura; ergo anima rationalis formaliter eſt vegetans, & ſentiens. Confirmatur. In formis accidentalibus ab eadẽ forma albedinis dicitur ſubiectum album, & coloratum, quia color eſſentialiter includitur in albedine; ergo ab eadem anima rationali, habet homo eſſe hominem, animal, & vivens; ergo, &c. Quare in hoc ſenſu, non recte dicitur rationalis anima eminenter tantum eſſe vegetans ac ſentiens. Quando enim una forma continet eminenter aliam, non conſtituit ſubiectum formaliter tale, ſed tantum eminenter. Lux verbi gratia, quia eminenter ſolum continet calorem, licet conſtituat ſolem formaliter lucidum, non tamen formaliter calidum, ſed ſolum eminenter; ergo ſi anima rationalis eminenter ſolum contineet vegetativam & ſenſitivã, non conſtituet hominem formaliter vivens, aut animal, ſed eminenter, quod eſt falſum.

Vnde anima vegetãs & ſentiẽs in cõmuni abſtrahunt à materiali & ſpirituali, generabili & ingenerabili, corruptibili & incorruptibili, ita ut anima vegetãs contracta ad plantam vel brutum, ſit generabilis, corruptibilis, & materialis, contracta vero ad rationalem, ſit ingenerabilis, incorruptibilis, & ſpiritalis. Et ſicut dixi animam rationalem eſſe formaliter vegetantem & ſentientem, ita dicendum eſt animam ſentientem eſſe formaliter vegetantem; ſunt enim iſti gradus hoc modo ſumpti eſſentialiter ſubordinati, quorum ſuperiores includuntur formaliter in inferioribus.

Aſſero ſecundo. Si anima vegetans, & ſenſitiva ſumãtur pro determinatis ſpeciebus plantæ, &

bruti, eas non includit formaliter anima rationalis, ſed eminenter. Suadetur prima pars, quia una ſpecies nequit alteram continere formaliter; ergo ſi anima vegetans ſumatur pro ſpecifica anima plantę, & anima ſenſitiva pro ſpecifica anima bruti, eas non includet formaliter anima rationalis. Suadetur ſecunda. Anima rationalis eſt perfectior entitas, quã anima vegetativa plantæ, & ſenſitiva bruti, & licet non poſsit ipſas animas, poteſt tamen, earũ facultates & operationes producere; nutritur enim homo, & ſentit ſicut planta & brutum; ergo in hoc ſenſu rationalis anima includit eminenter animam vegetantem & ſentientem. Quo ſenſu expono Ariſtotelem, & Divum Thomam, ſi quando dicant, rationalem animam eminenter eſſe vegetativam, aut ſenſitivam.

Opponis. Anima rationalis nõ eſt formaliter corporea, ſed tantum eminenter; ergo nec formaliter vegetans, aut ſentiens. Nego conſequentiam, quia animam eſſe corpoream, eſt eſſe materialem, quod ſpiritalitati noſtræ animæ repugnat; at eſſe formaliter vegetantem & ſentientem tantum eſt eſſe principium facultatum & operationum vegetandi & ſentiendi, quod rationali animæ apprime quadrat. Nota, tameſi noſtra anima formaliter corporea non ſit, eſſe tamen corporis formam formaliter, quod cum ſpiritalitate non pugnat.

***

DVBIVM IX.

An anima rationalis ſit ex ſe immortalis.

IMmortalitas animi noſtri baſis eſt Chriſtianæ pietatis, ut merito in ea ſtabilienda tantum Catholicorum certet induſtria, quantum in ea evertenda deſudat temeritas Atheorum. Diſputat de hoc late Leonardus Leſſius libro 2. de numinis providentia, Conimbricenſes tractatu de anima ſeparata. diſput. 1. Murtia diſput. de immortalitate animæ. quæſt. 1. & 2. Rubius ibidẽ quæſt. 3. 4. & 5. Toletus lib. 3. quæſt. 15. & 16. Hurtadus diſput. 18. de anima ſeparata, ſect. 1. & 2. Vt res à nobis brevius explanetur obſervandum eſt, immortale hic ſignificare, id quod nullius vi cauſarum naturalium aboleri poteſt.

Dico primo. De fide divina eſt animam rationalem homine intereunte non extingui. Hoc dictum plura ſacræ paginæ teſtimonia docent, quæ videri poſſunt apud Conimbricenſes citatos articulo 5. Nobis illud Matthæi 10. ſufficiat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Non omittam Lateranenſis Cõcilij Decretum, ſub Leone 10. ſeſſ. 8. in hæc verba. *Damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam eſſe mortalem, aut unam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non ſolum vere & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum etiam immortalis.* Subditurque id ex Evangelio conſtare, quo animam ab hoſte occidi non poſſe perhibetur. Comprobat etiam Concilium Viennẽſe ſub Clemente V. refferturque

ſecunda Clementina de Trinitate, & Fide Catholica. §. Porrò. Et ſane univerſæ Eccleſiæ conſenſio aperte ſuadet de fide eſſe dictum memoratum. Vnde D. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum. *Quis nunc eſt*, inquit, *extremus idiota, vel qua muliercula, qua immortalitatem anima non credat, vitamque poſt mortem futuram?*

Dico ſecundo. De fide eſt non ſolum animam rationalem non extingui homine intereunte, ſed etiam natura ſua immortalem eſſe, & non ſolum ex gratuito Dei dono, eo modo quo poſſet anima leonia, verbi gratia, æternum durare. Suadetur, quoniam Decretum illud Lateranenſis Concilij, pronuntiat animā rationalem nō ſolum per ſe & eſſentialiter eſſe formam corporis, ſed etiam immortalem; quæ verba, ſi plane accipiantur, ſignificant animam per ſe, eſſentiamque ſuam eſſe immortalem. Velle autem Decretum ſic interpretari, ut dicatur ſolummodo animam iuxta naturam ſuam eſſe formam corporis, ibique illarum dictionum *per ſe, atque eſſentialiter*, ſiſtere vim; deincepſque immortalem non ex natura ſua, ſed gratuito Dei dono prædicari: extorta prorſus, atque ab eius loci inſtituto aliena interpretatio erit, cum de naturæ animæ, non vero de his quæ gratuito illi cōpetunt, Decretum illud procedat. Quare cum in epiſt. Sofronij, quę habetur actione undecima ſextæ Synodi, & tanquam ortodoxa ab ipſa Synodo eſt recepta actione 13. dicitur Angelos & Animas eſſe immortales, non per naturam, ſed per gratiam, quod in quibuſdam Patribus etiam aliquando legitur ita accipiendum eſt, ut nomine gratię non intelligatur donum aliquod ſupernaturale, ſed influxus Dei liber; nā ſicut Deus conſerens libere hunc influxum conſervat animam, ita poſſet libere illum ſubſtrahere, & ſic animam in nihilum redigere; hæc igitur liber à Dei conſervatio animæ gratia dicitur, & Dei liberalitas, licet de potentia ordinaria ſit eidem animæ debita, iuxta ſuā naturam. Cum vero apud Paulum 1. ad Timotheum ultimo Deus ſolus dicitur habere immortalitatem, ſermo eſt de omnimoda immortalitate, qua res nullo modo etiam ab extrinſeco deſtrui poteſt.

Demum illa teſtimonia, quæ ſignificare videntur animam cum homine pariter extingui, ut Eccleſiaſtes cap. 3. *Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua utriuſque conditio, &c.* Sapientiæ 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus*, exponenda ſunt iuxta Divum Gregorium lib. 4. dialog. cap. 4. alioſque ſacræ paginæ ad citata loca expoſitores, aſſerendo verba illa proferri in perſona impij, eo fine, ut nulla exiſtimatione futurę vitę, ad pręſentis gaudia incumbamus. Vel dic, non de anima ſigillatim, ſed de toto homine procedere, quem veriſsimū eſt non poſſe poſt mortem revocari ad vitā naturaliter.

Dico tertio. Ratione naturali demōſtrari poteſt animæ immortalitas. Nam ſi anima ab intrinſeco eſſet corruptibilis, aut deſineret propter defectum ſubiecti, vel ratione contrarij, vel defectu cauſæ conſervantis. Non defectu ſubiecti; anima enim rationalis informat materiam, tanquam forma ſpiritalis per ſe ſubſiſtens, atque adeo à materia independens in entitate in fieri &, conſervari;

ergo deſtrui non poteſt defectu ſubiecti, neque à contrario; animus enim nullum habet, niſi formas, quarum introductione pellitur à materia. Si ergo per ſeparationem à materia non deſinit, neque perit actione contrarij. Neque defectu cauſæ conſervantis, ſicut enim à ſolo Deo per creationem fit, ita ab eo ſolo conſervatur. Quare per ſolam ceſſationē divini influxus poſſet perire; Deus autem non ceſſat à conſervatione rerum, niſi ad defectū cauſæ proximæ; ergo, &c.

Firmatur primo, evidenti illa demōſtratione morali, quam perſequitur D. Chryſoſtomus homil. 4. de providentia. Lumine naturali conſtat Deum eſſe ſupremum huius mundi gubernatorem, & pertinere ad providentiam gubernatoris iuſti, malos ſuppliciis, bonos præmiis afficere; ſed hoc non fit in hac vita, cum iniqui proſperentur, boni angantur, ergo fieri debet poſt hanc vitam; non ergo pereunt hominum animæ una cum corporibus. De hac ratione qui dubitant, ait Chryſoſtomus, dubitare etiam poſſe an in meridie dies ſit. Divus Clemens tertio libro recognitionum teſtatur, Sanctum Petrum argumentatione hac uſum fuiſſe. *Si Deus iuſtus eſt, anima eſt immortalis.* Nec ſufficit dicere, ſufficiens eſſe præmium virtuti, ipſam delectationem honeſtæ actionis, & ſufficiens inordinatæ actionis ſupplicium, voluntatis inordinationē, quæ illam conſequitur: nam non raro evenit ut multo maior ſit labor ſtudioſæ actionis quam delectatio inde exhorta; rurſuſque maior in peccato voluptas, quam doloris ſtimulus, ut proinde hoc nō ſatis punitum cenſeatur, neque illa ſufficienti præmio cumulata.

Firmatur ſecundo ex ſpe futuræ vitæ, & præmij, qua iuſti moriuntur, & timore pœnæ imminentis, quo ſcelerati anguntur in morte. Tertio. Experimur noſtrā animam temporali aliquo bono non ſatiari, habere etiam appetitum ad vitam ſempiternam, & honorem poſt mortem corporis, quod bruta non curant. Poſtremo. Si anima exuta corpore non conſiſteret, nihil æque naturaliter horreret ac mortem, nilque eſſet, natura dictāte, adeo illi charum, quod non libenter admitteret, ut mortē arceret, quippe mors animum omni bono ſpoliaret, efficetque ſummum eius malum, & vita hæc præſens, ſummum eius bonum: at cōtrarium experimur, plurimos ſcilicet vitam iſtā parvi æſtimare, licet omnibus fortunæ bonis affluentem, eam pro libertate, pro vitando dedecore, pro laude, pro fama, pro virtutis pulchritudine fundentes propriis quandoque manibus. Quapropter iniuria Scotus in 4. diſt. 43. q. 2. ſingulariter exiſtimavit veritatem iſtam, ſicut & Dei providentiam, non poſſe naturali ratione demonſtrari.

Quod attinet ad mentem Ariſtotelis, probabilius exiſtimo cognoviſſe, & adſtruxiſſe immortalitatem animæ; ſunt enim clara teſtimonia, quæ id affirmant, contrarium autem non habetur expreſſe in ipſo, ſed ab interpretibus colligitur, ut notavit Toletus. Vide Conimbricenſes citatos articulo 5.

***

DI-

DISPVTATIO TERTIA, De potentiis, & actibus animæ.

SVPER hac una re non incruente digladiantur huius ævi Philoſophi in duas quaſi cohortes diviſi, ſuamque quique ſtationem valido propugnant laceito, firmo tutantur nervo: tuebimur ipſi quam veriorem, quam commodiorem, quamque aliis, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ diſceptationibus cenſebimus utiliorem.

DVBIVM I.

Num potentiæ realiter ab anima differant.

NOminales, & alij citati apud Conimbricenſes lib. 1. cap. 3. quæſt. 4. Coninch tomo 1. in 3. par. quæſt. 77. artic. 4. num. 48. & Hurtadus diſput. 4. ſect. 4. docent potentias eſſe idem realiter cum ſubſtantia animæ, & animam ipſam diverſarum potentiarum nominibus inſigniri, pro diverſitate operationum, quarum eſt principium; dici enim animam ut conſtituit corpus animatum, intellectum vero, ut eſt intellectionum principium, & voluntatem ut eſt volitionum radix, atque ita ad reliquas ſuas facultates ſeſe habere.

Ita communis Philoſophia & Theologia, quam illuſtrat D. Thomas 1 p. q. 77. art. 1. & aliis locis, Caietanus ibidem, Suarez diſp. 18. met. ſect. 3. nu. 13. & ſeqq. Conim. ſupra, Tolet. q. 9. Vazq. Rubius tractatu de potentiis. q. 1. Murtia diſp. 1. q. 1.

Aſſerendum tamen, potentias animæ realiter ab eius eſſentia diſtingui. Suadetur primo ex Ariſtotele lib. 1. de anima text. 9. & lib. 2. textu 19. ex Divo Dionyſio de cœleſti Hierarchia cap. 11. diſtinguente realiter in Angelis eſſentiam, virtutem, & operationem, quæ in anima à fortiori diſtinguentur, ex Auguſtino lib. 15. de Trinitate, cap. 7. dicente mentem non eſſe animam, ſed id quod excellit in anima.

Suadetur ſecundo ratione à priori facta communiter à Theologis & ſanctis Patribus, qui in hoc potiſsime ſubſtantiã increatam diſtinguunt à creata, quod illa propter ſummam perfectionem & ſimplicitatem ſibi ſit ſua virtus & operatio, hæc vero ob imperfectionem & compoſitionem operetur mediis virtutibus, & operationibus à propria ſubſtantia diverſis. Quare dicere ſolent, eandem rem eſſe ſubſtantiam & potẽtiam operativam, videri perfectionem Dei propriam, ſicut & habere ſubſiſtentiam ex natura rei a ſubſtantia indiſtinctam, & ſicut hoc naturæ creatæ de facto non tribuitur, neque primum tribui oportet. Immo hinc colligunt ſatis probabiliter docti Recentiores nullam creaturam eſſe poſsibilem, cuius ſubſtantia & potentia ſit idem, ſicut & quod eius ſubſtantia & ſubſiſtentia idem ſit: quod accuratius examinare Theologi eſt in materia de Angelis.

Dices. In forma accidentali, intellectu, verbi gratia, identificatur eſſentia & virtus operandi; ergo poteſt etiam in

ſubſtantia; ſimplicitas enim quæ ineſt accidenti bene poteſt ineſſe ſubſtantiæ. Reſpondeo, non negari poſſe aliquam entitatem eſſe potentiam eſſentialiter operativam, ſed tantum poſſe idemptificari potentiam hanc cũ ſubſtantia, quæ dat eſſe ſimpliciter; maior enim perfectio eſt in eadem entitate coniungi rationem ſubſtantiæ & potentiæ operativæ, quam rationem accidentis, & potentiæ: ſicut licet aliquod accidens ſit eſſentialiter operatio, nequit ratio operationis eſſe idem cum ſubſtantia creata.

Tertio. Virtutes naturales, & facultates motrices rerum inanimatarum, re differunt ab earum ſubſtantia; ergo & potentiæ ab anima. Antecedens liquet inductione facta in elementis & mixtis. Nam ignis non calefacit per ſuam ſubſtantiam, ſed per calorem ſuperadditum, idemque in cæteris ſuo modo reperies. Similiter potentiæ loco motrices elementorum ſunt realiter ab ipſis diverſæ, ut gravitas à terra, levitas ab igne: Præterea in mixtis clarius id oſtenditur à quibus eorum virtutes ſeparatę exiſtunt in venerabili Euchariſtiæ myſterio, ut calor, frigus, ſiccitas, &c. à ſubſtantia panis & vini.

Reſpondet Hurtadus, ideo ad operationes non vitales requiri potentias à ſubſtantia diſtinctas, quia iſta non concurrunt immediate ad tales operationes ut fatetur Suarez, in anima vero requiri, quia anima concurrit immediate, nam idem principium debet amare & intelligere. Verum hæc ſolutio non ſatisfacit, nam ſi ſemel admittatur ſolam animam poſſe efficere actus vitales, ſine potentiis, qua ratione negari poteſt, ſubſtãtiam inanimatam, non poſſe efficere ſuos actus vitales ſine illis? unde omnes potentiæ tollerentur. Patet, quia in ſubſtantia inanima effectus ex eo quod ſit non vitalis, non requirit principium diſtinctum à ſubſtantia, ut videre eſt in frigiditate immediate emanante à forma aquę, qui tamen effectus nõ eſt vitalis; neque ex eo quod ſubſtãtia nequeat immediate ſuas operationes elicere, id enim animæ conceditur; tollantur ergo omnino potentiæ, vel in anima relinquantur.

Quarto. Anima ad operationes vitæ eſt cauſa generalis, ergo debet per aliquid ſuperadditum determinari ad peculiares operationes, hoc autem fit per potentias particulares, ſicut cauſæ ſecundæ determinant influxum primæ.

Reſpondet Hurtadus, indifferentiam iſtam in animo ſufficienter tolli per ſpecies impreſſas, & expreſſas, nam ſpecies intellectualis impreſſa determinat illam ad apprehenſionem, apprehenſio ad iudicium, iudicium ad diſcurſum. Species vero expreſſa ſive cognitio determinat ipſum advolitionem, ſicut enim per ſpecies ſimiles intellectus & voluntas, quæ in noſtra ſententia manent indifferentes, ad diverſos actus determinantur, ita & animus poterit per eaſdem determinari immediate. Contra tamen, nam ſpecies ſolum poſſunt determinare animum, ut feratur in hoc obiectum, potius quam in aliud, ergo ut feratur intelligendo, aut amando, debet ab alio principio determinari.

Quinto. Subſtantia animæ non recipit per ſeipſam quidquid recipit, ergo neque operatur per ſeipſam

ſeipſam quidquid operatur. Antecedens patet in præſentia locali ſubſiſtentiæ, vel alterius modi vel accidentis, quam non recipit niſi eo medio.

Sexto. Nam ut recte Suarez non ſufficit quælibet eminentia virtualis ad effectum, nam intellectus agens ſimul cum phantaſmate continet ſpeciem intelligibilem eminenter, & tamen nequit efficere intellectionem ſine conſortio ſpeciei intelligibilis; ergo licet anima eminenter contineat ſuas potentias, non ſit poſſe producere per ſe ſolam quidquid cum earum concurſu. Reſpondet quidam, illud provenire, quia deeſt determinatio ex parte obiecti, ſed & nos dicimus id provenire, quia deeſt determinatio ex parte principij generalis & indifferentis.

Septimo ſuadetur ex principiis Fidei, & communiori ſenſu Patrum ac Theologorum; illa enim docet, nobis infundi gratiam, fidem, charitatem, alioſque habitus ſupernaturales diſtinctos à ſubſtantia animę, qui ſunt inſtar potentiarum, nam dantur abſolute ad poſſe; atqui Patres & Theologi docent, gratiam recipi realiter in ſubſtantia animę, fidem in intellectu, & charitatem in voluntate; ergo ſignum eſt intellectum, & voluntatem ab anima realiter diſtingui.

Reſpondet Hurtadus, gratiam comitari conceptum naturæ, ideoque eſſe in ſubſtantia animæ, fidem vero eſſe in intellectu, id eſt in anima ad actus intellectus ſupernaturales efficiendos, quæ ſub eo conceptu eſt intellectus; charitatem vero eſſe in voluntate, id eſt in anima ad actus amoris, ſub quo conceptu anima eſt voluntas. Verum ex hac reſponſione roboratur noſtra probatio, nam ſicut anima eſt eſſentia & natura in ordine naturali, ita gratia eſt ipſa eſſentia in ordine ſupernaturali, & conceptum naturæ imitatur; igitur ſicut habitus & quaſi potentiæ ſupernaturales realiter diſtinguuntur ab eſſentia ſupernaturali, nam fides iuxta Catholicam doctrinam, & charitas iuxta opinionem Theologorum, quā non reiicit Hurtadus realiter diſtinguitur à gratia, ita & potentiæ naturales, ut intellectus & voluntas realiter diſtinguentur ab anima.

Octavo. In homine potentiæ vegetatrices, & ſenſitivæ ſunt corporeæ & materiales; ergo realiter differunt ab anima, quæ eſt ſpiritualis. Patet conſequentia, nam eadem entitas nequit eſſe ſpiritalis & corporea. Antecedens probatur, nam earum operationes recipiuntur in organo corporeo, & fiunt ab obiecto & ſpecie materiali; at nihil ſpiritale inhæret ſubiecto materiali; ergo idem eſt in aliis viventibus. Patet conſequentia, quia hominis anima præſtantior eſt aliis, ergo ſi hæc eget virtutibus accidentalibus ſuperadditis ad operationes ſentiendi & vegetandi, à fortiori egebunt animæ brutorum, & plantarum; maxime cum hæc neceſsitas ortũ habeat ab imperfectione ſubſtantiæ creatæ. Tum etiam ſi ipſa anima rationalis, per ſe ſolam nõ ſufficit ad operationes has inferiores eliciendas, nec ſufficiet ipſa ſola ad operationes intellectus, & voluntatis, quę perfectiores ſunt, indiget ergo potentiis accidentalibus.

Aliqui concedunt antecedens de ſenſibus, negant vero conſe-

quentiam de intellectu & voluntate, ſed non conſequēter; ſi enim ſemel admittitur indigentia, & diſtinctio ſenſuum externorum, & potentiarum materialium, cur non admittetur etiam potentiarum ſpiritualium? Vide Mendoza §.39. ideo ipſe §.40. negat antecedens: aitque ſenſus internos, & externos eſſe idem adæquate cum toto compoſito; hocque differre, ait, intellectum à ſenſu, quod intellectus ſit unum ſimplex principium activum & receptivum intellectionis; ſenſus vero ſit principium compoſitū includens unā partem activam, quæ eſt anima; & alteram paſsivam, quæ eſt corpus, ab utraque tamen in re indiſtinctum. Hoc tamen non placet, tum quia ſic ſenſationes non eſſent vitales, & immanentes perfecte, & propriè: tum etiam quia ſaltem in brutis tales actus recipi connaturalius poſsint in anima, quod non bene negatur: tum denique, quia Concilium Tridentinum diſtinguit realiter appetitum ſenſitivum à voluntate, & quidem ut ex eodem patet tanquam principium aliquod activum appetitionum: unde libere nimis dicetur ideo appetitū ſenſitivū ab anima diſtingui, quia actus appetitionū recipiuntur in materia, quæ diſtinguitur ab anima.

Mitto voluntatem vocari potentiam cæcam: quo ſignificatur non cognoſcere obiectum; at in contraria opinione voluntas cognoſcit, & intellectus amat, nam utrumque immediate præſtat ab anima, quæ, & ſimilia abhorrent à communi more ſentiendi, & loquendi.

Poſtremo eadem concluſio communiore Theologorum ſententia de potentiis Angelorum, quæ ponuntur realiter diſtinctę cum D. Thoma 1. par. quæſt. 54. art. 3.

Arguit primo Hurtadus auctoritate plurium Patrum, & præſertim Auguſtini lib. de ſpiritu & anima, & Divi Bernardi, qui ſermone 11. in Cantica ſententiam ex Auguſtino ſumens ait: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria eandem eſſe animam*; at ſi diſtinguerentur realiter ab anima, non eſſent anima, ſicut lux non eſt Sol; ergo. Reſpondeo primo, monens Hurtado ne tantam vim faciat in illis teſtimoniis libro de ſpiritu & anima; non enim eſt Divi Auguſtini ut credunt Doctores Lovanienſes & Conimbricenſes, ſed alicuius authoris multo recentioris, ut optime Bellarminus de ſcriptura eccleſiaſtica, folio 99. Deinde ad illud Divi Bernardi dico, memoriam, intellectum, & voluntatem vocari eandem animam radicaliter, quia ipſa eſt radix ſuarum potentiarum. Alia teſtimonia, quæ obiici ſolent ex Patribus, eodem modo ſunt prælibanda.

Arguit ſecundo. Noſter animus immediate concurrit efficienter ad actus vitales ſpiritales, ergo in eo genere non eget potentiis ad eiuſmodi actus. Antecedens communiter ponitur, ſive potentiæ dentur diſtinctæ ab anima, ſive non: Conſequentia oſtenditur, nam anima eſt cauſa adæquata talium actuum; ergo fruſtra ſuperadduntur potentiæ. Probatur antecedens: illa eſt cauſa adęquata, cui attribuuntur omnes formalitates in effectu repertæ; ſed ſoli animæ cum ſpecie impreſſa attribui poſſunt omnes formalitates intellectionis, verbi gratia; ergo anima cum ſpecie impreſſa eſt adæquata cauſa illius. Minor

probatur, quia tam vitalitas quã ratio intellectionis recte attribuuntur animæ rationali; hæc enim & operatur vitali modo, & eſt ex natura ſua determinata ad intelligendũ. Ratio vero talis intellectionis tribuitur ſpeciei impreſſæ.

Reſpondeo, negando primam conſequtiam. Ad eius probationem antecedens. Ad cuius etiam probationem neganda eſt minor iuxta probationem ſecundam noſtræ concluſionis. Adde, ſi illud argumentum valeret, tollendum eſſe omnem concurſum duarum, & plurium cauſarum ſeorſim ſufficientium, & partialiter ad eundem effectum confluentium, quibus cauſalitatibus plena eſt natura: nam omnes formalitates talis effectus attribui poſſunt ſingulis cauſis, ut quãdo duo ignes ex ſe ſufficientes concurſu attemperato generant alium ignem, vel quando unus ignis cum calore ignem producit, ita ergo hic tota entitas intellectionis æque reſpondet animæ, ac potentiæ intellectivæ. Vnde nos non requirimus potentiam intellectus ut ei aliqua formalitas intellectionis ſpecialiter tribuatur, ſed propter rationes memoratas.

Arguit tertio. Anima eſt adæquatum & immediatum principium activum ſuarum potentiarum in ſententia contraria, quæ illas realiter diſtinguit, ergo & ipſa anima erit immediatum & adæquatum principium ſuorum actuum. Patet conſecutio, quia potentiæ ſunt perfectiores quam actus: & præterea ſicut anima eſt plurium actuum generale principium, ita & plurium potentiarum; atqui ex ſe determinatur ad producendas immediate potentias, ſine interventu aliarum potentiarum, ergo & ad actus, ſi adſint reliqua requiſita, ut ſpecies impreſſę. Cõfirmatur primo; quãvis enim admittamus immediatum cõcurſum accidentis in ſubſtantiam, non ſtatim debet admitti immediatus concurſus potentiarum in actus; quia cum accidens attingat ultimam diſpoſitionem ad formam, poſſet dici attingere quoque formam: at potentiæ non vendicant eiuſmodi rationem concurrendi. Confirmatur ſecundo. Nam Divus Thomas ea ratione tenet potentias animæ eſſe realiter diſtinctas; & concurrere ad actus vitales, quia ipſe exiſtimat animam non concurrere ad ullos actus; ergo cum nos teneamus concurrere, tollendæ ſunt potentiæ accidentales.

Reſpondeo, egregie retorqueri poſſe ad hominem, nam ſubſtantia inanimata per ſe eſt principium adæquatum ſuarum potentiarum, & tamẽ non eſt adæquatum principium, & proximũ omnium ſuorum actuum, cum illos, ut ais, per potentias operetur; ergo quamvis anima ſit principium adęquatum ſuarum potentiarum, non ſit ſimiliter eſſe principium proximum adęquatum ſuorum actuum. Vnde ea ratione qua ipſe ponit potentias ſuperadditas in ſubſtantia inanimata ad agẽdum, ponimus nos in anima, & inſuper addimus ad actus vitales pręter concurſum potentiarum requiri immediatũ concurſum animæ ob peculiarẽ eiuſmodi actuũ perfectionem, & vitalitatem. Igitur ut reſpondeatur in forma ad argumentũ, diſtinguenda eſt duplex actio, alia quę conſequitur neceſſario rei ſubſtantiam, ſine dependentia ab obiecto, vel mate-

ria extenſa in qua fiat, per quam natura completur in perfectione ſibi debita ipſo generationis inſtanti, ideoque vocatur naturalis reſultantia, & per hanc fiunt potentiæ naturales à formis reſultantes. Alia eſt quæ non ſemper & neceſſario conſequitur rei ſubſtantiā, & pēdet ab obiecto & materia extēſa, & iſta ſolet dici operatio, & ad eam requiritur potentia accidētalis. Ex eo autem quod anima ſit principium ſufficiens actionis prioris generis non concluditur eſſe ſufficiēs principium actionis generis poſterioris, neq; ex eo quod poſsit ſe ſola producere potentiam, ſit poſſe ſe ſe ſola producere quidquid potentia poteſt; etenim aqua ſola eſt ſufficiēs ad producendā in ſe frigiditatē, non tamē ſine ea ad infrigidandū alienū ſubiectum, tum quia virtus formæ poteſt eſſe limitata ad perfectionē proprij ſuppoſiti, & ad talem modum actionis per reſultantiā, ſicut gravitas immediate ſolū movet ſuppoſitum in quo ineſt.

Ad primam confirmationem ex dictis patet ſolutio. Ad ſecundam dico D. Thomā in re nobiſcū conſentire, licet diſſentiat in probatione, quamquā nec in ea diſſentiet, ſi ipſum negantem animam concurrere ad ſuos actus intelligas cum Suario tanquam principium ſe ſola adæquatum.

Arguit ultimo. Nō repugnat animę eſſe principiū proximū & adæquatū ſuorum actuū ſine potentiarū miniſterio ob ſummā perfectionē, quia id cōvenit multis accidētibus, ut frigori, & calori, neque ob ſummā imperfectionem, quia Deus ſine ullis potētiis ſuper additis operatur ſuos actus externos; ergo idem hic concedēdum, cum fruſtra fiant per plura, &c.

Itaque ut defendit Hurtadus nulla potentia vitalis eſt accidentalis, ſed eſt adæquate idem cum anima ſi ſpiritalis ſit, vel cum toto compoſito ſi materialis.

Reſpōde, tantā eſſe perfectionē eſſe principium per ſe activū ſuarum operationū, ut non cōveniat animę, neque ſubſtantiæ ulli creatę, ob rationē datam. Neque obeſt, quod id conveniat potentię accidentali: maior enim perfectio eſt coniungi in eadē entitate rationē ſubſtantiæ & potentię operativę, quā rationem accidentis & potētiæ. Sicut maior eſt perfectio coniungi rationē ſubſtātiæ & actualis operationis, quā rationē accidētis & operationis actualis, ex quo fit ut licet nequeat ratio actualis operationis habere idemptitatem realem cum ulla ſubſtātia creata, poſsit tamen cū aliquo accidenti.

DVBIVM II.

De ſeparatione potentiarum ab anima.

Cenſeo primo. Potētiæ & anima poſſunt divinitus ſeparari mutuo, & ita conſervari. Probatur, nā quę differūt ut res, & res, & nō habēt interſe connexionem eſſentialem, aut depēdentiā, poſſunt mutuo ſeparata cōſervari divinitus; ita ſe habēt potentię & anima; ergo, &c. Cōfirmatur, quia nō minorē connexionē habet materia & quantitas inter ſe, quā potētiæ & anima; ſed materia poteſt divinitus conſervari ſine quātitate, & ē converſo; ut de facto contingit in venerabili Euchariſtiæ myſterio, in quo deſtructa materia & ſubſtantia panis perſeverat quantitas; ergo & anima conſervari poterit divinitus ſine potentiis, & ē contra.

Ita Conimb. 1. de gener. c. 4. q. 10. art. 1. & 1. de anima. c. 3. q. 4. art. 4. cōtra Caiet. 1. p. q. 54. art. 4. & aliis.

Cenſeo

Cenſeo ſecũdo. Si anima ſepare tur à potentiis, poterit in ſe alias producere, niſi aliunde impediatur. Patet. Aqua privata naturali frigiditate poteſt aliã in ſe produ cere ſuæ relictã naturæ; ergo anima privata potentiis naturalibus poterit alias producere ſuæ relictã naturæ. Dixi niſi impediatur, quia aliquę ſunt potentię, quæ requirunt in corpore varias diſpoſi tiones organorũ ut in eo recipian tur, & cum eas nequeat anima ſemel abſumptas revocare, ideo tũc nequit eas potẽtias producere, nõ defectu virtutis activæ; hæc enim integra manet, ſed defectu cauſæ materialis non diſpoſitæ ad receptionem, atque hæc eſt cauſa cur anima ſemel viſus potentia privata labefactato organo non poſſit aliam in ſe efficere.

Cenſeo tertio. Anima cõſervata divinitus ſine potẽtiis, quas in ſe recipit maneret violẽta, nõ tamen ſine illis, quas in ſe non recipit. Prima pars, cõmunis, & clara. Nã privaretur perfectione propria, & ſibi connaturali, ſine adquiſitione alterius formę poſitivę naturalis, vel ſupernaturalis ſupplentis defectus potentiarũ, ſicut etiã materia ſine omni forma eſſet violenter, & quodvis ſubiectum ſine accidente ſibi debito, nullo interim loco illius ſubrogato. Si tamẽ animæ rationali ſuo intellectu privatę tribueretur intellectus Angelicus, eoque intelligeret, non pateretur violentiam, ſicut neque natura humana Chriſti Domini privata naturali ſubſiſtẽtia, quia nobilior & ſupplens inferioris defectum, ſubrogatur.

Secũda pars ſuadetur, nã anima ſublatis potentiis, quę ipſi nõ inhęrent, nõ amittit perfectionẽ ſibi intrinſecã, neque recipit aliquid contra naturalem inclinationem, nam carẽtia actionis productivæ potentiarũ, tunc illi contingeret, vel ex ablatione materiæ, vel ex negatione concurſus Dei: quovis vero ex his modis accideret carẽtia actionis, nihil intrinſecũ amitteret anima, neque aliquid ſibi repugnans acquireret, quod requiri videtur ad violentiam. Confirmatur; nemo enim dicit animam rationalem ſeparatam eſſe violentam, quod careat ſenſibus, quos in ſe non recipit.

Cenſeo quarto. Potẽtię vitales à proprio ſubiecto ſeparatæ poſſent alteri extraneo phyſice uniri. Ratio eſt, quia nõ minus petit forma accidẽtalis cõnaturaliter ſubiecto inhęrere, quã potentiæ vitales inhęrere ſubiecto animato, ſed divinitus poteſt cõſervari accidens ſine omni ſubiecto, ergo & potẽtię vitales in ſubiecto nõ animato, ut lapide. Cõfirmatur, nã magis repugnat eſſe potẽtiã vitalẽ ſine omni ſubiecto, quã eſſe in ſubiecto inanimato; illud enim primũ eſt cõtra naturã communẽ accidentis, quod exigit inhęrere ſubiecto, & cõtra naturã talis accidẽtis, quod efflagitat eſſe in ſubiecto animato. Secundũ vero ſolum eſt contra iſtam naturã peculiarẽ potentiæ, quatenus eſt accidẽs vitale, ſed primũ divinitus prę ſtari poteſt, ergo ſecundum. Quod ſi potentia viſus exẽpli cauſa, lapidi uniretur, illũ denominaret formaliter affectum potentia viſus, non tamen viſivũ, quia viſivum formaliter eſt denominatio ſubſtãtiæ & principij potentis vitaliter influere active in actũ viſionis; lapis autẽ tũc nullo modo poſſet concurrere cũ potentia, imo neque potẽtia ipſa ibi exiſtẽs elicere poſſet viſionis actum, quia ad eũ illi deficeret influxus

activus animę, qui eſt omnino neceſſarius ut fiet perſpicuum infra dum de actu vitali erit ſermo.

Cenſeo quinto. Potentiæ vitales ſeparatæ ab anima violenter exiſterent, non quod eſſent privatæ eductione ex ſubiecto per quam connaturaliter fieri petũt, cum ſint formæ accidentales in ſua exiſtentia ab illo pendentes, quia tũc conſervarentur per creationem, quæ eſt actio nobilior, & cumulate ſupplẽs eductionis defectum; neque quod eſſent privatæ unione formali ad ſubiectum, quam habent omnes formæ eductæ in opinione Suarij, & aliorum, diſtinctã reipſa ab eductione, nam tunc ut ſeparatæ conſervarẽtur, acciperent divinitus modum ſupernaturalem per ſe exiſtendi, ut docent authores eius opinionis. Ratio ergo eſt, quia potentiæ in ſtatu ſeparationis ab anima privarentur omni actu im manente, qui eſt perfectio intrinſeca potentiæ, neque aliunde illud ſuppleretur ut ſupono, ergo eſſent violenter. Antecedens patet, nam omnis potentia vitalis, ſaltem naturaliter, pẽdet in actu vitali eliciẽdo ab immediato animæ concurſu, ſed tunc anima abiuncta non poſſet concurrere cũ potentia, ergo hæc neceſſario privaretur omni actu vitali: atque hoc non paucos præteriit qui abſolute pronuntiant potentias, ſi modo prædicto ſeparatæ conſerventur in ſtatu violento futuras.

DVBIVM III.

De cauſis potentiarum animæ.

Incipiendo à cauſa earum effectiva, dico primo. Potentiæ fiunt actione propria, realiter & ſpecie diverſa ab ea qua fit anima. Patet concluſio ex doctrina communi de cauſa efficiente, & ex dictis ad tertium phyſicum de productione cuiuſvis proprietatis ex natura rei ab eſſentia diſtinctæ. Pars prima probatur, quia ibi reperitur agens, ſubiectum, & terminus, & dependentia termini ab agente recepta in ſubiecto, ergo eſt vera actio & eductio; ſimultas enim realis termini cum agente, non tollit veram actionem, ut patet in illuminatione. Secunda pars probatur. Actio eſt dependentia termini ab agente, ergo ubi dantur plures res dependentes, dantur plures actiones, vel dependentiæ; ſed potentiæ & anima ſunt plures res dependentes, ergo, &c. Tertia pars de diſtinctione ſpecifica, patet ex diſtinctione ſpecifica terminorum. Et probatur à ſimili in aliis cauſalitatibus; nihil enim recipitur in ſubiecto per materializationẽ alterius, nec una forma, per alterius informationem informat; ergo neque una res poteſt produci per actionem terminatam ad aliã rem. Divus vero Thomas negat emanationem potentiarum eſſe actionem, ſumpto actionis nomine pro vera mutatione, quæ fit ex ſubiecto prius tempore exiſtente ſub privatione, vel forma contraria. Vide Suarium diſputat. 18. ſect. 3.

Dico ſecundo. Anima eſt cauſa efficiens principalis, & immediata omnium ſuarum potentiarum. Prima pars oſtenditur. Potentiæ ſunt proprietates animæ; ergo fluunt effective ab anima. Conſequentia patet in aliis proprietatibus, quæ effective fiunt à ſubiectis inanimatis, ut frigiditas

ab aqua,quod ſæpe diximus. Calor item ab igne, nam cum ſæpe non poſsit in gradu ſummo ab agente extrinſeco produci,poſtea ex forma ignis,eius complementum reſultat ut in libris de generatione eſt dictum, cuius ſignum eſt, quod difficilius pellantur qualitates à ſubiecto naturali, quam ab extraneo, quia nimirum in illo conſervantur effective à forma,non in iſto;ergo, &c. Secunda pars, quia anima eſt nobilior ſuis proprietatibus & potentiis,& proportionata ad illas,ergo erit cauſa principalis æquivoca illarum. Confirmatur,nã ignis producens alium ignem, & calorem ad illum neceſſarium,cenſetur cauſa principalis, & ignis, & caloris;ergo & quando producit in ſe calorem,cauſa erit principalis,atque adeo anima ſuarum proprietatum.

Dico tertio. Omnes potentiæ vitales immediate producuntur ab anima,cum ordine tamen quodam inter ipſas: ita nimirum ut aliæ ſupponantur ad productionem aliarum, ſed ſine cauſalitate effectiva unius in aliam. Oſtenditur primo, quia inter potentias animæ ſenſitivæ non intereſt dependentia effectiva imperfectiorum à perfectioribus; ergo neque inter vegetativas, & rationales. Antecedens patet, tum quia neque ſenſus externi fiunt ab internis, neque inter externos cæteri pendent effective à viſu, qui eſt perfectiſsimus omnium;aliquando enim generatur animal ſine viſu,ob materiæ indiſpoſitionem, licet non ſine aliis ſenſibus; tum etiam, quia tactus,qui eſt omniũ ſenſuũ imperfectiſsimus, eſt primus ordine generationis, ac velut fundamentum cæterorum;ergo idem dicendum de potentiis animæ vegetativæ, & rationalis. Confirmatur. Actus unius potentiæ non fit ab alia potentia, ſed à ſua unà cum anima, ergo potentia imperfectior non fit à perfectiore, ſed omnes immediate ab anima. Neque obſtat Divus Thomas 1.par.quæſt.77.art.7.aſſerens non omnes potentias oriri immediate ab anima, ſed imperfectiores à perfectioribus proxime; ſolum enim indicat unam potentiam eſſe quodammodo cauſam alterius, quod ita intelligo, ut una fluat à ſubſtantia animæ, præſupponendo alteram,tanquã conditionem,vel diſpoſitionem;ſicut voluntas intellectum ſupponit,& ſicut potentiæ appetitivæ cognoſcitivas in ſuis operationibus ſine ulla efficientia ſecundarum in primas.

Dices primo. In rebus inanimatis qualitates ſecundæ oriuntur effective à primis, ergo unæ potentiæ animæ poſſunt ab aliis effective oriri. Reſpõdetur,etiam dato antecedente eſſe diſparem rationem; nam qualitates primæ & ſecundæ ſunt diverſi ordinis, & ſecundæ eſſentialiter imperfectiores & poſteriores primis, ideoque poſſunt ab ipſis, ut à cauſis æquivocis oriri; potentiæ vero eiuſdem animæ ſunt eiuſdem ordinis, & ſæpe imperfectiores ſunt priores ordine originis.

Dices ſecundo. Vna proprietas per aliam à priori demonſtratur, exempli cauſa riſibile per admirativum, ut docetur in Logica, igitur una potentia oritur ab alia uti vera cauſa. Reſpondeo, ad id ſufficere intrinſecam & naturalem ſubordinationem inter eiuſmodi proprietates ratione cuius poſterior non oritur, nec præ-

dicatur

ſpeciem capit. Secunda pars conſtat, quia ſæpe idem obiectum materiale ſpectatur à duplici potentia eſſentialiter diverſa, exempli cauſa eadem res ab intellectu & voluntate, à ſenſu & appetitu, non tamen idem eſt obiectum formale, nam ſub diverſa ratione intellectus & voluntas circa illam eandem rem feruntur, ergo à formali obiecto ſpecificantur. Firmatur ex Ariſtotele ita docente expreſſe hic lib. 2. textu 37. Adverte tamen licet potētię ab actibus, & obiectis ſpecificentur, diverſa tamen ratione, nam ab acti bus immediate, & ab obiectis me diate, quod indicat vulgare axioma ductum ex Ariſtotele libro citato, cap. 4. Potentię ſpecificantur per actus, & actus per obiecta: cuius ratio eſt, quia potentiæ mediis actibus circa obiecta verſantur.

Obiicis primo. Nihil ſpecificatur ab eo quod eſt poſterius; ſed actus ſunt poſteriores quam potentiæ; ergo ab illis ſpecificari nequeunt. Reſpōdeo, quamvis actus in exiſtendo ſint poſteriores potentiis, eſſe tamen priores in intentione, & in genere cauſæ finalis, quod ſufficit ut dent illi ſpeciem tanquam terminus habitudinis tranſcendentalis; ſic enim prior natura eſt materia quam forma, & tamē ab ea ſpecificatur.

Obiicis ſecūdo. Actus eiuſdem potentiæ ſæpe ſunt contrarij, ut error & ſcientia in intellectu, ac proinde ſunt contraria obiecta, in quæ illi actus feruntur, ergo non poſſunt ſpecificari ab illis; potentiarum enim ſpecificatio, una eſt in ſingulis, quæ à rebus contrariis ſumi non poteſt. Reſpondeo, dato antecedenti, negando conſequentiam. Ratio eſt, quia tametſi actus contrarij eſſe poſſint, & obiecta, non tamen ſpecificant unam potentiam ſub ratione contrarietatis, ſed convenientiæ in una ratione obiecti, & actus adæquati. Plura de hoc Conimbricenſes capit. 3. quæſt. 5. artic. 2.

Circa ſecundum obſerva, ut aliqua potentia ſit vitalis non ſufficere, ut ab anima oriatur, ſed ut oriatur ab ipſa ut anima eſt, ſeu principium motus vitalis. Quare gravitas, quæ in vivente ab anima in probabiliorī opinione oritur, non cenſetur potentia vitalis, cūm ſolum emanet ab illa quatenus dat gradum corporis, vel eſt forma mixti perfecti in communi; idemque eſt de cæteris affectionibus, quæ ab eadem ut eſt ens, vel ſubſtātia præciſe pullulant. Porro tunc aliqua potentia ab anima ut formaliter vivente emanabit quādo erit principium proximum à cuius operationis qua ſe vivens in ſtatu ſuo naturali poſitū ab intrinſeco movet. Vnde definitio potentiæ vitalis incommuni ita colligitur. *Eſt potentia accidentalis per ſe primo inſtituta ut per eam ſe vivens poſitum in naturali ſtatu moveat.* Quæ nota eſt ex dictis, & erit ex dicendis.

Circa tertium, Philoſophi communiter dividunt potentiam vitalem incommuni in quinque illa membra, vegetativam, ſenſitivam, appetitivam, locomotivam, & intellectivam. Verum hæc partitio eaſdem fere difficultates patitur, quas illa virtutum mentis in communi, quam ex Philoſopho memorabimus tractatu ultimo Logicæ diſp. ultima. dubio 1. atque adeo ſicut illa cenſenda eſt enumeratio quędam potius quam exacta diviſio. Igitur exactius

potentia vitalis in communi dividetur primo in ſpiritalem, & corpoream. Deinde ſpiritalia in intellectivam, volitivá, locomotivam; hæc enim etiam reperitur in Angelo, & in anima rationali, ſaltē à corpore ſeparatam ut ſuo loco oſtendetur. Rurſus intellectiva in rationalem, quæ eſt in homine, & in non rationalem, quæ eſt in Angelo. Corporea vero in cognoſcitivam, & non cognoſcitivam: cognoſcitiva, ſeu ſenſitiva in varios ſenſus internos & externos; non cognoſcitiva in vegetativam, appetitivam, & locomotivam. Vegetativa ulterius in varias ſpecies, pro varietate viventium. Obiici hic poterat, potentiam locomotivam non eſſe vitalem, quia non eſt eius actus, ſed hoc probo infra contra Hurtadum.

DVBIVM V.

Quid ratio vitæ in actu primo, quibuſque conveniat.

VT natura actus vitalis in communi, ad quam vitalis potentia in communi neceſſario nos ducit, magis eluceat, cōmodum erit à ratione vitæ in actu primo exordiri.

Iudico primo. Principium vitale, ſeu vita in actu primo, eſt id quo vivens in naturali diſpoſitione conſtitutum ab intrinſeco movere poteſt. Hæc concluſio liquet ex communi conſenſu Philoſophorum, & ex dictis diſput. 1. dubio 4. & 7. huius tractatus, quare hinc ſolum illud elicio, Principium vitale in actu primo includere neceſſario principiū activum & paſſivum motus, nam ſine principio activo nihil ab intrinſeco movere, nec ſine paſſivo ſemovere poteſt.

Iudico ſecundo. Omnis forma ſubſtantialis vegetana, ſentiens, rationalis eſt vita in actu primo. Ita Ariſtoteles & Divus Thomas. Sæpe enim aiunt in ſubſtantiis ipſum vivere eſt eſſe. Probatur primo, quia unaquæque ex his formis eſt eſſentialiter principiū activum principale operationum vitalium, ergo omnes ſunt vita in actu primo. Secundo. Actualis vegetatio, ſenſio, & intellectio ſunt vita in actu ſecundo, igitur cum omnis actus ſecundus ſupponat primum, neceſſe eſt ſupponat vitam in actu primo: ſed eiuſmodi vita in actu primo nequit eſſe materia prima, quæ ex ſe eſt indifferens ad actus vitales & nō vitales; ergo forma, à qua ut à principio activo vitæ determinato oriuntur.

Dices. Habitus ſupernaturalis charitatis eſt principium activū amoris ſupernaturalis, qui vitalis eſt actus; atqui habitus ipſe non eſt vitalis etiam in actu primo; ergo non bene infertur animam eſſe vitam in actu primo, quia eſt principium activum determinatum actus vitalis. Reſpondetur, ad vitalitatem actus non opus eſſe ut omnia principia activa determinata ſint vitalis, ſed aliquod, vel aliqua, id autem nulli potiori iure tribui poteſt, quam animę, quę eſt prima radix interna totius vitæ actualis, & ſine cuius influxu, nullus actus vitalis exiſtere poteſt.

Iudico tertio. Potentia vitalis accidentalis vita eſt in actu primo accidentali. Patet primo ex ipſo

ipſo nomine; quid enim eſt potentia vitalis, niſi quæ habet virtutem ad vivendum in actu ſecundo? Deinde potentia vitalis eminenter continet actum ſecundum vitalem, ipſumque vitali modo operatur; ergo eſt actus primus vitalis accidentalis.

Iudico quarto. Potentia vitalis accidentalis non ſemper eſt actus primus vitæ comparatione omnium actuum quos elicit. Primo, quia neceſſe non eſt, ut anima, quæ eſt actus primus ſubſtantialis vitæ, talis ſit comparatione omnium ſuorum effectuum, ut patet ex dubio ſuperiori; ergo idem eſſe poteſt in potentia vitali. Secundo. Aliqui effectus potentiæ vitalis, non ſunt vitales in actu ſecundo; ergo neque ipſa potentia in actu primo ut eſt illorum principium. Antecedens conſtat: nam productio ſpeciei intelligibilis fit ab intellectu potentia vitali, nec tamen vitalis eſt: tum quia eius terminus, nempe ſpecies, non eſt formaliter & in actu ſecũdo vita: tum etiam, quia actio eius productiva non fit vitali modo; poſſet enim à ſolo Deo produci, & tunc eſſet eiuſdem omnino rationis, ac ſi fieret ab intellectu; neque enim petit ex ſe à principio intrinſeco provenire, ſicut nec ſpecies ſenſibilis, quæ in ſenſu externo ab obiecto extrinſeco producitur.

Ita Hurtad. diſp. 3. ſect. 2. §. 16. Iudico quinto. Species impreſſa tam intellectualis, quam ſenſibilis reſpectu expreſſæ ad quam concurrit, non eſt vitalis in actu primo. Probatur, nam ſpecies impreſſa eſt vicaria obiecti, ſed obiectum ut ſic, quamvis concurreret ad actum vitalem, non haberet rationem principij vitalis; quia eſſet externum, ergo nec ſpecies impreſſa erit principium vitale in actu primo, eſto ad illum concurrat. Firmatur primo, nam probabile eſt in materia de Beatitudine, intellectum beati elicere viſionem beatificam, ſine concurſu ſpeciei impreſſę, quia Deus ut obiectum intime præſens per ſe immediate concurrit. Item probabile eſt in materia de Angelis unum Angelum alterum ſibi intime præſentem cognoſcere ſine concurſu ſpeciei impreſſæ, quia eſt obiectum præſens, & proportionatũ ut per ſe immediate concurrat. Tandem probabile habet in materia de anima tactum & guſtum non moveri per ſpecies impreſſas, ſed immediate ab obiectis; atqui concurſus talium obiectorum non poteſt eſſe vitalis ut ab ipſis egreditur, cũ ſint principia extrinſeca; ergo neque concurſus ſpeciei impreſſæ, quare in ea neque in actu primo vita invenitur. Firmatur ſecundo, nam ſpecies impreſſa, albedinis exempli cauſa, nequit eſſe perfectior albedine, ab ea quippe uti obiecto producitur in genere cauſæ adæquatæ & principalis; atqui ſi iſta ſpecies impreſſa eſſet vitalis in actu primo, natura ſua eſſet perfectior quã albedo, quia qualitas materialis vitalis perfectior eſt qualitate materiali non vitali, qualis albedo; ergo nequit eſſe vitalis in actu primo.

Hinc elicitur, etſi aliquando obiectum ſit intrinſecũ, ut quando anima rationalis in ſtatu ſeparationis, & Angelus ſuam ſubſtantiam in probabili opinione intelligunt, eius tamen concurſum non eſſe vitalem, quia id contingit per accidens reſpectu actus vitalis intellectionis, & illud obiectum in ratione obiecti eodem

modo concurrit, atque concurreret quævis alia ſubſtantia ſpiritalis extenſa, quæ quia eſſet intime præſens intellectui, & proportionate ſine ſpecie impreſſa intelligeretur.

Iudico ſexto. Habitus naturales non ſunt vitales in actu primo. Ita communis ſententia, quã multi recentiores probare ſolent, quia actus vitalis elicitus cũ habitu non recipitur in ipſo, ſed vel in potentia, vel in anima; ergo efficientia habitus in actum non eſt vitalis, & proinde ipſæ, nec vita in actu primo, ſed nihil efficit iſta probatio, nam ut iidem Recentiores tenent, actus vitalis viſionis neque in homine, neque in bruto recipitur in anima, cum tamen animæ concurſus in illum vitalis ſit, & eadem ſit vivens in actu primo comparatione illius. Probatur ergo primo, nam habitus naturalis non habet modum concurrendi vitaliter, ergo neque in actu primo vitales ſunt. Antecedens patet, tum quia ipſi non ſe movent vitaliter ſicut anima, vel potentia, ut eſt in confeſſo apud omnes, tum quia neque per ipſos ſuppoſitũ vitaliter movetur, quia moveri vitaliter eſt ſe proprie, & ab intrinſeco movere, id eſt per tale principium, cuius concurſus per ſe ab intrinſeco debeat oriri, itaut nec poſſit ſuppleri ab Agente extrinſeco, id enim videmus in omni principio vitali, ut in anima & potentia, quod in progreſſu magis patebit; ſed ſine concurſu habitus poteſt ſe ſuppoſitum vitaliter movere, nam multi negant concurſum activum habitus in actum, & ſi conceditur, tamen non eſt per ſe requiſitus, ut videre eſt in primo actu elicito ſine habitu, & præterea totus eius concurſus poteſt ſuppleri à Deo; & tunc æque bene, ac vitaliter vitalis actus eliceretur, ergo per eum non movetur vitaliter ſuppoſitum. Secundo, quia nulla ſpecies impreſſa eſt vitalis in actu primo, ergo neque habitus naturalis. Maior eſt dubitatio de habitibus ſupernaturalibus, quibus nonnulli certum genus vitalitatis dant.

Iudico tamen ultimo. Neque ſupernaturales ſunt vitales in actu primo. Oſtenditur primo, nã habitus ſupernaturalis nullũ concurſum vere vitalem habet in ſupernaturalem actum, ergo, &c. Antecedens patet, nam concurſus vitalis, ut ſic egredi debet neceſſario à principio intrinſeco, ſed concurſus ſupernaturalis, quem iſte habitus præſtat ad actum ſupernaturalem vitalem, poteſt egredi à principio extrinſeco, itaut actus ſupernaturalis vere, & formaliter vitalis maneat, ergo non habet vitalem cõcurſum in eum. Minor probatur, nã primus actus charitatis, ſeu contritionis quo peccator iuſtificatur, vere vitalis eſt, & ſupernaturalis, & elicitur à voluntate ſine ullo habitu intrinſeco, ſed ſolo Deo ut agente extrinſeco elevante voluntatem & ſupplente concurſum habitus infuſi. Confirmari poteſt, quia habitus ſupernaturalis, nec ſe movet vitaliter, nec per eius actionem vitaliter anima movetur, ſicut neque per actionem Dei, ut à Deo promanantem. Secundo oſtenditur convellendo fundamentũ eorum, qui inſinuare videntur habitus ſupernaturales ad ſuos actus vitali modo concurrere, id eſt tãquam principia activa, & receptiva illorum, nam ſi iſti habitus eo modo concurrant, ſequitur illos

Ita communior ſententia quam tenet Hurtadus ſupra §. 19.

pro-

proprie intelligere & amare, & ulterius in homine iuſto eſſe duos intellectus, naturalem utique, & habitum ſupernaturalem fidei, & in homine Deo tres, primum naturalem, ſecundum ſcientiæ per ſe infuſæ, tertiũ luminis gloriæ, & in utroque duas voluntates, naturalem & ſupernaturalẽ, Habitũ nimirũ charitatis, ergo, &c. Sequela oſtẽditur. Intellectus & volũtas naturalis ea pręciſe ratione intelligere & amare cẽſentur, quia ſunt principia vitalia activa & receptiva intellectionis, & amoris naturalis; ſed ut aiunt habitus iſti ſunt principia vitalia activa & receptiva intellectionis & amoris ſupernaturalis; ergo ſequitur eos proprie intelligere & amare, atque adeo eſſe intellectum & voluntatem: quare licet his habitibus cauſalitas activa in ſuos actus ſit tribuenda, non tamen paſsiva, ne in id incommodi incidamus. Confirmatur: nulla enim neceſsitas, vel ratio probabilis ad id nos cogit, cur enim habitus ſupernaturalis exercere debeat talem cauſalitatem? an quia actus ſupernaturalis petit recipi in ſubiecto ſupernaturali? at gratia immediate recipitur in anima; an quia actus eſt vitalis? at non debet recipi in omni principio à quo oritur, nam ſenſio vitalis non recipitur in anima à qua fit, neque actus intellectionis recipitur in habitu naturali, neque in ſpecie impreſſa, quorum concurſu fit; quod autem eiuſmodi habitus dicantur eſſe potentiam ad actus ſupernaturales, cauſa eſt præciſe, quod neceſſarius ſit ad complendam potentiam in actu primo effectivo ad actus ſupernaturales.

***

DUBIUM VI.

Quid ſit vita in actu ſecundo, ſeu actus vitalis, quibuſque conveniat.

Autumo primo. Actus vitalis eſt ille, quo vivens conſtitutum in naturali ſtatu, ſe ab intrinſeco principio movet. Clara eſt definitio ex aſſertione prima ſuperioris dubij: ſi enim vivens in actu primo eſt quod ſeipſum in naturali ſtatu ab intrinſeco principio movere poteſt, & potentia vitalis quæ ſe eadem ratione movere poteſt, colligitur plane actum vitalem eſſentialiter includere actionem & paſsionẽ, nam ſine actione nemo ſe movet, ſicut nec ſine paſsione movetur. Sed hoc infra eſt amplius evolvendum.

Autumo ſecundo. Duo ut certa ſtatuenda eſſe, non omnem effectum viventis, aut potentiæ vitalis eſſe actum vitalem, eſſe vero omnem actum intellectionis, & ſenſationis materialis repręſentantis obiectum, necnon utriuſque appetitus, ſive malum fugientis, ſive bonum proſequentis. Prima pars ſequitur manifeſte ex concluſione quarta ſuperioris dubij. Secunda adeo eſt certa inter omnes, ut non deſideret probationem. Pergo igitur ad alios actus, in quibus diſſenſio eſt inter autores.

Autumo tertio. Actus generationis viventis ſive ſumatur pro actione qua mas & fœmina ſemẽ decidunt, ſive pro actione qua format & animat fœmina fœtum, nõ eſt vitalis. Moueor, quia deciſio ſeminis ſolũ dicit ſeparationem

ipſius ab aliis partibus ſeminis in animali reſiduĩ, & motum illius localem, quarũ nulla eſt actio vitalis. Præterea formatio fœtus, & animæ in illum introductio, non eſt actio immanens reſpectu fœminæ generantis, ſicut neque reſpectu Dei, ergo non eſt vitalis. Confirmo, nam ea ſolum ratione productio Adami reſpectu Dei non cenſetur vitalis, licet animam viventem à ſe creatam illi infuderit.

Cõmunis ſententia eſt. Autumo quarto. Actus nutritionis viventis eſt vere vitalis. Ratio eſt, quia forma viventis qua vegetativa, eſt principium nutritionis; ſed qua vegetativa eſt vita in actu primo ut probatum; ergo actus nutritionis eſt vitalis.

Ita pene omnes. Autumo quinto. Motus localis quo ſe animal movet, vitalis eſt. Ratio eſt, quia per eum animal conſtitutum in ſua naturali diſpoſitione ſe ab intrinſeco principio movet; ergo eſt motus vitalis, ſicut cæteri ob eandem rationem.

Contradicit Hurtadus diſput. 3. §. 14. Primo, quia motus gravium, & levium ad centrum non eſt vitalis. Secundo, quia motus localis animantium non petit natura ſua emanare à principio intrinſeco, & in ipſo immanere, ſicut nec præſentia, quæ eſt eius terminus, poteſt enim ab extrinſeco fieri. Sed neutrum convincit, quia gravia & levia ſolum extra ſtatum naturalem poſita illos motus eliciunt. Quare Ariſtoteles 8. Phyſic. illud diſcrimen conſtituit inter motum viventiũ & inanimatorum, quod hæc nequeant, ſicut illa, ubique ſiſtere, ſed in ſolo loco naturali, neque undecumque moveri, ſed ſolum à loco violẽto, neque verſus quãlibet loci differentiam, ſed ad determinatum, ſurſum & deorſum, ideoque non dicuntur à ſe moveri. Neque convincit ſecundum, nam præſentia quæ eſt terminus motus progreſsivi animalium nõ poteſt fieri ab extrinſeco ea ratione qua poſtulat connaturaliter fieri ab animali, à quo poſtulat fieri per directionem propriæ imaginationis, & appetitus in quamlibet loci differentiam, atque adeo à principio intrinſeco, id autem deficit in motu, & præſentia productis per impulſum, iſte enim eſt determinatus ad loci differentiam, ut diximus in Phyſica. Vnde fit ut motus progreſsivus animalis, & præſentia per eum adquiſita aliquam vitalitatem, & immanentiam contineant, non tamen ab extrinſeco. Quod confirmatur ex Hurtado §. 20. aſſerente terminum nutritionis viventium eſſe vitalem & immanentem, quia licet in prima productione potuerit fieri ab extrinſeco, ex ſuppoſitione tamẽ quod non ſit productus poſtea cõ naturaliter petit fieri à principio intrinſeco, & non aliter. Simile enim quid in noſtro inſtituto aſſerere licet.

Ex dictis collige duo. Primum actum vitalem debere eſſe immanentem, quia vivens in ſuo ſtatu naturali per illum ſe movet; nihil autem niſi per perfectionem in ſe receptam, & proinde immanentem, movere poteſt. Secundũ, nullum eſſe actum vitalem, cui non ſuo modo immanentia conveniat, quod bene Molina 1. parte. quæſtione 27. articulo 5. §. ut autem. Nam actus perfectiſsime vitalis, & quaſi in primo gradu, qualis eſt omnis actus intelle-

Ctus

ctus, & ſenſus, & utriuſque appetitus, ſemper manent immediate in aliquo principio, à quo manant efficienter, nimirum in potentia vitali accidentali, quæ ſimul eſt principium activum & paſsivum ſui actus. Deinde actus non tam perfectè vitalis, & quaſi in ſecundo gradu, ut nutritio, etiam manet in viventi, à cuius principio activō intrinſeco fit, nã eſt introductio formæ, vel unionis ipſius in novam partem materię prius natura ipſi viventi coniunctam. Demũ motus progreſsivus animalis, qui minus perfectè vitalis, & quaſi in ultimo gradu ſubſidere videtur, ſimiliter eſt immanens, nam vel recipitur in ipſa potentia motrice ſe movente, vel in partibus in quibus reſidet, aut in aliis eiuſdem ſuppoſiti, quod ſufficit ad immanentiam.

DVBIVM VII.

An ſit neceſſarius concurſus animæ & potentiæ ad actum vitalem.

Cenſeo primo. Concurſus potentiæ vitalis omnino neceſſarius eſt, etſi anima immediate concurrat. Ratio huius concluſionis ſumenda eſt ex dubio primo huius diſputationis, nam ut ibi probatum, influxus vitalis animæ ex ſe generalis & indifferens eſt, atque ideo indiget peculiaris potentiæ influxu, quo determinetur, ut ſit influxus intellectionis, aut volitionis, nam ſpeciei determinatio ſolum præſtat ut tendat anima in hoc obiectum potius quam illud.

Cenſeo ſecundo. Concurſus animæ eſt etiã neceſſarius, quamvis potentia concurrat. Probatur, duplici experientia & ratione. Prima eſt, nam ſæpe accidit oculum non videre, etſi recipiat ſpeciem ab obiecto præſenti, niſi anima attendat; ergo eſt neceſſaria attentio animæ; ſed huiuſmodi attentio intelligi nequit, ſine actuali animæ influxu, ergo eſt neceſſarius ad actum vitalem. *Ita Toletus lib.2.q.7.Fòſeca 5. Met. c.4.q.5.ſect. 3.Suar.diſp. 18 ſect.1.*

Dicet aliquis, cauſam ob quam oculus tunc non videat, ſolum eſſe quod ſenſus internus communis, & Phantaſia non attendunt. Sed cur non attendunt? Si dicas, quia ſpecies ſenſibilis obiecti præſentis & immutantis ſenſum externum non ſit tranſiecta adhuc ad ſenſum internum. Contra, nam ſpecies illa ſenſibilis nõ producitur in ſenſu interno, niſi medio actu ſenſus exterioris, atque ita prius natura operatur, & ſentit ſenſus externus ſuum obiectum, quam operetur internus, illique poſsit cooperari; ergo cauſa cur illo euentu non eliciat ſenſationem ſenſus externus, non eſt quod non attendat internus, & in eo nondum ſit ſpecies ſenſibilis, ſed quod anima non attendat & concurrat cum ſenſu exteriori, cuius actus expreſſus traiecturus eſt ſpeciem in ſenſum interiorem.

Dicet alius cauſam eſſe, quia deficiunt ſpiritus animales, qui ſunt omnino neceſſarij ad omnẽ ſenſationem. Bene quidem, ſed cum iſti ſpiritus è cerebro dimittantur in omnem partem animalis, non caſu, ſed virtute alicuius facultatis illos ſubminiſtrantis, nequit afferri alia cauſa illos ſubſtrahens alicui ſenſui niſi anima ipſa, quæ nimis attendens ad actũ alterius potentiæ utitur facultate

illa

illa ad eos ſuppeditandos uni potentiæ, aut ſenſui, potius quam alteri.

Secunda experientia eſt, quod anima ſæpe nimium intenta operi alicuius potentiæ, præpeditur ad opera alterius, unde homo ſumma attentione obiectum aliquod inſpectans non audit ſibi loquentem, quin & homo nimis attentus contẽplationi intercipit actus ſenſuum externorum, & laborationem partis nutritivæ, quod ſi quęvis facultas independẽter ab anima per ſe ſola ſuas eliceret operationes, non eſſet cur una alterius operationem impediret. Nam multiplicatis facultatibus, & neutra ab alia pendeat, neque ambæ ab uno tertio influente, cuius virtus uni nimium applicata, minus influat in aliam operationes æque multiplicabuntur, & æque perfecte exercebuntur.

Hinc fit ut influxus animę pluribus potentiis & diverſis earum actibus intentus minor ſit in ſingulis. Id autem intelligendum ut optime Vazquez diſputat. 35. capit. 1. quando potentiæ nõ ſunt ſubordinatæ, ſecus vero quando ſubordinatæ: quare ex nimia attentione intellectus ad ſuum obiectum non minuitur voluntas ad illum amandum, nam quo magis movetur intellectus, & plures rationes bonitatis repręſentat, eo ardentius voluntas ſubordinata cognitioni movetur in eius amorem, quamquam id ſæpe contingit quando cum nimia attentione intellectus in repræſentatione obiecti voluntas in eius amore verſatur, nequeunt circa aliud vel certe remiſſe verſari.

Prima ratio ſumitur ex diſcrimine inter actus vitales & non vitales, hi enim non habent tantam connexionem cum ſuo principio, quantam illi, ut omnes ſentiunt; ea vero connexio cum ſuo principio in eo poſita eſt, ut actus vitales non ſolum à potentia accidentali, ſicut alij, ſed etiam ab anima oriãtur. Confirmatur, quia aliæ potentię nõ vitales ſuas poſſunt operationes elicere, etiam à propria ſubſtantia ſeparatę, ut videmus in qualitatibus Euchariſtiæ, atqui potentiæ vitales nequeũt ſuas elicere ſeparatę à ſubſtantia animæ, neque enim intellectus naturaliter intelligeret, neque oculus ſpecie informatus videret, cuius diſcriminis nulla ratio aſsignari poteſt, niſi quod potentię vitales egent concurſu animæ ad operationem tunc deficiente, aliæ vero non egent concurſu ſuæ ſubſtantiæ.

Secunda ratio ſumitur ex connexione operationum intellectus & voluntatis ab omnibus admiſſa, ratione cuius cognoſcente intellectu excitatur voluntas ad amandum, itaque voluntas dicitur potentia cæca, quæ niſi pręcedente lumine cognitionis, ferri non poteſt in obiectum, utpote incognitum: atqui hæc & ſimilia intelligi non poſſunt, niſi cum utraque potentia immediate concurrat anima, ergo concurrit. Minor oſtenditur, quia voluntas per ſolam cognitionem intellectus non magis percipit obiectum, quam ſi intellectus non intelligeret, imo non exiſteret, ergo niſi datur aliquod tertium, anima ſcilicet, quod percipiens obiectũ concurrat cum voluntate ad illud amandum, intelligi nequit quomodo intellectus cognoſcẽs moveat voluntatẽ illi repræſentando obiectum. Antecedens eſt certum, nã voluntas non eſt potentia cognoſcitiva,

ſcitiva, ſecus confunderentur munia utriuſque potentiæ. Conſequentia probatur: nam ſi voluntas non percipit obiectum repræſentatum; ergo per ſolam talem repræſentationem moveri nequit ad amandum; ergo aliquod eſt tertium principium cōmune intellectui & voluntati, quod cognoſcens cum uno, amat cum altera. Nec dicas ſufficere ut utraque potentia ſit radicata in eodem ſubiecto, ſcilicet anima, nam ſi anima non concurrit immediate cum ſuis potentiis ad operationes earum, nequit intelligi ea radicatio quid conferat ad illarum operationes, & operationum coniunctionem, & quomodo ex tali radicatione voluntas non cognoſcens obiectum, neque recipiens intellectionem, moveatur ad illud amandum.

Opponis primo. Intellectus exempli cauſa, eſt intellectione perfectior, ergo ſe ſolo ſine concurſu animæ ad illius productionem ſufficiet. Reſponde, conceſſo antecedenti, de quo convenit inter omnes, negando conſequentiam, nam ſubſtantia ignis eſt æque perfecta atque alia ſubſtantia ſimilis, nec tamen illam ſine concurſu caloris producit. Ratio autem cur cōcurſus animæ etiam requiratur ad intellectionem, & ſimiles actus eſt peculiaris ipſorum vitalitas, quæ pendet ab utraque vita ſubſtatiali & accidentali.

Opponis ſecundo. Solus intellectus dicitur principium proximum & cauſa intellectionis; ergo ſolus proxime influet in illā. Reſponde, dici principium proximum intellectionis præciſe, quia eſt particulare principium determinans animam, quæ eſt generale, non vero quod nō influat immediate quoque in intellectionē, ſicut cauſa ſecunda, proxima ſæpe vocatur reſpectu primæ, quia eam ex ſe univerſalem determinat ad certam ſpeciem effectus, non vero quod prima non influat immediate cum ſecunda.

Opponis tertio. Si actus vitales requirerent influxum animæ, hæc etiam influeret in actus ſupernaturales, fidei verbi gratia, & charitatis; ergo cum entitas animæ non ſit proportionata iis actibus, erit elevanda per aliquem habitum ſupernaturalem, ſicut elevantur potentiæ: at eſt inauditum apud Theologos ponere duplicem habitum Theologicum, charitatis, unum in anima, alterum in voluntate; vel duos habitus fidei, unum in anima, alterum in intellectu. Reſpondeo, animam cōcurrere immediate elevatā per habitus in potentiis immediate receptis: ſicut enim in communi ſententia ſpecies impreſſa recepta immediate ſolum in intellectu, determinat intellectum ſimul & animam ad intellectionem huius obiecti potius quam illius, ita & habitus fidei, aut luminis gloriæ receptus immediate, ibidem elevare poteſt intellectum ſimul & animam, & actum vitalem ſupernaturalem, quod valde conſonat Suario. Addo quod ſi anima peculiari indigeat elevatione ut nonnulli probabile exiſtimant, ducti quia intellectus Beati, licet Deus ſupernaturaliter cum ipſo concurrat agens partes ſpeciei ſupernaturalis adhuc indiget lumine gloriæ, quo elevetur ad connaturaliter operandum, poſſe animam elevari per gratiam habitualem ſibi inhærentem; licet enim per ſe primo non ſit activa, ſecundario ta- Diſp. 3. Met. ſect. 11. n. 6.

men poteſt eſſe generale principium omnium operationum ſupernaturalium cuiuſcumque ſpeciei & potentię, quod ſi anima ſit gratia deſtituta, ut in peccatore fideli, tunc elevabitur à Deo ad actus ſupernaturales fidei & ſpei Theologiæ. Placet tamen magis prior ſolutio.

DVBIVM VIII.

An in omni actu vitali detur actio & terminus.

HOC & ſequentia dubia præcipuam habẽt difficultatem in actibus vitalibus, quos in primo gradu ſuperius repoſuimus.

Aſſero primo. In omni actu vitali datur vera actio phyſica. Ratio eſt, nam cum potentia vitalis ſe actu exercet, reperitur novum eſſe factum, ſed ubi hoc datur, datur etiam novum fieri, & nova dependentia à principio efficiente, ergo, &c.

Eſt communis ſententia & Suar. diſp. 48. Met. & to. 1. in 3. p. diſput. 24. ſect. 2. & 1. p. tract. de attributis negativis. lib. 2. c. 10. Hurtado diſput 16. Met. ſect. 4.

Aſſero ſecundo contra Thomiſtas. In omni actu vitali datur verus terminus. Probatur primo, nam potentia vitalis eſſentialiter eſt operativa immanenter, ſicut non vitalis tranſeunter; ergo ſicut non vitalis cum operatur neceſſario habet terminum operatione tranſeũte productum, ita & vitalis ſua operatione immanente. Patet conſequentia, cur enim magis repugnat operationi vitali immanenti terminus quam tranſeunti? An quia manet in agẽte? Verum in eodem poteſt manere terminus, itaut habeat ſaltem ex natura rei dependentiam in eſſe à principio vitali; an vero quia verſatur circa obiectum intrinſecum, quod non immutat, ut videre eſt in cognitione? At nihil refert, quia cum ſit actio immanens, poẽtiam aut ſubiectum unde egreditur debet phyſice ſolum immutare. Inde ducitur confirmatio. Nam actio tranſiens calefactionis neceſſario producit terminum caloris in ligno ut ipſum phyſice immutet, & reddat calidum; ergo & actio immanens intellectiva neceſſario producit in intellectu terminum, nimirum ſimilitudinem expreſſam, & imaginem obiecti, ut per eam phyſice immutet, & reddat cognoſcentem obiectum.

Secundo ſæpe exercitio potentiæ vitalis relinquitur habitus in ipſa potentia, vel ergo ille habitus producitur per actionem vitalem, aut per aliquem eius terminum. Si primum, rogo, an producatur per ipſam actionem vitalem uti cauſalitatem, & ſic iam habitus eſt actionis vitalis terminus; an potius producatur per actionem vitalem uti principium quod, cauſans media cauſalitate habitum, & hoc plane repugnat communi conceptui. Actio enim præciſe cenſetur cauſatio ſui termini, non cauſa ut quod ullius rei, niſi ut ſummum modi ex ea reſultantis ut relationis. Si ſecundum, quod abſolute verum eſt, iam actio vitalis habet terminum, per quem uti principium activum habitus gignatur.

Aſſero tertio. Terminus vitalis re differt ab actione, qua fit, ſicut & alij termini. Eſt contra Thomiſtas, qui cum videant terminum vitalem negari non poſſe, eumque eſſe qualitatem in potentiis ſenſitivis & rationalibus, negant tamẽ pendere actione à ſe di-

diſtinɑa,ſed præciſe ſeipſo. Probatur tamẽ primo,nam cum actio poteſt variari invariato manente termino, ſignum eſt terminum ab illa re ipſa diſtingui; atqui actio qua fit terminus vitalis variari poteſt ipſo invariato; poteſt enim idem verbum mentis fieri à potentia,& cum habitu, & ſine illo cum hac ſpecie, aut illa,cum hoc Dei auxilio,vel alio diverſo, iuxta quos varios efficiendi modos neceſſe eſt variari actionem, etſi terminus non varietur, quia quacumque ratione varietur agẽs variatur actio:ergo.Secundo.Terminus vitalis, verbi gratia, verbum mentis, eſt vera entitas & qualitas abſoluta, ut dant Thomiſtæ; ergo producitur actione à ſe diſtincta, ſicut quævis res & entitas abſoluta, quæ eo ipſo actione à ſe diſtincta fit,ut patet inductione. Nec valet dicere, terminum vitalem eſſe inſeparabilem à ſuo principio activo & paſſivo ſecus effectum non vitalem,ideoque illum, non iſtum ab utroque principio per ſe pendere. Contra enim primo, nam per ſe eſt entitas & res abſoluta, & non modus, ergo ſeparabilis à ſuo principio activo creato, ex qua enim alia ratione colligitur aliarum rerum ſeparabilitas,niſi quod habeat proprias entitates abſolutas non modales? Secundo,nam vitalitas non obſtat quominus fiat effectus actione diſtincta, vel enim obſtat, quia terminus vitalis dependet eſſentialiter, & actu à principio vitali,& hoc non,licet negari poſſet, nam materia prima & omnis terminus creatus pendet eſſentialiter actu à Deo, & fit actione à re diſtincta, ut dictũ in Phyſica: vel obſtat quod vitalitas petat ut actio realiter idemptificetur cum ſuo termino,& hoc minus, quia ratio talis vitalitatis ſufficienter ponitur in entitate poſtulante dependere à principio vitali,& immanenter operante.

DVBIVM IX.

Conſiſtat ne actus vitalis in actione, paſsione, & termino.

Aio primo. Actus vitalis non conſiſtit formaliter in ſola actione termini productiva. Primo, nam actus vitalis eſt ille, quo res fit actu & formaliter vivens; ſed actio vitalis procedit à Deo, nec tamen per eam vocatur actu vivens formaliter, nec ſi ſit actio intelligendi, dicitur intelligens; ergo actio vitalis requirit receptionẽ,ut dicetur, quia eſt immanens, & quæ formaliter dicit paſsionem in eodem ſubiecto à quo fit.Secundo. Actus vitalis intellectionis non conſiſtit in ſola actione,ergo nec cæteri ſimiles. Antecedens probatur. Nam intellectio eſt potiſsima perfectio intellectus, adeo, ut nobiliores Theologi contendant viſionem beatificam eſſe actum ſupernaturalem cæteros in eo ordine etiam gratia habituali excellentiorẽ, ergo intellectio non eſt ſola actio,hæc enim eſt modus & via, atque adeo minus perfecta, quam res & terminus eius.

Obiicis Ariſtotelem aſſerentem,fœlicitatẽ hominis in actione conſiſtere, & alibi exponens idem, docet in contemplatione ſiſtere, ergo iuxta philoſophum actus vitalis contemplationis ſitus eſt in actione. Reſpõde,ſiſtere

in actione partialiter, neque oppoſitum voluit Ariſtoteles, ut ait Vazquez 1. par. diſputatione 114. quia nunquam excluſit ab actu vitali eius terminum immo ſæpe eius meminit, voluit ergo nos ad noſtram fœlicitatem agendo concurrere.

Aio ſecundo. Actus vitalis non conſiſtit ſolum in paſsione termini ſine actione. Primo, nam per actum ſecundum vitalem ſe gerit animal ut actu vivens, ſed nõ ita ſe gerit per meram receptionem alicuius termini vel qualitatis, niſi illum efficit, ergo, &c. Minor probatur, ex Concilio Tridentino Seſsione 6. Can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, ſed veluti inanime quoddã nihil omnino agere, mereque paſsive ſe habere, anathema ſit.* Aiunt quidam, dupliciter ſe gerere poſſe hominẽ ut viventem, vel efficiendo, vel recipiendo terminum, & Concilium, ſi homo non concurrat active ſolũ negare priori modo ſe gerere ut viventem. Verum id ſatis refel lunt verba Concilij, quibus clare exprimitur intellectum & voluntatem dum mere paſsive ſe habent, nihilque omnino operãtur, ſe gerere non ut quid vivens, ſed potius inanime.

Secundo probatur: nam ut quis ſe gerat tanquam formaliter vivens in actu ſecundo, aut intelligendo, aut amando, neceſſe eſt ut actu attendat, vel advertat, attentio autem, vel advertentia non eſt mera paſsio cuiuſdam qualitatis, ſed etiam concurſus activus potentiæ vitalis ad illam.

Eſt communior ſententia, quã tuetur Suar. to. 1. in 3. p. diſp 24. ſect. 2. concluſ. 3. & 1. p. tract. de attributis negativis. lib. 2. c. 10. n. 6. & 7. Mol. 1. p. q. 12. ar. 2. diſp. 1. & D. Thom. ut bene expendit Hurt. diſp. 6. §. 4. noſtro dicto conſentiens.

Aio tertio. Actus vitalis formaliter includit terminum, eiuſque actionem, ac paſsionem. Liquet ex dictis, & cõfirmatur unica ratione. Vivens in actu primo formaliter dicit principium activum & paſsivum termini, cum eſſentialiter cõſtituatur per principium ſe movẽdi ab intrinſeco, quod ſine principio activo & paſſivo non intelligitur; ergo & vivens in actu ſecundo, ſeu actus vitalis formaliter dicit actionem, paſsionem, & terminum. Probatur conſecutio, nam actus vitalis eſt exercitium viventis in actu primo, atque adeo principij activi & paſsivi, ſed exercitium principij activi eſt actio, & eius terminus, & paſsivi paſsio, & eius terminus, per hæc enim exercentur, & ex actu primo ad ſecundum revocantur, ergo actio vitalis formaliter dicit terminum, actionem & paſsionem ipſius.

Sed obiicis primo, cum Patre Vazquez 1. parte, diſputatione 141. numero 17. & 1. 2. diſputatione 9. capite 4. aſſerente rationem intellectionis & generatim actus vitalis ut ſic conſiſtere in ſola qualitate, non actione, vel paſsione, licet cum actione & paſsione fiaut, pro quo ſupra eum citavimus. Quia ſequitur actum vitalem & intellectionem ipſam eſſe ens per accidens, nempe aggregatum quoddam ex qualitate, actione, & paſsione. Reſpondetur dando quod infert, de ente ſcilicet per accidens, quod ſpectat ad duo prædicamenta, nam & intelligens creatum ens per accidens eſt, utpote cuius formalis ratio eſt intellectio; ſolum enim intelligens increatum eſt tale per eſſentiam & ſummam identitatem.

Obiicis ſecundo. Deus intelligit ſine actione, ergo actio non eſt de conceptu intellectionis

nis ut ſic, quod enim eſt de conceptu ſuperioris, eſt etiã de inferioris, ergo neque de conceptu intellectionis creatæ. Reſpõdeo primo retorquendo argumentum, Deus intelligit ſine qualitate, ergo qualitas non eſt de cõceptu intellectionis ut ſic; ergo neque de cõceptu intellectionis creatæ. Negabis utique ſecundam conſequentiam. Sic ego reſpondeo ſecundo, negando tuam ſecundam conſequentiam; etenim prout dictum, ratio vitæ ut ſic conſiſtit in principio habendi propriam perfectionem ab intrinſeco, quæ ratio abſtrahit ab habendo illam ſine motu, quod eſt Dei proprium, & ab habẽdo illam cum motu, quod nobis convenit; atque ita intellectio divina eſt vitalis ſine actione, noſtra vero cum illa.

Obiicis tertio. Cognitio, verbi gratia, formaliter includit actionem, ergo cognoſcere eſt agere, & cognoſci eſt agi, ergo obiectũ agitur per cognitionem. Patet conſecutio, quia actio debet tribuere ſuam denominationẽ, quæ eſt agere & agi extremis inter quæ verſatur. Reſpondeo, intelligere eſſe agere partialiter, quia in ſua ratione adæquata includit actionem, quæ potentiæ tribuit denominationem agentis, & termino intrinſeco, quem producit denominationem actus, hiſque terminis contenta non denominat obiectum extrinſecum actum, ſed dumtaxat cognitum extrinſece. Sic actio pingendi quatenus actio, ſolum terminum intrinſecum, nempe imaginem denominat actum, non vere obiectum, id enim extrinſece pictum aut imitatum denominat. Inſtabis, ergo ſaltem intellectio denominabit ſuum terminum verbum mentis intellectum, ſicut actio pingendi denominat non ſolum terminum extrinſecum, ſed etiam intrinſecum, nempe imaginẽ depictam. Nego conſequẽtiam. Pro quo adverte, quaſdam eſſe voces, aut denominationes, quæ iuxta philoſophicum uſum ſolum conveniũt termino intrinſeco, ut denominationes phyſicę ortę ab actione, ſic enim ſolus terminus intrinſecus dicitur agi, & produci: alias vero quę ſolũ conveniũt termino extrinſeco & obiecto, tales ſunt denominationes intentionales ut intelligi, repræſentari, &c. alias demũ, quæ utriſque conveniunt, quales ſunt denominationes mixtæ ex phyſicis, intrinſecis, & extrinſecis intentionalibus, ut dici, pingi, quia terminus intrinſecus dictionis denominatur dictus ut quo, verbi gratia, verbum vocale, terminus extrinſecus, nempe obiectum, dictum ut quod; terminus intrinſecus actionis pingendi pictus, ut quo, & extrinſecus ut quod.

Obiicis quarto. Qualitas producta per actionem intelligendi eſt ſpecies expreſſa, & formalis repræſentatio obiecti, ergo ſeipſa & per ſolam informationem reddet potentiam formaliter exprimentem obiectum, ſicut calor per ſolam informationem dat totum ſuum effectum formalem ſubiecto, ergo & actus vitalis cognitionis in ſolo termino, & informatione conſiſtet, non in actione. Reſpondeo, denominationem cõpletam cognoſcentis & cognitionis reſultare non ſolum ex qualitate illa, ſed etiam ex actione & influxu vitali potentię, quia eſt actus vitæ, atque adeo exercitium principij activi & paſſivi. Unde illa qualitas, quæ dicitur

verbum mentis & imago expreſſa obiecti, ſecluſa actione vitali potentiæ, per ſolam informationẽ ſolum reddit illam exprimentem obiectũ impropriè, & modo quodam inanimi, qua ratione calor dicitur afficere lignum cui inhæret, non vero modo vitali.

DVBIVM X.

An vitalis actus ſine concurſu animæ & potentiæ produci queat.

AFfirmo primo. Actus vitalis in ſua adæquata formalitate ſive activo concurſu animæ & potentiæ fieri repugnat. Ratio eſt, quia actus vitalis adæquate includit eſſentialiter rationẽ principij vitalis creati ſe per illum vitaliter moventis, ut proxime dictum, ergo repugnat fieri à ſolo Deo ſine concurſu activo principij talis creati: tunc enim iam non eſſet actus vitalis.

Eſt tamen præſens controverſia, poſsit ne terminus actionis vitalis ſine activo concurſu principij vitalis creati divinitus produci. Negant multi. Primo, quia ſequeretur voluntatem poſſe ferri in incognitum, quod Philoſophi & Theologi reſpuunt, nam ſi verbum mentis, exempli cauſa, divinitus producatur in intellectu ſine eius cõcurſu activo per ipſum, quia eſt imago expreſſa obiecti, excitaretur voluntas ad idem obiectum amandum, & amare poſſet; atqui intellectus per tale verbum mentis non cognoſceret, ut diximus, quia non concurreret active, ergo voluntas ferretur in incognitum. Reſponde, per verbum mentis à ſolo Deo productum nõ cognoſcere intellectum, ut dubio ſuperiori explicui, eſto multi negent, ideoque nec voluntatem excitari ad amandum, quia non excitatur niſi per cognitionem vitalem elicitam ab intellectu cum concurſu & attentione animæ.

Secundo ſequeretur, poſſe Deũ ſe ſolo producere actum erroris in intellectu, in voluntate actum odij Dei intrinſece malum, quæ primam veritatem & bonitatem dedecent. Reſponde, non obſtare, tum quia nonnulli probabiliter aiũt nihil vetare quominus qualitas erroris & odij in Deum à ſolo Deo produci queat, quia nec per illas Deus erraret, nec peccaret, ut per ſe patet, neque homo; ille enim non erraret, quia per primam qualitatem non intelligeret, neque peccaret, quia neque per poſteriorem vitaliter & libere odio haberet, cum ipſe minime concurreret, ſed mere paſsive, ac mortue ſe haberet, in quo nulla eſt malitia moralis & formalis, tum quia dici poteſt ob ſolam peculiarem indecentiam, quã iſtæ qualitates deferunt, implicare quominus fiat à ſolo Deo, non vero ob ipſarum vitalitatem, unde aliæ fieri poſſunt. Hæc ſolutio ſecurior.

Tertio, cognitio poſtulat attentionem potentiæ vitalis, attentio eſt concurſus & conatus activus eiuſdem potentiæ, ergo, &c. Firmatur, quia amor eſt voluntarius, ſed voluntarium non fit niſi à voluntate, ergo neque amor. Ad argumentum & confirmationem reſpondemus, non ſolum contendere terminum actionis vitalis, qui in intellectu eſt verbum mentis, & in volũtate impulſus, poſſe pro-

produci à ſolo Deo, non vero cognitionem,& amorem, ſeu volitionem;iſti enim ſunt actua vitales completi formaliter includentes actionem vitalem, quæ à ſua potentia vitali non poteſt non active emanare. Quod ſi inſtes, nec terminum actionis vitalis in voluntate, nempe impulſum, eſſe poſſe ſine concurſu voluntatis, quia eſt natura ſua voluntarius, dicam ſine cõcurſu activo voluntatis manere voluntarium radicaliter, quia petit à voluntate oriri.

Ita à Molina 1.p.q.13.ar. 2. Valentia ibid. diſp.6. q.11.& 1.2. diſp.1.q.3. Suarez diſp. 48. Meta. ſect.2.nu.12. Salas 1. 2. tract.2.diſp. 4 ſect.4. Selecta Cõplutenſia lib. 3. diſp.4.Hurtadus diſp.6. ſect.3.&c.

Dico ſecũdo. Terminus actionis vitalis,qui in intellectu dicitur verbum mentis,& in voluntate impulſus in obiectum,poteſt divinitus produci, ſine animæ,& potentiæ vitalis activo concurſu. Probatur primo.Terminus actionis vitalis in quavis potentia ſen ſitiva & rationali eſt qualitas re ipſa diſtincta ab actione qua pendet à ſuo principio creato vitali, ergo poteſt ſolius Dei concurſu fieri. Quæ repugnantia?Cõfirmatur, nam eſſentia termini vitalis non deſtruitur, quod fiat à ſolo Deo, quia natura ſua poſtulat efficienter à ſuo principio vitali emanare, & in ipſo immanere,in quo tota ipſius eſſentia ſervatur ſufficienter. Secundo, nutritionis terminus vitalis eſt in communi ſententia, & tamen fieri poteſt à ſolo Deo. Tertio,Deus ſe ſolo poteſt facere omnẽ aliam entitatem ſine cõcurſu activo ſui principij connaturalis, quia omnem entitatem continet eminenter in ſua omnipotentia.Vnde natum commune axioma, *Deus ſe ſolo poteſt quidquid cum concurſu creaturæ*, ergo poterit facere totam entitatem termini vitalis ſine eius potentię concurſu,cum æque eminenter in ſua omnipotentia contineat. Confirmatur.Dependentia eſſentialis in effectu à ſua cauſa itaut ab alia nullatenus fieri poſſit peculiaris eſt creaturę, reſpectu Dei, quia eſt ens eſſentialiter ab ipſo participatum, ergo nõ eſt ſimilis dependentia termino vitali reſpectu potentiæ vitalis cõcedenda. Vltimo,lux ſolis pendet active & paſsive à ſole & intellectus ab anima,ſicut verbum mentis ab intellectu; atqui lux & intellectus à ſolo Deo fieri poſſunt, ergo & verbum mentis.

DVBIVM XI.

Poſſit ne actus vitalis fieri ſine concurſu paſſivo potentiæ vitalis.

CErtum eſt actum vitalem in formalitate integra ſumptũ, nec divinitus fieri, aut eſſe poſſe ſine paſsivo concurſu potentiæ vitalis;includit enim eſſentialiter paſsionem vitalis potentiæ,quæ ſine illa,nullo modo eſſe poteſt,quia eſſentialiter,& per ſuam entitatem ab illa pendet, ſicut actio à ſuo principio activo, ut dictum in Phyſicis: ſolum igitur quæſtio eſt de termino actionis vitalis, valeat ne divinitus fieri ſine paſsivo concurſu ſuæ potentiæ.

Sit aſſertio. Qualitas vitalis fieri poteſt ſine concurſu paſsivo ſuæ potentiæ à ſolo Deo. Ratio eſt, quia ſicut pendet natura ſua qualitas vitalis à potentia vitali materialiter,ita & efficienter;ſed poteſt fieri à Deo ſine dependentia activa ab illa,ergo & ſine paſſiva. Cõfirmatur primo.Illa qua- *Ita citati Authores.*

litas non eſt modus potentiæ vitalis; atqui ſi ſit entitas a ſua potentia diſtincta non implicat fieri ſine concurſu paſsivo potentiæ, ergo, &c. Minor probatur ad hominem, inde enim ipſi colligunt dependentiam activam à ſua potentia non eſſe eſſentialẽ qualitati vitali, quia tale genus potentiæ ſolum cernitur in creatura à prima cauſa; ſed eſſentialis dependentia paſsiva ſolum etiam cernitur in modis, ut patet inductione clara; ergo recte colligimus qualitatem vitalem cum nõ ſit modus, non habere dependentiam eſſentialem paſsivam à ſua potentia, & proinde ſine ea divinitus poſſe fieri. Confirmatur ſecundo. Nam ut definiunt Authores iſti, qui concedunt, actum vitalem eſſe rem, eſt qualitas connaturaliter poſtulans fieri per influxum animæ & potentiæ; loquuntur enim ibi de principio activo; ergo tota eſſentia qualitatis vitalis manebit, licet divinitus ſine concurſu paſsivo potentiæ fiat, ergo in eo nulla eſt implicatio.

Inficiantur non ignobiles recentiores in probatione diviſi; nõnulli enim probant, quia qualitas vitalis aliquam dependentiam eſſentialem à principio vitali requirit; ſed non in genere cauſæ efficientis; ergo materialis. Minor probatur, nam dependentia activa etiam eſſentialis eſt valde extrinſeca, & nulla res invenitur, quæ ab alia in eo genere eſſentialiter pendeat niſi à prima cauſa, adeo ut nullus ſit modus, dempta actione, qui non poſsit à ſolo Deo fieri. Vnde confirmatur primo, licet poſsit modus fieri efficienter à ſolo Deo, non tamen ſine concurſu paſsivo potentiæ; iſta enim eſt magis intrinſecus. Confirmatur ſecundo, quia licet realiter à potentia vitalis qualitas diſtinguatur, poteſt tamẽ dependere eſſentialiter ab eius paſſivo concurſu, ergo de facto pendebit, cum id eius natura videatur poſtulare. Antecedens oſtenditur exemplo partium continui, quæ ſunt res, & eſſentialiter pendent ab indiviſibilibus, ab eis realiter diſtinctis, itaut nec divinitus ſine ipſis produci valeant. Reſponde, negando qualitatem vitalem requirere eſſentialiter potentiam paſsivam, ſed tantum naturaliter. Ad primam probationem dices, iuxta eorum doctrinam, modum non poſſe ſeparari divinitus à ſuo ſubiecto, quia de eſſentia modi accidentalis eſt neceſsitas actu inhærendi, ut aiunt, at id non reperitur in qualitate vitali; quod ſi adhuc reperiri contendant, qualitatem vitalem eſſe modum negabunt, cum totam eſſentiam eius in actu inhærendi neceſsitate conſtituant. Ad ſecundum, tam dubiam eſſe illam dependentiam partium ab indiviſibilibus, quam eſt eorum cum illis diſtinctio in continuo, ea tamen permiſſa, adhuc latum eſt diſcrimen, nam pars continui, quia continua eſſentialiter includit indiviſibilia, ſine ipſis quippe nec ſtare, nec intelligi continuum poteſt; ſi enim diſſolveretur in omnem ſui partem, indiviſibilibus ſublatis, eſſet continuũ, & non eſſet continuum; eſſent in illo partes, ut ſupponitur, natura ſua diviſibiles, & non eſſent niſi indiviſibilia, talia enim eſſent omnes entitates continui diſſolutæ. At ex eo quod qualitas fiat ſine dependentia paſsiva à potentia, nulla ſimilis implicatio

ſe

ſequitur, nec perit illius eſſentia, ſicut nec quantitatis à materia, nec intellectus ab anima ſeparati.

Alij vero probant, quia actus vitalis eſt modus potentiæ vitalis, ergo repugnat fieri ſine eius paſsione, & extra ipſam. Reſponde, terminum vitalem nutritionis humanę eſſe modum, nimirum unionem; at terminum vitalem potentiæ ſenſitivæ & rationalis, de quo eſt potiſsima difficultas, non eſſe modū. Quod probo primo, quia actus intellectus & volūtatis operantur habitum, qui eſt res, modus autem non eſt operativus, niſi ut plurimum alterius modi. Hinc autem fit argumentum à paritate ad cæteras qualitates vitales, eſto habitum non operentur. Secundo, quia verbum mentis eſt qualitas perfectiſſima, ergo, &c.

Ex dictis fit, poſſe quamlibet qualitatem vitalem fieri à Deo ſine concurſu activo & paſsivo potentiæ, vel ita ut intra illam ſine ulla unione phyſica creetur, vel ita ut creetur, & ſuam potentiam informet per unionem ſimilē ei qua anima rationalis materiam.

DVBIVM XII.

An, & quomodo terminus actionis vitalis poßit divinitus conſtitui extra ſuum ſubiectum.

Dico primo. Terminus actionis vitalis poteſt divinitus extra ſubiectum conſtitui & conſervari, idque cum modo accidētali ſupernaturali ab actione creata ſuperaddito. Prima pars, probatur ex dictis; nulla enim id vetat implicatio. Secunda vero, quæ continet difficultatem communem accidentibus omnibus à ſubiecto divinitus poſitis, probatur, nam forma accidentalis exiſtens in ſubiecto non ſolum habebat eductionem per quā ab ipſo ſubiecto ſuſtentante pendebat in fieri, ſed etiam unionē per quam pendebat in facto eſſe; ſed defectus illius eductionis, & unionis nō ſuppletur ſufficiēter per creationem, per quam illa forma ſolum eſt independens à ſubiecto & per ſe in fieri; ergo addendus eſt modus alius diſtinctus exiſtendi per ſe, per quē fiat & conſervetur per ſe & ſine dependētia à ſubiecto ſuſtētante in facto eſſe.

Dico ſecundo. Terminus actionis vitalis v. c. qua Petrus exprimit Verbum mentis, poſſet divinitus poni in intellectu Pauli, etſi ad illum efficienter influeret per illum formaliter intelligeret. Patet, quia ille terminus ex ſe nō petit magis produci actione huius intellectus quam illius, neque in hoc recipi magis quam in alio numero diverſo; ergo ſi intellectus Pauli in ſe produceret, & reciperet, redderetur formaliter intelligens. Patet ex dictis tū de actione & effectu incōmuni in Phyſicis, tum hic de actu vitali.

Dico tertio. Terminus actionis vitalis exempli cauſa, qua Petrus amat divina virtute poni poſſet in voluntate Pauli, & redderetur formaliter amans, ſi ad illū efficiēter concurreret. Hoc dictū ex ſuperiori liquet. An vero tūc cōcurrere volūtas nequiret quin prius intellectus obiectū illius agnoſceret, utrūque probabile, ut infra, dum erit ſermo de obiecto, & actibus voluntatis fiet perſpicuum.

Dico quarto. Terminus ſpiritalis actionis vitalis ſupernaturaliter uniri poſſet ſubiecto corporeo; ſicut enim anima rationalis, tametſi ſpiritalis, unitur materiæ extenſæ, ita poſſet vitalis qualitas, tametſi ſpiritalis, uniri ſubiecto extenſo & corporeo; nulla enim in hoc apparet repugnantia.

Dices. Qualitas vitalis incluſa in intellectione Petri poſſet uniri lapidi; ergo lapis intelligeret & non intelligeret, quod implicat. Nego conſequentiam: non enim illius receptione redderetur intelligens. Primo, quia deficeret actio vitalis ſimpliciter neceſſaria ad effectum formalem intelligentis. Secundo, quia, licet ad id ſola qualitas ſufficeret, ſubiectum eſt incapax eiuſmodi effectus formalis, ac vitalis denominationis.

Inſtas. Subiectum eſt incapax denominationis formalis; ergo & receptionis formæ. Reſpondeo, ut aliqua forma cuipiā ſubiecto uniatur, præſertim divinitus, non eſſe opus ut tribuat omnem denominationem formalem quam ex ſe poteſt, ſi ſubiectum nō ſit aptum ad illam; ſic enim iuxta probabilem opinionem aliquorum qui iſta obiiciunt, ſenſatio recipitur immediate in materia, nec tamen denominat eam ſentientem. Item unio hypoſtatica reddit iuſtam & ſanctam animā Chriſti, non tamen corpus, ita & Verbum divinum media eadem unione cū humanitate conſtituit Chriſtum, etiā qua hominem Filium Dei naturalem, quod non præſtaret cum equinitate, ſi ei hypoſtatice uniretur, quia talis effectus, & denominationis eſt incapax. Ratio huius doctrinæ eſt, quod effectus & denominatio formalis pendet ab utroque extremo ab uno ut dante, ab alio ut recipiente: unde ſi in recipiente non ſit aptitudo ad aliquam denominationem, nequibit eam illi dare forma, ut exempla ſuperiora demonſtrant.

Dico ultimo. Terminus actionis vitalis, exempli cauſa qualitas viſionis, poni poſſet in ſubiecto non viventi. Ratio eſt, quia iſta qualitas recipitur in animali immediate in quantitate, aut materia prima, ut quidam volunt, & ſic cum quantitas, & materia non viventis, exempli cauſa lapidis, ſint eiuſdem rationis, divinitus ſaltem poterit in ea recipi, vel recipitur in illis media potentia ſenſitiva a qua elicitur, & adhuc nulla apparet repugnantia, quominus eadem qualitas non poſſet divinitus poni immediate in materia vel quantitate lapidis, ſicut poni poſſet potentia viſiva.

Rogas, num actio vitalis à ſolo Deo fieri queat? Et imprimis compertum eſt eandem numero actionem vitalem, quæ à potentia vitali fit, nequire à Deo fieri; ablato enim agēte, aufertur actio, quæ ab eo eſſentialiter pendet; ſolum ergo eſt difficultas, an aliqua actio vitalis numero diverſa ab ea, quæ à potentia vitali dependet, valeat à ſolo Deo fieri. Alicui videbitur, id non implicare, imo neceſſario fore dicendum dato quod admittatur vitalem actum à ſolo Deo fieri valere. Nihilominus probabilius autumo non poſſe actionem vitalem à ſolo Deo fieri. Vnde actio, qua Deus intellectionem efficeret ſine intellectiva potentia, ſpecie diſcreparet ab ea, quæ fit modo dependenter ab intellectiva potentia.

Suadetur. Actio vitalis debet eſſe eſſe à principio vitali; ſed illa actio non eſſet ab aliquo principio vitali, quia Deus reſpectu illius non ſe haberet, ut vitale principium; ergo, &c.

Dices. Actus eſt vitalis, tametſi non dependeat à principio vitali ut ſupra dictum; ergo & actio poterit eſſe vitalis, tametſi non pendeat à principio vitali. Nego cõſequentiam: quia actus vitalis cum ſit qualitas non pendet immediate & eſſentialiter ab agente, ſed media actione ſuperaddita, & ita actus ut vitalis ſit, ſat eſt ut petat fieri actione vitali ſuperaddita; actio vero eſſentialiter pendet ab agente: quomodo ergo actio, vitalis erit, ſi neque actu; neque poteſtate pendet à principio vitali? illa autem actio à ſolo Deo facta neque miraculoſe manare poſſet à vitali principio. Præterea actio qua fieret conceptus extra intellectum, eſſet creatio: quis ergo dicat eſſe vitalem? alioquin & ego dicerem actionem, qua fit rationalis animus, vitalem eſſe, quod inauditum, & omnino à ratione alienum eſt. Sive ergo producatur actus vitalis à Deo extra potentiam per creationem, ſive in potentia per eductionem mere paſsive ipſa ſe habente, actio talis actus productiva, vitalis non eſſet, quia non diceret ordinem ad aliquod vitale principiũ, neque actus talem ordinem diceceret quatenus factus tali actione, ſed quia expoſcit fieri connaturaliter actione à principio vitali pendente.

CAPVT IIII.

ENumeratis ſuperiori capite animæ potentiis ad ſingularum explanationem accedit: diſſerit autem in hoc capite de potentiis animæ vegetativæ, & illud in quinque partes dividit. In prima methodum ſervandam in hac re proponit. In ſecunda, de actibus potentiarum animæ vegetativæ agit. In tertia, qua ratione anima ſuarum potentiarũ cauſa ſit, declarat. In quarta quandam Empedoclis ſententiam explodit. In quinta demum de alimento, quod eſt potentiæ nutritivæ obiectum agit.

Neceſſe eſt, &c. Ad primam partem accedens, ait, in tractatione de potentiis animæ, prius agendum eſſe de actibus potentiarum, quam de potentiis ipſis, quia actus priores ſunt potentiis, quod intelligendum in genere cauſæ formalis, cum potentię per actus ſpecificentur, non in genere cauſæ efficientis; in hoc enim genere potentiæ ſunt priores actibus. Similiter docet prius agendum eſſe de obiectis quam de actibus, quia illa priora ſunt iſtis, & ſubdit ſe acturum prius de potentiis animæ vegetativæ, quia hæc communior, & univerſalior cæteris animabus.

Quare de alimento, &c. In ſecunda parte agit de actibus potentiarum animæ vegetativæ, & inquit, duplicem habere actum ſcilicet alimento uti, ſub quo nomine comprehendit nutritionem & augmentationem, & generare ſibi ſimile, quod viventibus non ſolum commune, etſi nõ omnibus, ſed maxime eſt naturale, ait autem hanc actionem his dumtaxat vi-

viventibus competere, in quibus tres cernuntur conditiones. Prima eſt, ut iam ad perfectum ſtatum pervenerint, id eſt ut ſint in ætate ad generandum accommodata: unde eſt quod pueri non generant. Secunda, ut de ſecta, ſeu mutila non ſint, aliiſve cauſis, aut naturæ vitiis impedita. Tertia, ne ſint ſponte genita, qualia ſunt quæ ex putrefactione oriuntur, ut vermes, & culices, hæc enim plerumque non generant. Sed quia dixerat finem generationis eſſe conſervationem ſpeciei, dicit hũc finem triplicem eſſe, ſcilicet cuius gratia, & hic eſt conſervatio, & perpetuitas ſpeciei, nam gratia illius viventia generant ſibi ſimile; alius vero eſt finis cui, & hic eſt ipſum vivens, nam in eius utilitatem cedit; alius vero eſt finis quo, ſcilicet quo conſequitur finis cuius gratia, & hic eſt ipſa generatio, quia per illam conſervatur ſpecies.

Eſt autem anima, &c. In tertia capitis parte docet animam in triplici genere eſſe cauſam potentiarum; efficientem in quantum illas producit; finalem, quia propter illam ſunt potentiæ, & operationes, ut ſcilicet anima magis perficiatur, ac demum in genere cauſæ materialis cum illas recipiat; ſit, animam eſſe cauſam formalem reſpectu compoſiti, tum quia per ea viventia intrinſece habent ſuum eſſe ſubſtantiale, tum quia eſt actus primus corporis organici.

Atque hæc in parte, &c. In quarta, ex dictis occaſionẽ ſumit coarguendi veteres philoſophos, & præcipue Empedoclem aſſerentem, plantas habere ſuum ſurſum in ramis, deorſum vero in radicibus, quod ex eo ſuadet falſum eſſe: quia pars ſurſum eſt illa, per quam ſumitur alimentum, ut liquet in aliis viventibus; ſumunt enim alimentum per os, quod eſt ſurſum; ſed plantæ ſumunt alimentum per radices; ergo reſpectu plantarum radices ſunt ſurſum, & folia deorſum, tametſi reſpectu univerſi folia habeant rationem ſurſum, & radices deorſum. Impugnat etiam Democritum aſſerentem, in mixtis viventibus ignem eſſe cauſam augmentationis, quia ignis inquit nullũ habet terminum magnitudinis, viventis vero illum expoſcunt. Unde potius anima eſt cauſa totius operationis vitalis.

Videtur itaque contrarium eſſe contrario nutrimentum, &c. Poſtremo in quinta capitis parte diſſerit de alimento, quod eſt obiectũ potentiæ nutritivę, ad quod tres cõditiones exigit. Prima, quod ſit contrarium rei, quæ nutritur: ſiquidem mutari in eam debet; omnis autẽ mutatio eſt inter contraria aliquo modo. Secunda, quod ſit ex his contrariis, quorũ unum auget alterum; non enim omne contrarium auget alterum, qua ratione ęgritudo non auget, ſed potius minuit ſanitatẽ. Tertia, quod taliter augeat alitum, ut convertatur in illud, non ẽ converſo.

Verum enim iis locus, &c. Ad rem magis illuſtrandam vocat in diſceptationem, debeat ne alimentum ſimile eſſe rei nutritę, an contrariũ, ut paulo ante docuit. Sunt qui putent debere eſſe ſimile, quia eiſdem augemur, & nutrimur: diſſimile vero & contrarium tãtum abeſt, ut augeat, ut diſperdat potius, cum ſemper unum contrarium alteri perniciem intendat. Alij affirmant alimentum oportere diſsimile, atquę contrarium eſſe,

eſſe, quia nihil niſi à diſsimili,& contrario patitur, conſtat autem alimentum pati à vivente,dum ab eo immutatur, & decoquitur, etſi vivens ab alimento non patiatur: quemadmodum materia arti ſubiecta varie mutatur, & patitur ab artifice; ipſe vero artifex à materia non patitur; niſi quis paſsionem vocet mutationem à quiete & ocio ad operationem & actum. Hic aduerte, cum Ariſtoteles ait, alimentum pati à vivente, non contra, haud quaquam repugnare ſibi in 1.de generat.cap.7.text 51. ubi ait, inter alimentum & rem viventem dari reciprocam actionem & paſsionem. Hic enim ut notavit Averroes comm. 45. non abſolute negat alimentum agere in ipſum vivens, ſed agere per actionem qua ipſum in ſe convertat: illic vero de actione in communi agebat. Componit excitatam controverſiam aiens utriuſque partis aſſertores, partim pro veritate ſtare, partim non. Nã alimentum ſimile eſſe debet,& diſsimile;contrariũ,& non contrariũ: Simile & non contrarium in fine ſeu poſteaquam cõctũ, & digeſtũ eſt,idque probat ratio adducta pro priori opinione diſsimile & contrarium in principio, ſeu cum adhuc crudum eſt & incoctum; idque concludit argumentum poſterioris ſententiæ. Monet ſubinde alimentum trifariam ſpectari poſſe. Primo modo, quoad ſubſtantiam, ſicque eſt nutritionis obiectum. Secundo, ſecundum quantitatem, & ita eſt obiectum accretionis. Tertio, quatenus habet aliquid ſuperfluũ, & ita pertinet ad generativam potentiam, nam ex reſiduo alimenti fit ſemen. Demum definit nutritivam potentiam dicens eſſe vim quandam & potentiam animæ ad conſervandum vivens in quantum vivens eſt.

DISPVTATIO QVARTA; De potentiis, & actibus vegetantis animæ.

NOBILIORI hominis penetrata portione, rationalis animi genio, ingenioque cognito, facile erit diſquirere, quid de ignobiliori ſit philoſophandum, quidve de vegetanti ſit diſcutiendum, quid de proprietatibus eius, eiuſque actibus ſit congrue diſceptandum.

DVBIVM I.

Quid ſit generatio viventium, & cur naturaliſsimum viventis opus.

DOCVIT Ariſtoteles 8. Ethicorum. capite 11. Genitum coniunctum eſſe gignenti. Idem 7. Metaphyſic. capite octavo, & ſæpe alibi docuit generans eſſe ſimile genito,

& genitum generanti. Ex quibus locis Divus Thomas 4. contra gẽtes, cap. 11. collegit & coagmentavit hanc definitionem generationis, quæ conceptio, & nativitas proprie dicitur: *Origo ſeu proceſſio viventis à vivente medio principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Quam definitionem probant Philoſophi & Theologi, & erudite declarat Vazquez 1. par. diſp. 113. cap. 1. Suarez 9. de Trinitate. cap. 1. Hurtadus diſputat. 1. de generatione ſubſtantiali. ſect. 2. In qua dicitur.

Primo, *origo*, quę eſt genus ad omnes generationes, & excludit corruptionem ac deſitionem viventis.

Secundo, *viventis*, ut pellantur generationes non viventium, ut lapidum, metallorum, &c.

Tertio, *à vivente*, vox iſta reiicit emanationes animalium a Sole, & aliis cauſis non viventibus, quarum reſpectu emanationes illæ non ſunt generationes de quibus loquimur.

Quarto, *Medio principio vitæ*, quæ particula relegat productiones viventium, quibus unum ex alio, ſine illius activo concurſu procedit, exempli cauſa, cum Eva producta fuit ex Adami coſta, eiuſmodi productio neutiquam fuit generatio ab Adamo, is enim non fuit principium activum Evæ, cũ ex eius materia effictа fuerit a ſolo Deo. Origo enim viventis à vivente medio principio vitæ id ſonat, imo & coniunctio generantis cum genito, quæ requirit fiat per ſemen, quod actionem exercet in aptanda materia, ad quam & fœmina ipſa multum iuvat, vel ſanguine ſuo tantum, vel ſemine quoque proprio, quod probabilius eſt. Quocirca tametſi Deus modo hominem ex carne alicuius belluæ efformaret, nec eſſet, nec diceretur belluæ filius, ſicut neque Eva dicitur filia Adami. Atque ideo S. Thomas 1. par. quæſt. 92. artic. 2. ad 3. nullam inter Evam & Adamum conſanguinitatem agnoſcit.

Quinto, *coniuncto*, quia generãs debet producere genitum ex aliquo ſuæ ſubſtantiæ intrinſeco communicato, ratione cuius cum illo coniungatur, non ſicut res inanimatæ ut ignis, qui non ex alio ſibi intrinſeco, ſed ex materia extrinſeca generat. Vnde uterque parens in prolis generatione aliquid ſui illi communicat, quo compingatur, & cum utroque ſit coniunctus: Pater quidem communicat ſemen, quod erat aliquid ſibi intrinſecum, & eſt animatum, aut certe fit ex ſpiritu vitali, eſtque valde utile parenti propter alimentũ, quod ſubminiſtrat partibus quibus ineſt. Mater autem communicat ſimiliter ſemen, aut certe ſuum ſanguinem, qui ſanguis informatus erat, ut multi volunt anima matris, vel certe erat aliquid ipſius intrinſecum: igitur, quia virtus ex utroque parente deciſa in filio reperitur, ideo uterque cum illo coniunctus, & filius naturalis non eſt ab eis extraneus. Extraneus quippe vel alienus eſt, qui nihil per ortum in ſe habet, ut patet in adoptivo. Atque hinc apparet ratio cur productio creaturæ vivẽtis à Deo, ut Angeli, &c. non ſit propria generatio viventis, eſto ſit proceſsio viventis à vivente perfectiſsimo, quia ſcilicet non fit medio principio vitæ coniuncto modo explicato.

Vltimo, *in ſimilitudinem naturæ*, non requiritur ſimilitudo accidentium

dentium : nam licet Petrus ſit albus, & Paulus niger, alter poteſt eſſe parens alterius. Requiritur, ergo naturæ ſimilitudo, quæ quo maior fuerit, eo perfectior erit generatio. Vnde in divinis, quia Verbum eſt ſimile genitori in eadem numero natura, eſt perfectiſsime genitum, & filius. Abſolute tamẽ ad generationem ſufficit ſimilitudo in natura ſpecifica, qualis reperitur inter Petrum & Paulum & Mariam.

Opponis. Mulus ex equa & aſino gignitur, eſtque verus ipſorum filius, nec habet ſimilitudinem naturæ: ergo hæc non requiritur. Reſpondeo cum pleriſque Doctoribus, generationem illam eſſe monſtroſam, & præter naturam, de qua non agimus.

Recentiores quidam hac ſolutione non contenti negant requiri ad veram generationem ſimilitudinem in natura ſpecifica. Primo, quia generatio muli, vera generatio eſt: licet enim dicatur mōſtroſa, & monſtroſus filius, nō eſt propter defectum ſimilitudinis, ſed quia monſtrum eſt coitus animalium diverſarum ſpecierum: Natura enim non dirigit ad eum per ſe, ſed ad coniunctionem maris & fœminæ eiuſdem ſpeciei ad eandem conſervandam, poſito tamen coitu naturalis filius gignitur, ac tam proprius, ac ſi eſſet eiuſdem ſpeciei. Secundo, quia ſimilitudo æquivoca vera eſt ſimilitudo; & in eam quadrat vox huius definitionis. Tertio, quia illa ſimilitudo ſufficit, quæ facit filium participem bonorum paternorum. Vt mulus particeps eſt lactis equę & blanditiarum, quibus & feræ nuis indulgent. In rationalibus autem ea ſimilitudo ſufficit, quæ eſt principium mutuæ benevolentiæ, & hereditatis. Vnde ſi Petrus gigneret hominem alterius ſpeciei, aiunt tam proprie fore eius Patrem, quam nunc eſt Pauli.

Hæc doctrina preterquam quod videtur contra communem, poſſet impugnari, quia ſequi videtur productionem Spiritus Sancti eſſe proprie generationem, & Spiritum Sanctum Filium; quia procedit vivens à vivente Patre, & Filio coniuncto, quod ſolum requirunt hi Authores ad veram Filij generationem. Quod procedat vivens à vivente, conſtat per ſe: quod oriatur à principio ſubſtantialiter coniuncto probatur, quia procedit medio actu voluntatis, qui magis coniunctus eſt Deo, quam ſemen homini. Quod vero reſponderi poteſt Spiritum Sanctum non eſſe Filium, quia non eſt imago, nec productus ad repræſentandum, non ſatisfacit, nã ideo non eſt imago, quia non ſimilis. Pluribus idem confutat Suarez 11. de Trinitate. cap. 5.

Ad primum reſponderi poſſet, illam generationem abſolute & ratione ſui eſſe monſtroſam, ut eſt via à tali principio ad talem terminum, & non ratione coitus monſtroſi: quia potius coitus mõſtroſus, quod in monſtroſam tendat generationem, nempe viventis diſsimilis à diſsimili coniuncto, niſi quis dicat aſinum, equam, & mulũ eſſe eiuſdem ſpeciei, quod incredibile apparet. Quare ſicut homo habens materiam ſpecie diſtinctam à noſtra, nō eſſet abſolute & univoce homo, ſed monſtroſus, ſic illa generatio monſtroſa eſt. Ad ſecundum, nego eam eſſe veram ſimilitudinem, ut in Logica dictum. Ad tertium, nego illud ſufficere. Primo ob rationes adductas.

ductas. Secundo, quia alioqui diceremus illum concurſum eſſe ſufficientem, qui ſufficit ad participationem bonorum, blanditiarũ, amoris, & benevolentiæ; quod eſſe falſum conſtat in Eva: quæ non fuit Adami filia, ut dictum. Tertio, quia alioqui ſuperflua eſſet illa definitionis pars; *in ſimilitudinem naturæ:* nam ſimilitudo, quam tu ſufficere contendis, iam includitur verbis illis, *Origo viventis à vivente coniuncto.* Sed hæc Theologis altius eruenda relinquimus.

Eſt tamen hic maxime advertendum, quod docet Vazquez 1. par. tom. 1. diſp. 113. cap. 7. in viventibus cognoſcitivis, ac præcipue in ratione utentibus, vocem ſimilitudinis ſignificare imaginem productam, ad repræſentandum patrem; eſt enim hoc diſcrimen inter ſimile, & imaginem, quod ſimile ut ſic, non eſt factum ad repræſentandum aliud, bene autem imago, nam duo alba ſunt ſimilia, & neutrum alterius imago: Pater etiam eſt ſimilis filio, & non imago ipſius: at filius eſt imago patris, nam ex ipſa intentione naturæ eſt factus ad repræſentandum Patrem: atque ita pater filium quem inter cæteros agnoſcit perfectiorem ſui imaginem, ſolere pro cæteris appellare filium ſuum.

Circa ſecundum tituli dicitur, generatio naturaliſsimum viventis opus, non quaſi ſit opus perfectiſsimum; operationes enim intellectus & voluntatis dignitate ſuperant generationem, neque itẽ quia vivens propendat magis in generationem, quam in propriam nutritionem, propterea quod generatio incumbat bono communi ſpeciei, nutritio vero particulari individui: Falſum enim eſt naturam magis inclinare in generationem, quam in nutritionem, utraque enim in bonum ſpeciei tendit, una in uno individuo, altera in alio; ergo ex hoc pares ſunt. Firmatur. Tunc bonum commune præfertur particulari, quãdo non ſtant ſimul, non autem quando particulare includit univerſale; verbi gratia, ſi lapis poſſet replere vacuum aſcendendo, vel deſcendẽdo, potius deſcẽderet quam aſcenderet, quia ſic ſatisfaceret bono particulari & univerſali; at nutritio ordinatur ad univerſale bonum, & illud includit, niſi enim individuum ſeipſum cõſervet, non poterit aliud generare. Planior ergo ſenſus eſſe videtur pronuntiati illius Ariſtotelici, ſi ſine ulla comparatione ſumatur, ita ut ſenſus ſit: generationem eſſe opus valde connaturale viventi, ratione inſitæ cuiuſdam inſitæ cupiditatis propagandi ſe, quam Deus indidit rebus, præcipue viventibus corruptibilibus. Addi poteſt iuxta dicta, dici etiã generationem naturaliſsimum viventis opus, quia omnia viventia poſſunt per generationem ex ſemine propagare, licet quandoque per putrefactionem aliqua generẽtur, vel etiam naturaliſsimum, id eſt neceſſarium, & non regulatum à cognitione generantis.

DUBIUM II.

Corollaria quædam deducuntur.

Primum deducitur, proceſsionem Verbi Divini eſſe perfectiſsimam generationem, quia per

per eam Verbum Divinum oritur à Patre ut vivente, cui coniungitur media natura Patris, quam in ſe habet communicatam: oritur quoque in perfectiſsimam naturæ ſimilitudinem, quia Verbum Divinum ex vi ſuæ proceſsionis formaliſsima accipit naturā Dei quatenus eſt intellectio, per quam uti rationem formalem Dei eſſentia conſtituitur. Tandem oritur ut imago ad repræſentandum Patrem.

Secundum deducitur, proceſſionem Spiritus Sancti non eſſe generationé, quia Spiritus Sāctus ex vi ſuæ proceſsionis formaliter non procedit, ut ſimilis in natura Divina; quamvis enim totam eam identice accipiat, non tamen ex vi proceſsionis accipit ut eſt intellectio, per quam illa formaliſsime conſtituitur, ſed ut eſt amor, qui eſt attributum ex divina eſſentia prius noſtro modo cócipiendi conſtituta ortum: unde cum formaliter non procedat in naturæ ſimilitudinem, ipſius origo non eſt generatio. Alij dicunt, idcirco Spiritum Sanctum non procedere ut ſimilem in natura divina, quia hæc ut in ipſo eſt, non eſt principium productivum alterius perſonæ. Prior tamen ratio probabilior, & receptior eſt, quam acute tradit Suarez.

Tertium deducitur Chriſtum Dominum, adhuc qua hominem, non eſſe Filium adoptivum, ſed naturalem Dei, quia componitur ex perſona Verbi, quæ eſt aliquid Dei, atque à Deo à principio con iuncto, quod eſt Verbi Divini perſona.

Quartum, generationem ex fœmina ſine viri concurſu, qualis fuit Chriſti Domini generatio ex puriſsima Virgine, eſſe veram generationem, & univocam cum cæteris viventium; univocam inquam, in ratione generationis viventium, fuit quippe à principio coniuncto; Virgo enim exiſtit activum illius productionis principium, & ſuppeditavit materiam ad Chriſti Domini corpus, ut aliæ fœminæ ad ſuos fœtus; nec obeſt, quod nec fuerit à viro, neque quod ſucceſsive, ſed unico momento facta. Non primum, quia defectum diſpoſitionis activæ, & concurſus quem præſtat virile ſemen proviſum divinitus in genere cauſæ efficientis. Defectus autem materiæ quam pars aliqua ſeminis virilis ſtatui præſtat, ut infra dicam, ſuccurſum eſt ſufficienti materia ex ſanguine virgineo ſubrogata. Vnde vera fuit origo viventis à vivente, ut principio coniúcto. Neque ſecundum, quia quod unico momento facta fuerit, ſolum illi tribuit diſcrimen accidentale temporis, & aliarum circunſtantiarum, & ita non minuit ſimilitudinem intrinſecam ipſius cum cæteris viventium generationibus.

Quintum, hominem qui ex ſemine in matris uterum, miniſterio dæmonis miſſo, naſcitur, non eſſe filium dæmonis, cuius nihil habet proprium intrinſecum, ſed hominis, à quo ſemen dæmon accepit; & mulieris concipientis: quia ſoli ipſi ſunt principia coniuncta per aliquam ſui partem. An autem verus actus generationis dæmonis opera fieri poſsit, videbitur dubio ſequenti.

Sextum, pullos ex oris excluſos eſſe filios earum avium à quibus ova proceſſerunt, nó quæ ſolum ovis incubarunt, nam iſtæ ſolum diſponunt materiam ſemi-

nalem, quam illæ tribuerunt, atque adeo illarum ſunt filij, & eis ſimiles naſcuntur: exempli cauſa, ſi ova columbarum foveantur à gallina, pulli columbarum erunt filij. Hinc fit, quod communiter traditur, perdicis pullos audito illius, quæ ova peperit cantu, ad ipſam advolare, relicta ea quæ fovet; perdix enim, ut dicitur Hiere. 16. fovet quæ non peperit.

Septimum, pilos & capillos nō eſſe filios animalis, tum quia nō vivunt, ut plerique docent: tum quia licet vivant, ut ait Sanctus Thomas, non procedunt ſimiles in natura: tum quia non fiunt ex vera parte animalis, ſed recremento. Denique quia licet fierent ex vera parte animalis, & eſſent ſimiles in natura, non tamen eſſent ab animali diſtincti, ſed partes eiuſdem animalis; ad filiationem requiritur ſuppoſitalis diſtinctio.

Octavum, nec hominem, nec aliud animal eſſe proprie patrem vermium, qui in ipſo, vel circa ipſum gignuntur, quia non generantur ex materia, quę ſit animalis pars, aut partium eius alimentum, quale eſt ſemen, ſed recrementum, vel excrementum, ut ſudor, vel aliquis corruptus humor; nec procedunt in ſimilitudinem naturæ.

Nonum, definitionem generationis viventium totam quadrare productioni arborum, ac plantarum ſi vivant, quod eſt certius, quando generantur ex ſemine aliarum. Forſan hoc negari poſſet, quia ſemen non videtur pars arboris, cum nec ipſam compleat, nec ei continuetur, nec ſit pro alimento: ut ſemen quo partes animalis nutriuntur, ideo ſalaces homines defectu ſeminis debiles admodum ſunt. Cæterum ſive arbores genitæ ſint proprie, ſive improprie, & ab aliis conceptæ, certum eſt non eſſe illarum filias; quia hæc denominatio ſolum cadit in animantes.

Vltimum, dividi generationem in analogam, & anomalam. Analoga dicitur, quæ ſervat proportionem, & æqualitatem à natura inſitam, ut generatio leonis ab utroque parente. Anomala eſt, quę non ſervat eam æqualitatem, & tenorem. Cuius multæ quaſi ſpecies afferri poſſunt. Prima generatio viventium à ſolo Deo facta; ut productio Adami ex limo terræ, & Evæ ex coſta Adami. Secunda ex fœmina ſine viro, qualis fuit generatio Chriſti Domini ex beatiſsima Virgine. Tertia reſurrectio, quæ etiam vocatur generatio, iuxta illud Pſalmi 2. de Chriſto reſurgente, *Ego hodie genui te*, & Chriſtus Dominus vocat reſurrectionem, regenerationem. Quarta, generatio quā dęmones incubi pręparāt, ut ſupra attigimus, huc reuocari poteſt generatio muli, & mōſtroſæ plurimæ.

DVBIVM III.

Poſſit ne dæmon verum actum generationis efficere.

MVlta exempla, quæ memorant graves hiſtoriæ, occaſionem exagitandi hanc cō troverſiam dederunt, circa quam Medici partem negantem tenent. Pererius vero lib. 8. in Geneſim, diſputat. 3. rem eſſe dubiam cenſet; ait enim ſe nolle affirmantē opinionem tam vulgatam, probatamque oppugnare, fatetur tamē

ſe de hac re multum dubitaſſe, & etiam tunc in eadem dubitatione hærere: cauſam ſuæ dubitationis, nec inanem, nec futilem hâc reddit, quia ſeminis virilis pars ea quæ continet vim illam generatricem, & prolificam, plane velut aërea eſt, id eſt tenuiſsima, ſubtiliſsima, ſpumoſa, vigenſque tenuiſsimo calore diſsimili caloris ignei, & calori ſyderum affini, & cognato: ideoque partem illam facillime diſsipabilem & expirabilem eſſe: quod ſuadet ex Ariſtotele 2. de generatione animalium, cap. 3. Vnde verendum eſt, inquit, ne virile ſemen antequam recipiatur intra legitimum fœminæ vas, in quod eſt deferendum à dęmone, eam virtutem amittat, evaneſcente tenuiſsimo calore, & ſpiritibus in quibus viget.

Aſſertio prima. Dęmones virtute ſua nequeunt cõcubitu fœminarũ generationis actum efficere. Probatur. Dæmones ſunt ſubſtantiæ corporis expertes, & à materia abiuncti; ſed nulla eiuſmodi ſubſtãtia valet ex ſuis viſceribus exhibere ſemen, quod corporeum eſt, & neceſſarium ad generationem, ergo dæmones nequeunt virtute propria generationis actum elicere. Maior demonſtrari ſolet, tum aliis argumentis, tum quia conſtat Lucæ cap. 8. fuiſſe in uno homine dæmonum legionẽ, quæ continet ſex mille ſexcentos ſexaginta ſex; at ſi dæmones corporei eſſent, nequirent in eodẽ corpore ſimul conſiſtere, cum duorum corporum penetratio ſola divina vi dari queat. Adde, quod Angelos ſive dæmones corporibus eſſe præditos, etſi non ſit ſententia erroris nomine condemnanda, eſt tamẽ parum tuta, poſt Decretum Concilij Lateranenſis ſecundi, cap. Firmiter, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica, in quo dicitur Deum ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam: deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Cum igitur Concilium, Angelos, è quorum ordinibus dæmones ceciderunt, appellet creaturam ſpiritualem, prout à corporali diſtinguitur, palam docet tam Angelos, quam dæmones incorporeos eſſe.

Aſſertio ſecunda. Non eſt dubiũ poſſe dæmonem, corpore phantaſtico aſſumpto, ſemen virile deferre, & intra legitimum fœminę vas effundere, ſicut poteſt ignem deferre, & applicare ad comburendum aliquid, & plantarum ſemina terræ mandare, unde plantæ oriantur; imo ſæpe ita factum, graviſsimi Doctores providere, ut Divus Auguſtinus 3. de Trinitate. cap. 8. & 9. Divus Thomas 1. par. quæſt. 51. artic. 3. ad 6. & alij, ut videre eſt apud Delrium, lib. 2. diſquiſitionum magicarũ, quæſt. 15. Suarium. lib. 2. de ſuperſtitione. cap. 16.

Aſſertio tertia. Probabile eſt, facta eiuſmodi ſeminis applicatione, poſſe perfici veram generationem viventis. Suadetur primo, quia ita ſuadere videntur exempla, quæ graves loquuntur hiſtoriæ, & videri poſſunt apud Delrium. *Ita Conimb. 1 lib. de Gene. c. 4. q. 10. artic. 3. Hurt. diſp. 1. §. 15. & nonnulli recentiores docti in materia de Angelis.*

Secundo à priori, nam ſemen in matrice conceptum, & fotum vim habet diſponendi ad prolem, & eam efficiendi diſpoſitive; ergo à quocumque agente illud traiiciatur, diſponet ad fœtus generationem, itaut generatio ſequi poſsit. Nec enim mas quid

efficit congreſſu cū fœmina, niſi ſemen iacere in matrice, quæ eſt applicatio agentis cum paſſo; applicationi autem quid intereſt, ſi ab hoc, aut illo oriatur agente, cum ipſa nullam conferat vim agendi?

Reſpondent Medici, nequire id fieri, quia ſemen agit per ſpiritus tenuiſsimos, quos ſtatim exhalat, ſi extra corpus ſit. Sed contra primo, quia poteſt tanta celeritate deferre ſemen illud, ut pars illa tenuiſsima ſpirituum, & ſubſtantiæ in quo vis genitiva viget, minime diſsipetur. Quæ ſolutione à Divo Thoma in 2. diſt. 8. quæſt. 1. artic. 4. inſinuata, diluit rationem dubitandi Valleſius in ſacra Philoſophia, cap. 8. Secundo, quia nõ eſt difficile Dæmoni ſubſtantiam illam, calore & variis fomentis adhibitis, brevi tẽpore extra corpus tueri, ne vis genitalis exhaletur. Vltimo, quia ut tradit Averroes, fœmina quædam concepit ſine viri congreſſu, attracto ſemine ex aqua balnei, in quã diffuſum fuerat à viro. Abulenſis refert, nonnullos opinatos Merlinum Vatem in Anglia celebrem, eo modo fuiſſe generatum: idemque de Homero, refert in eius vita Plutarchus, ex Ariſtotele lib. 3. Poeticæ, & Politianus in ſua præfatione in Homerum.

Moneo in fine duo cum Doctoribus communiter. Primum, hominem natum ex huiuſmodi generatione, non fore filium dæmonis, ſed alterius hominis, à quo ſemen fuit acceptum, propter rationem tranſacto dubio memoratam. Secundum, nequire generari hominem ex viro incubo, & dæmone ſuccubo, quia plura requiruntur in utero materno ad prolis generationem, quæ dæmonis vis, & induſtria præſtari nequit.

DVBIVM IIII.

Quid potentia nutritiva, & quomodo à temperamento, & aliis potentiis diſcrepet.

INter vegetantis animæ potentias prima & potiſsima eſt nutritiva, quæ formæ vegetanti, ut anima eſt, convenit, quod ex ſupra dictis deducitur. Definiri poteſt: *Facultas producendi novas partes ſubſtantiales forma viventis, aut eius unione in nova materia ſimiles iis, quæ in prima generatione adquiſita ſunt.* Hoc perſpicuũ facit natura actus nutritionis, ad quem nutritiva potentia ordinatur, explicata tractatu de generatione, diſput. 2. Hic vero

Quæritur primo. An ſit diſtincta à calore, & temperamento viventis. Dicendum primo cum Divo Thoma, quæſt. 78. artic. 2. Toleto hic, & recentioribus, eſſe diſtinctam ab utroque. Primo, quia potentia ſenſitiva in quolibet animali eſt diſtincta à temperamento ipſius; ergo & nutritiva. Secundo, Potentia qua anima vegetans attrahit, & retinet utile alimentum, & reiicit inutile, ordinatur ad nutritionem; atqui iſta eſt diſtincta à calore & temperamento viventis; ergo à fortiori potentia nutritiva. Minor probatur, nam virtus attractrix, & retentrix ferri in magnete, diſtincta eſt à calore & temperamento ipſius; ergo & in viventi virtus illa. Tertio. Potentia nutritiva vitalis eſt, calor autem & temperamentum pri-

primarum qualitatum non eſt vitale, ut videre eſt in corporibus non viventibus, in quibus primæ qualitates eiuſdem rationis reperiuntur, ut probatum tractatu de generatione.

Dicendum ſecundo. Calorem, & alias qualitates temperamenti, eſſe inſtrumenta potentiæ nutritivæ. Primo, ex Ariſtotele, qui ſæpe calorē, & alias primas qualitates vocat inſtrumenta virtutis nutritivæ, atque ita lib. 1. de generat. animalium, cap 4. docet, vim animæ vegetantis ex alimento incrementum efficere, utendo calore, & frigore, ut inſtrumentis. Et hoc lib. 2. capit. 4. text. 50. ait, ſicut gubernator gubernat manu & clavo, ut duplici inſtrumento, ita animam nutrire, virtute nutritiva, & aliis primis qualitatibus. Secundo, iſtæ qualitates cum viventi concurrunt ut inſtrumentum ad generationem formæ viventis; vivens enim calore decoquit ſemen, fovet, ac præparat ut in illud introducatur forma viventis; ergo & eodem decoquit & præparat alimentum ut partialis forma viventis introducatur.

Obiicies. Temperamentum eſt ultima diſpoſitio ſufficiens introductioni formæ viventis, ergo ſufficiet nutritioni, quæ partialis eſt introductio eiuſdem formæ aut unionis. Negandum antecedens; licet enim illud ſufficere poſsit ad formam alicuius mixti inanimati, non tamen ſufficit ad diſpoſitionem formæ viventis, quæ perfectior eſt, ac proinde requirens virtutes perfectiores, facultates ſcilicet vitales, ſicut etiā poſtulat certam figuram & organizationem.

Quæritur ſecundo. An omnes potentiæ nutritivæ ſint eiuſdem ſpeciei. Reſpondeo, diſtingui ſpecie pro varietate viventium ſpecie diſtinctorum. Ratio eſt, quia habent actus ſpecie diſtinctos, cū terminentur ad formas ſpecie diſtinctas. Potentia enim nutritiva, quæ eſt in planta, ad plantam terminatur, & quæ eſt in leone, ad leonem; ergo, &c.

Obiicies. Potentiæ viſivæ leonis, & equi non diſtinguuntur ſpecie; ergo nec potentiæ illorum nutritivæ. Nego conſequentiam, quia illæ feruntur in idem obiectum adæquatum, coloratum, & lucidum, iſtæ vero in terminos adæquatos ſpecie diverſos.

Quæritur tertio. An potentia attractrix, retentrix utilis alimēti, & inutilis expultrix, quæ viventi ad nutritionem famulantur, differant realiter à nutritiva, & inter ſe. Negant recentiores. Primo, quia eadem potentia producit formam, & cauſat diſpoſitionem ad illam; ſed attractio & retentio alimenti utilis, & inutilis expulſio ſunt diſpoſitio per ſe ad productionem partialis formę viventis; ergo eadem potentia nutritiva adæquate elicit omnes iſtos actus. Secundo, quia nō ſunt multiplicandę ſine neceſsitate potentiæ. Diſplicet. Quare

Dicendum primo, diſtingui realiter à potentia nutritiva. Ratio eſt, quia habent terminos longe diverſos, & diverſam rationem tendendi in illos; una enim reſpicit productionem formæ viventis, alia motum localem alimenti per impulſum tractivum, aut expulſivum; ergo realiter diſtinguuntur. Cōfirmatur primo, quia alias etiā dicere quis poſſet facultatem loco motivam, ſeu progreſsivam animalis identifica-

ri cum potentia nutritiva.

Reſpondent, iſtam potentiam eſſe adæquate ordinatam ad motum localem, & non ad generationem, vel nutritionem aliquam ſubſtantialem, at illas inadæquate ſolum, quia ordinant motum localem ad nutritionem viventis. Contra tamen primo, quia vivens etiam utitur potentia progreſsiva ad quærendum alimentum, imo & eadem quatenus eſt loco motiva ad ipſum ori ingerendum, & dentibus conterendũ: unde iſtos eius actus ordinat ad nutritionẽ. Contra ſecundo, quia ſicut iſti actus & facultates quaſi ſubordinantur potentiæ nutritivæ ad eius actum præcipuum, ita potentia loco motiva animalis ſubordinatur appetitui ſenſitivo ad fugiendum malum, & ſequendum bonum repræſentatum, ut ſupra dictum; atqui potentia loco motiva animalis realiter differt à nutritiva & appetitiva; ergo, &c.

Confirmatur ſecundo. Sicut attractio alimenti ipſum attrahit potentiæ nutritivæ ut convertat, ita repræſentatio obiecti, voluntati ut amet; ſed illa repræſentatio eſt actus diverſæ potentiæ à voluntate; ergo attractio alimenti alterius à potentia nutritiva.

Hinc diluitur prima ratio, nam attractio alimenti utilis, & retentio, non eſt proprie diſpoſitio, ſed applicatio materiæ aptæ ut diſponatur ad nutritionem. Eodem fere modo ſe habet atque applicatio combuſtibilis ad ignem, qui quamvis per calorem & ſiccitatem, illud ſibi applicatum diſponat, non tamen per eas qualitates attrahit. Idem recentiores fatentur. Secunda, quia iam conſtat neceſsitas potentiæ realiter diſtinctæ.

Dicendum ſecundo. Facultas attractrix, retentrix alimenti cõmodi, & expultrix incommodi, eſt eadem realiter potentia, quæ propter diverſos modos, varias rationes ſubit. Ratio eſt, quia potentia loco motiva animalis attrahit, retinet, & expellit corpus aliud; ergo, &c. Confirmatur: nemo enim concedit magneti duas virtutes, ſed unicam reipſa ad attrahendum, & retinendum ferrum, ſicut nec cordi ad diverſos motus dilatationis, & contractionis.

Quæritur quarto. An potentia augmentativa ſubſtantialis & accidentalis à nutritiva realiter differat. Reſpondeo, probabile eſſe neutrum realiter diſtingui, nam potentia augmentativa ſubſtantialis, eſt, quæ coniungit materiam alimenti cum materia aliti, & partialem formam de novo productam cum forma exiſtente aliti, & augmentativa accidentalis, quæ coniungit quantitatem alimenti cum quantitate aliti; ſed utrumque præſtat potentia nutritiva; ergo ipſa eſt augmentativa ſubſtantialis, & accidentalis. Minor probatur, nam eadem cauſa formam producens producit diſpoſitiones intrinſece requiſitas ad illam, ut ignis, qui ignem generat, producit quoque ſiccitatem & calorem, quæ ſunt diſpoſitiones ad illum; atqui unio materiæ & quantitatis alimenti cum materia & quantitate aliti, ſunt diſpoſitio non minus quam aliæ ad nutritionem, quæ conſiſtit in introductione formæ viventis in materiam alimẽti iam unitam; ergo utrumque præſtabit nutritiva potentia. Iam vero eandem producere unionem partialis formæ denuo productæ cum forma viventis

ventis præexiſtenti,quis dubitet? cum eadem cauſa, quæ producit partes formæ, producat ipſas inter ſe unitas, & proinde poſsit earumdem unionem cum præexiſtentibus producere. Ita communiter recentiores.

Addam quod mihi in hac re nõ minus probabile videtur; poſſet enim quis exiſtimare potentiam nutritivam ſolum producere diſpoſitiones in materiam alimenti,iiſque productis cauſam primã iuxta naturæ exigentiam deſtruere ſuperficiem alimenti; id enim immediate nequit præſtare cauſa ſecunda, cum illam ſuperficiem ſola prima ſicut produxit, ita & conſervet per creationem, atque adeo ſola ipſa poteſt ſuſpendere ipſius conſervationem. Deinde eandem primam cauſam producere unionem utriuſque materiæ; ſicut enim ad illam ſpectat producere partes primi ſubiecti ſubſiſtentia, quod neceſſario ſupponit agens creatum,ita & partium illius unionem, vel unionem illam ex ipſis partibus materię iam diſpoſitę ad recipiendam eandem formam viventis reſultare; hoc enim nihil vetat in opinione aſſerente uniones partium materiæ non creari. Præterea unionem utriuſque quantitatis reſultare facta iam continuatione materiæ, ſicut ex tota materia, & partibus reſultavit initio creationis tota quantitas continua. Sic autem potentia nutritiva adhuc eſſet augmentativa, quia eſt cauſa productiva unionis novarum partium formæ, cum forma præexiſtente viventis, & facit maiorem eius ſubſtãtiam. Deinde,quia eſt quodammodo cauſa continuationis materiæ alimenti cum materia viventis,cum illa neceſſario ſequatur ob novas diſpoſitiones quas in materiam alimenti induxit, cumque eadem ratione ſit cauſa continuationis quantitatum alit & alimenti,ſimiliter denominari poteſt potentia augmentativa accidentalis.

Quæritur poſtremo,In qua parte viventis reſideat potentia nutritiva. Reſpondeo, in qualibet reſidere, quia vivens ſecundum omnem ſui partem nutritur & augetur,ut ſuo loco explicatum;ergo in illis omnibus ineſſe debet virtus nutritiva. Reſidet autem principaliter in iecore, ubi eſt virtus productiva ſanguinis. Tũ etiam hepati, à quo, venæ, quæ ſunt ſanguinis quaſi canales, diffunduntur in totum corpus.

DVBIVM V.

De potentia generativa, eius actu, & diſcrimine à nutritiva.

SErmo eſt de potentia proprie generativa,quæ inhæret vivẽti, & producit ſemen ex ſuperfluo alimento;non vero de illa quę in partibus ſubtilioribus ſeminis reſidet, & dici ſolet ſpiritus ſubplantatus, inſerviens ad membrorum organizationem, & concurrens ad actualem generationem;hæc enim ſicut re,& ſpecie diſcrepat ab illa(re quia eſt in ſubiecto realiter diſtincto,ſpecie, quia illa quæ inhæret viventi,eſt potentia vitalis, cum ſemen non actu, ſed poteſtate dumtaxat vivens ſit) ita & à nutritiva potentia;eſt ergo de generativa potentia vitali præſens ſermo.

Dico primo. Potentia generativa

tiva eſt facultas, qua ſubſtantia vivens aliam ſibi ſimilem producit. Liquet ex generationis viventium definitione, in primo dubio huius diſputationis tradita.

Dico ſecundo. Potentia nutritiva & generativa non differunt eſſentialiter in eodem vivente. Confirmatur primo authoritate Ariſtotelis, hic lib. 2. cap. 4. textu 42. dicentis, eandem eſſe vim nutriendi & generandi in anima: quo ſaltem ſignificat non differre eſſentialiter, id eſt tanquam duas potentias eſſentialiter, & adæquate inter ſeipſas diverſas. Secundo. Potentia generativa reſpicit totius viventis productionem, nutritiva productionem partium ſimilium his, quas vivens in prima generatione acquiſivit; ſed totum vivens, & partes ſimiles illi unitæ non differunt eſſentialiter; ergo neque iſtæ potentiæ.

Opponis. Potentia generandi, quæ eſt in viventi, non attingit ipſam totalem viventis generationem, ſed ſolum ſeminis productionem, ergo, &c. Reſpondeo, in matre non ita eſſe, nam cum eius generativa potentia præſens ſit, poteſt etiam concurrere, ac proinde cum in utroque parente generativa potentia ſit eiuſdem rationis, ſicut illa ordinatur ad generationem, ita & iſta. Adde, potentiam generandi non producere ſemen propter ſeipſum, ſed propter generationem ad quam ordinatur.

Dico tertio. Potentia generativa & nutritiva nec realiter differunt in eodem viventi, tum quia ſatis inſinuat proximum Ariſtotelis teſtimonium, tum quia nulla eſt neceſsitas illas in eodem viventi realiter diſtinguêdi, cum natura ſua eadem facultas actus nutriendi, & generandi elicere poſsit; ſicut enim eadem nutritiva virtus poteſt ex eodem alimento pro quibuſdam corporis partibus nutriendis efficere ſanguinem, pro aliis, nempe oſsibus, medullam, & in mamillis pro nutriêdo fœtu iam generato, lac, ut omnes admittunt; ita eadem virtus nutritiva poterit ex eodem ſanguine conficere in alia parte corporis determinata, ſem en pro generando fœtu; nulla enim apparet diſcriminis ratio.

Oppones. Potentia nutritiva fuſa eſt toto corpore, generativa reſidet in partibus determinatis, ubi tantum ſemen elaborat; illa reperitur in omni vivête, nullum enim caret nutriendi facultate, ſecus vero iſta; ſunt enim aliqua viventia, quæ natura ſua carent facultate generandi ſemen, ut nonnulli vermiculi; ergo iſtæ ſunt duæ potentiæ realiter diverſæ. Negatur conſecutio. Primo, quia potentia generativa etiam eſt diffuſa toto corpore, quamvis non niſi in certa illius parte ſemen efformet, in qua ſcilicet diſpoſitiones & organa ad id apta reſident, ſicut ipſa potentia nutritiva fuſa eſt etiam toto corpore, quamvis non niſi in certa parte ſanguinem generet, nimirum in iecore. Deinde, quia quod in aliquibus viventibus reperiatur vis nutritiva ſine generativa, ſolum concludit in diverſis viventibus diſtingui realiter, non tamen in eodem, quod & nutrire & generari poteſt. Nam ſimiliter vis nutritiva in fœmina tantum lac generat, & non in mare, & tamen in utroque eſt eadem ſpecie, & in ſingulis una numero.

Dico quarto. Sicut potentia nutritiva ſub ea formalitate duos

quaſi actus præcipuos habet, unū, quo generat ſanguinem, & alios humores, quorū ſanguis eſt immediata materia, & alij inſtrumenta nutritionis; alterumque, quo producit ſubſtantiam partialem viventem: ita potentia generativa ſub ea formalitate duos alios præcipuos præſtat, unum producendi ſemen, quod partim eſt materia, partim inſtrumentum generationis viventis; alterum formandi & producendi totum vivens. Horum prior fit in certis partibus & nervis tendentibus ad vaſa ſeminalia, & ordinatur ad ſecundum, ſecundus vero eſt finis prioris, & longe nobilior, de quo diximus tractatu de generatione.

Quæres, quo ordine fiat generatio & formatio viventis, id eſt quæ viventis pars, aut partes primo, & quæ deinceps formentur, & animentur. Hac in re quot capita, tot ſententiæ; alij caput, alij cor, alij hepar, alij pollicem, alij ſpinam, velut carinam in navi, primo formari volūt. Valde probabilis videtur ſententia Hippocratis, & recentium medicorum, quos ſequitur Hurtadus de ortu, diſput. 2. §. 97. omnes partes, ſaltem præcipuas, diſponi ſimul, formari, & animari; quia aliæ ab aliis quibus ad ſui egent conſervationem, dependent, & fortaſsis ideo non poteſt in quavis parva quantitate gigni, quia in tot mēbris & organis viventi neceſſariis, materia minime ſufficeret. Si vero cor, vel hepar primo gigneretur, cum homogenea ſint, poſſent in minima quantitate incipere, & hoc etiam ſuo modo locum habet in generatione plantarum.

Ex dictis deducitur primo, Actum augmentationis ſubſtantialis, qui eſt unitio partialis formæ cum forma præexiſtente viventis, eſſe vitalem, ſicut & productio partialis formæ unitæ; ſiquidem vere eſt motus viventis ab intrinſeco in ſtatu naturali poſiti.

Deducitur ſecundo. Motum augmentationis ſubſtantialis, qui eſt continuatio materiæ alimenti cum materia aliti, non eſſe vitalem, quia iuxta opinionem probabilem, quā proximo dubio indicavi, & in quam maxime propendeo, fit à Deo agente extrinſeco, vel reſultat ex partibus materiæ alimenti privatis proprio termino intrinſeco, nempe ſuperficie terminante, & eius loco acquirere contendentibus terminum continuativum, ut ſtatum connaturalem aſſequatur.

Deducitur tertio, Motū augmentationis accidentalis non eſſe vitalem; iſte enim conſiſtit in continuatione quantitatis alimenti & aliti, ſed ea continuatio, ut indicatum, reſultat à materia aliti, & alimenti continuata, aſpirante ad ſuum ſtatum naturalem, qui requirit continuationem utriuſque quantitatis, cum materiæ continuæ continua quantitas debeatur; ergo, &c.

Quod ſi omnis augmentatio, & accretio viventis fiat à potentia nutritiva, ut probabile duximus, adhuc tenent quidam Neoterici eſſe actus vitales, quod non difficile ſuſtineri poteſt, ſi quę de actu nutritionis, & motus progreſsivi animalis ſuperius dicta, expendantur.

***

CAPVT V.

D*Eterminatis autem his, &c.* Potētia vegetativa enodata ad ſenſitivam, quæ ſecundo loco ſe offert, gradum facit; hæc enim poſt vegetativam communior eſt. In hoc ergo capite circa ſenſum in communi duo potiſsimum docere intendit. Alterum eſt ſenſitivam potentiam eſſe paſſivam. Alterum eſt, quid ſit id quod potentiam ſenſitivam ducat ad actum & in ipſam agat.

Ad primam deveniens Philoſophus partem, docet *ſentire eſſe quoddam pati.* Aſsignat diſcrimen inter vegetativas, & ſenſitivas potentias in hoc, quod illæ in ſua agunt obiecta, nec per ſe ab eis patiuntur; iſtæ vero è converſo à ſuis obiectis patiuntur: non enim viſus in colorem, ſed potius color in viſum agit, & odor in olfactum, ſenſibileque in ſenſum.

Habet autem is locus dubitationem, &c. Deinde ut propoſitam quæſtionem diluat, duas proponit dubitationes. Prima, quare ſenſus non ſentiat ſeipſum. Secunda, cur tactus habens ſe in elementa (intellige virtute & per ſuas qualitates) non ſentiat ſuas qualitates, ut nervus ſuum calorem, & frigiditatem, ſed tantum alias extrinſecas. Ambas dubitationes diluit ex dictis, quia cum ſenſus ſit potentia paſsiva opus eſt ab alio in actum reducatur, ubi Philoſophus non intendit negare idem nequire agere in ſeipſum actione perfectiva; ſed oſtendere id peculiare eſſe in ſenſu, qui debet ab alio reduci ad actum, nam eget ſpecie ſenſibili, quæ ab obiecto ſenſibili producitur. Secundo id ſuadet, quia ſenſus non eſt activa potentia, ſed indiget mutari ab alio; ſi enim activa eſſet, utique ſe ſentiret: ſicut lignum non ſe comburit, quia in potētia paſsiva eſt; ſi autem activam potentiam haberet, utique ſe combureret, etiā non exiſtente igne externo.

Dubitabis fortaſſe contra hanc rationem. Ignis habet potentiam combuſtivam, & non ſeipſum cōburit; ergo Ariſtoteles non recte colligit lignum ſeipſum combuſturum, ſi combuſtivam obtineret potentiam. Reſponde, Philoſophum ſupponere ſenſationem eſſe actionem immanentem, & ita ait, ſi lignum obtineret potētiam combuſtivam, ſicut ſenſus illam haberet, id eſt ſi eſſet potentia activa per actionem immanentem, ſequeretur ſeipſum combuſturum, ignis autem dumtaxat eſt combuſtivus actione tranſeunte.

Dubitabis fortaſſe iterum. Videtur enim tactus ſentire ſuas qualitates: ſentit enim infirmus ſuæ febris ardorem. Reſponde cū Philopono, tactum non ſentire calorem ſuum, ſed ſanguinis, & aliorum humorum ferventium, qui ſuo calore agunt in nervos, ubi tactus eſt. Similiter pars bene habens, ſentit affectionem alterius male habentis. Vnde cum febris eſt in ipſa carne, & nervis, non ſentitur, & hæc peſsima eſt, qualis eſt hectica.

At vero quoniam, &c. Priuſquam declaret quomodo ſenſus de potentia ad actū prodeat, docet ſenſum interdum eſſe in potentia, alias in actu. In actu eſt, cum actu operatur; in potentia cum nullam functionem exercet, exercere tamen poteſt, ut liquet in dormiente, qui facultate videndi pollet; nec

nec tamen actu videt. Deinde docet bifariam aliquid dici eſſe in potentia. Vno modo, quia eſt in potentia remota; altero quia eſt in potentia proxima. Verbi gratia, diximus hominem eſſe ſcientem in potentia remota, dum caret habitu ſcientiæ, quem tamen poteſt acquirere cum ſuapte natura ſit diſciplinæ capax. Eundem vero dicimus eſſe ſcientem, ſeu contemplantem potentia proxima cum iam obtinuit habitum ſcientiæ, nec tamen per eum agit, quia tunc ſcientiæ habitum non exercet; quẽ tamen cum libuerit, exercere valet, niſi impedimentum aliquod ſit, ut morbus, aut aliarum rerum cura, & occupatio.

Hæc enim ita ſint, &c. In ſecunda capitis parte explicat iam quid ſit id quod ſenſitivum ad actum reducit. Ad cuius intelligentiam obſervare oportet, ſenſitivum in potentia remota eſſe id, quod caret anima, atque adeo & ſenſu, & tamen recipere hæc poteſt, ut ſemen. Senſitivum vero in potẽtia proxima eſſe, quod & anima, & ſenſu præditum eſt. Ait ergo Philoſophus, id, quod reducit ſenſitivum de potentia remota ad actum, eſſe generans, ſeu producens animam, id enim ſimul attribuit genito potentias ad functiones obeundas: quemadmodum Is, qui docet, confert ſuo modo habitum ſcientiæ in mentem diſcipuli. Eſt enim ſenſus ſimilis habitui ſcientiæ, quemadmodum actus ſentiendi actui contemplandi. Hic obſerva, generans eatenus dici contribuere proli potentias, quatenus ei confert animam, à qua illæ manant. Vnde cũ is, qui hominem generat, nõ producat animam, ſed dumtaxat eius unionem cum materia attingat, non dicetur ei conferre potentias, niſi diſpoſitive, quatenus præparat materiam in quam Deus animam infundit.

Differentia tamen eſt, &c. Id quod ſenſum ad actum ſentiendi movet, eſt ſenſibile: quemadmodum & id quod intellectum ad cõtemplationem excitat eſt intelligibile. Eſt tamen inquit Ariſtoteles diverſitas inter obiectum ſenſus, & obiectum intellectus, eo quod obiectum ſenſus eſt aliquid ſingulare extra animam exiſtẽs: obiectum vero intellectus univerſale, quod eſt intra animam per ſuã ſpeciem; & hinc eſt, ait Philoſophus, quod intelligimus cum volumus, quia intellectus habet intra ſe ſuum obiectum, non tamen ſentimus cum volumus: quia tametſi ſenſus etiam habeat obiectum intra ſe mediante ſpecie, ſicut intellectus (habet enim ſpeciem illius) tamen ſenſus requirit præſentiam obiecti: color enim non poteſt videri, niſi præſens; intellectus vero nõ requirit præſentiam realem ſui obiecti: poteſt enim cognoſcere rem abſentem, & ita ait aſſimilatur ſenſus ſcientiis ſenſibilium, id eſt artibus mechanicis, ut interpretatur Philoponus, & Themiſtius; iſtæ enim non operãtur niſi circa obiectum præſens, quia verſantur circa ſingularia præſentia.

CAPVT VI.

VT *vero de unoquoque, &c.* Agit in præſenti de ſenſibili generatim accepto, quod eſt obiectum ſenſus in communi, quẽ ſuperiori capite explicuerat. Caput hoc, quia breve, nõ eget parti-

titione. Diſtribuit ergo ſenſibile in per ſe; & per accidens. Per ſe dicit eſſe quod per ſe immutat potentiam & ab ipſa percipitur, ut color reſpectu viſus. Per accidens quod nec per ſe illam immutat, nec percipitur, ſed ratione ſenſibilis per ſe, cui eſt coniunctum, ut ſubſtantia quæ ſolum ſentitur ratione accidentium ſenſibilium quibus imbuta eſt; videtur enim in quantum eſt affecta colore, & tangitur in quantum calida vel frigida. Rurſus ſenſibile per ſe diſpergit in proprium, id eſt quod uno tantum ſenſu percipitur; ut color à viſu; & in cōmune, quod à pluribus, ut quantitas & figura. Et hæc ſenſibilia communia docet eſſe quinque, nempe quantitatem, figuram, numerum, motum, & quietem. Concludit aſsignando diſcrimen inter ſenſibile commune, & proprium in ordine ad ſenſum, quod ſenſus non fallitur circa ſenſibile proprium, ut viſus circa colorem; poteſt tamen falli circa ſenſibile commune, nempe circa quantitatem.

DISPVTATIO QVINTA,

De ſenſu externo, & potentia cognoſcitiva materiali.

De potentiis internis ad externas deſcendimus; à ſenſu immateriali ad materialem diſcurrimus; à cognoſcente interno ad externum devenimus; non ſatis namque ſuperque fuit interiores animi penetrare receſſus, ſed opus quandoque ad exteriores evolare.

DVBIVM I.

De eſſentia, diviſione ſenſus incommuni, eiuſque ſenſorio, & actu.

Definitur ab Hurtado ſenſus incommuni, *Potentia, quæ efficit ſimul, & recipit cognitionem materialem.* Concinnius ab aliis, *Potentia vitalis cognoſcitiva materialis. Vitalis* eam ſecernit à non vitali; *Cognoſcitiva* ab utroque appetitu; *Materialis* ab intellectu.

Dividitur ſenſus in internum, & externum. Internus eſt, qui petit & habet ſedem in partibus internis animalis, ut phantaſia; externus vero, qui ſedem habet in partibus externis, ut oculus, licet eam aliquis non recuſet, etiam in partibus internis, ut tactus, qui non ſolum extimam cutem, ſed & interiora animalis occupat: aut etiam dici poteſt externus, quia pendet ab obiecto externo præſenti, ut exponetur inferius.

Hæc varietas ſenſus interni & externi reperitur non ſolum in homi-

homine, ſed etiam in brutis, quia omne animal habet ſaltem ſenſum externum tactus, & eſt capax doloris, ubi autem dolor eſt, ibi eſt imaginatio, quę eſt ſenſus internus.

Quæri ſolet, an ſenſus hominis & bruti ſpecie diſtinguantur. Reſpondeo, non diſtingui. Primo, quia in homine & leone viſus, exempli cauſa, reſpicit idem obiectum, colorem, ac lucem, & eodem modo in illud tendit; nulla enim differentia cum fundamento cogitari poteſt; ergo in utroque eſt eiuſdem rationis, atque adeo cæteris ſenſibus ob ſimilem rationem. Secundo, iſti ſenſus nō ſequuntur naturam diverſorum animalium, ut eſſentialiter diſsimiles, ſed ut convenientes in gradu ſentiendi; ergo non differunt ſpecie; nullum enim aliud fundamentum ſupereſt, quo diſtinctionem ſpecificam liceat ſuſpicari. Eſt exemplum appoſitum ad confirmationem in ſententia ſatis communi, materiam cœleſtē, & ſublunarem ſpecie diſtinctam, non tamen utriuſque quantitatem.

Qui cum Hurtado negant potentias accidentales, cum ſenſus componant ex anima eliciente, & materia ſenſationem recipiente, neceſſario in homine & bruto ratione animæ illos ſpecie diſtinguunt. Quamquam ſicuti principium calefaciendi in ſole & igne formaliter ſumptum non differt ſpecie, quia utrobique ſumitur, ut eundem ſpecie calorem continens, ſicut dixi in Phyſic. tract. 5. diſp. 1. dub. 8. ita hic dicere quis poſſet ob ſimilem rationem, principium videndi in homine & bruto ſpectatum formaliter non diſſidere ſpecie, quia utrobique continet eandem ſpecie viſionem, & eodem modo.

Cuique ſenſui eſt à natura ſenſorium tributum, ut liquidū erit, quod nihil aliud eſt, quam organum, ſeu apparatus quidam inſerviens ad actum ſenſationis eliciendum, ut in auditu membrana quędam inſtar tympani, in intimo aurium receſſu, & iuxta illam nativus aër.

Actum ſenſus in communi, qui ſenſatio, aut ſenſio dicitur, definiri poſſumus: *Notitia obiecti vitalis & corporea.* Primo, *Notitia* idem valet ac expreſsio, & repræſentatio formalis; non enim eſt virtualis tantum, ſicut ſpecies ſenſibilis impreſſa, quę par hunc actū ſecernit ab actu appetitionis materialis. Secundo, *Vitalis* ut oſtendat actum ſenſus non conſiſtere in ſola qualitate, ſed etiam in actione, ipſiuſque receptione; id enim omne eſt de ratione omnis actus vitalis, ut iam conſtat. Tertio. *Corporea* ut diſtinguat ab actu intellectus.

DVBIVM II.

Dentur ne in ſenſibus impreſſæ ſpecies.

Species hic idem ſonat ac repræſentatio. Duplex eſt, expreſſa una, & altera impreſſa. Expreſſa eſt formalis imago, ſeu actualis obiecti repræſentatio impreſſa, imago ſolum, & repræſentatio virtualis, eſtque qualitas quædam ab obiecto ſui loco tranſmiſſa, ut cum potentia formalem repræſentationem efficiat. Impreſſa dicitur, non ſolum quia ab obiecto imprimitur potentię, quæ

quaſi anulo quodam obiecti conſignatur, ſed etiam, & præcipue, ut diſtinguatur ab ipſa cognitione, quæ eſt expreſſa ſpecies, & formalis repręſentatio obiecti.

Plerique nominalium, Durandus, Valleſius, & alij, ſpecies omnino de medio ſubſtulerunt. Primo. Nā Angelus ſine ſpecie cognoſcit ſeipſum; ergo cętera obiecta; ergo ſenſus ſua. Nego conſequentias; quia Angelus eſt pręſens ſuo intellectui, non aliis obiectis, neq; ſenſus ſuis.

Secundo. Intellectus Beati ſine ſpecie videt Deum; ergo & alia obiecta, & ſenſus ſua. Dato antecedenti, nego conſequentias: quia intellectus Beati habet Dei eſſentiam intime præſentem; non cætera obiecta, nec ſenſus propria.

Tertio. Quia ignis natura ſua calefactivus ſine ulla virtute ſuperaddita calefacit lignum appli catum intra ſuam ſphæram; ergo & potētia cognoſcitiva ſine ſpecie ſuperaddita formabit cognitionem ſui obiecti intra ſphęram poſiti; idque ita experimur, nam poſito obiecto ſenſibili intra ſphęram, & omni impedimento ſublato, continuo ſenſus efficit ſenſationem. Nego conſequentiam. Apertum enim eſt diſcrimen inter potentiam calefactivam, & cognoſcitivam; hæc enim requirit concurſum effectivum obiecti, circa quod verſatur, vel alicuius quod ipſius vicem gerat, quia elicit operationem, quæ eſt obiecti ſimilitudo; calefactiva autem non requirit concurſum termini, aut materiæ circa quam verſatur in genere cauſæ efficientis ob longe diverſam rationem tendendi.

Ita D. Tho. 1.p.q.55.ar. 2. & ſapiw.

Dicendum eſt dari ſpecies impreſſas ſenſibiles. Sic Ariſtoteles lib. 2. à cap. 5. docens, textu 66, obiectum viſibile mutando me- dium, & rurſus per medium immutando ſenſum efficere ſenſationem; unde conſequenter ait, ſi inter obiectum & ſenſum eſſet vacuum, non fore ſenſationem, & alia multa docet in hanc ſententiam.

Thomiſtæ, omnes, & Mol. 1.p.q.10.ar. 2.diſp 1. Suarez 1.p.tractat.1.lib.2. paſſim ut etiam in Met. Vazq.1.par. diſp. 200.c. 3. Hurtadus diſp.12.ſect. 1. Conimbr. Tolenſes, Rubius. Murtia, & plerique hoc loco.

Probatur primo. Senſus ex ſe eſt indifferens ad repræſentationem formalem huius obiecti potius, quam illius, determinatur autem ab obiecto propoſito, ut liquet experientia; ſed obiectum ſæpe aut eſt diſtans, aut improportionatum; ergo neceſſe eſt immittat per medium in potētiam aliquod accidens, ut illam ſui loco determinet, concurrendo ad formalem repræſentationem eliciendam; id autem vocamus ſpeciem impreſſam.

Dices primo, lucis partem, quæ oculos tangit, concurrere. Contra primo, quia ſæpe ad oculum nulla venit lux, & videtur obiectum: ut cum ex loco tenebroſo proſpicitur lucerna longiſſime diſtans. Secundo, quia in obiecto auditus, & olfactus, & quod magis urget, imaginationis cognoſcentis rem, quæ nullibi eſt, reſponſio non habet locum. Tertio, color non effunditur per aërem in potentiam, nec ſola lux poteſt efficere viſionem coloris. Quarto, lux oculos tangens ea parte non videtur, ergo non concurrit ad viſionem ut obiectum, alias non poſſet non videri.

Dices ſecundo. Solam præſentiam obiecti exiſtentis intra ſphęram determinare ſenſum. Contra tamen primo, nam ſæpe phantaſia cognoſcit obiectum nullibi exiſtens; ergo tunc determinatio ab ſpecie, non à præſentia obiecti provenit. Secundo, ſi ſola præ-

ſentia

ſentia obiecti ſufficeret ſine tranſmiſsione alicuius qualitatis in ſenſum, ſenſus tam perciperet obiectum proximum, quam diſtans, ſicut voluntas, quæ quia nihil accipit ab obiecto, eodem modo fertur in illud, ſive propinquum, ſive diſtans. Vnde

Secundo probatur. Nam oculus, exempli cauſa, minus perfecte videt obiectum lõgiſsime diſſitum, quam ſitum in mediocri diſtantia & proportione; ſed nulla eſt alia cauſa, niſi quia obiectum producens in medio ſpeciem, & inde in potentia agit fortius in propinquum quam in diſtans, igitur datur ſpecies impreſſa.

Tertio. Oculus neque ſe, neque faciem in qua eſt, neque obiectū retro poſitum videt, ſi vero obiiciatur ſpeculum, videt ea omnia, quod non aliunde provenit, niſi quia illius obiectum tantum producit ſpeciem per lineam rectam, & eas tunc illa in ſpeculum directe effundunt, & ſpeculum refundit in oculum, qui eis informatus ſe faciem & obiectum retro intuetur.

Quarto. Si inter oculum & obiectum in accommoda diſtantia poſitum interiiciatur corpus opacum, non videtur, ſi diaphanum, videtur; ſed id non evenit aliunde, niſi quia opacum impedit trãſmiſsionem ſpeciei impreſſæ impotentiam ab obiecto, ſicut & lucis à ſole, non vero diaphanum; ergo obiectum traiicit in oculos qualitatem activam viſionis.

Quinto. Quod unus in ſpiciliis iuvetur ad inſpiciendum, alius impediatur: quod item in ſpicilia huius vel illius denſitatis, & plus minuſve concava; (in quorũ proinde centro plus uniantur ſpecies vehementioreſque ſint, ſicut radij ſolares in ſpeculo concavo) quibuſdam ſint idonea ad videndum pro qualitate ſuæ potentiæ, & diſpoſitione organi viſus, aliis minime, unde oriatur niſi quia inter potentiam & ſpeciem impreſſam requiritur quædam proportio & in ſpicilia pro diverſitate ſua ſpeciem ab obiecto miſſam traiiciunt uni potẽtię pro ſua debilitate accommodata, non alteri. Denique. Idem docent variæ apparitiones & effectus, quorum facilis eſt ratio in perſpectiva poſitis ſpeciebus, difficilis vero ſublatis; cur enim remus in aquam immerſus apparet fractus, aut obliquus cum integer ſit & rectus, niſi quia ſpecies partis ſuper aquã extantis per diverſam lineam effunduntur ab ea per quam tranſiiciuntur ſpecies partis immerſæ, unde non tam unam quam duas virgas videntur repręſentare. Cur etiam cum quis unam tantum lucernam intuetur plures ipſi apparent, ſi oculum palpebra aliquantulum obtegat, profecto, quia non continuantur ſpecies, ſed in diverſas partes pupillę diviſæ recipiuntur. Vnde & ſpecies receptæ in parte ſuperiori repręſentant lucernã ſuperiorem. An vero in omni ſenſu ſint ſpecies impreſſę conſtituendæ, dicetur cum de ſingulis erit ſermo.

DVBIVM III.

Quid, & qualis ſit ſpecies impreſſa ſenſibilis.

Dico primo. Species impreſſa ſenſibilis non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Primo, quia ſpecies ſenſibilis ſenſus externi pro-

producitur ab obiecto,quod ſemper eſt accidens, ut color, ſonus, odor,&c. & inhæret potentiæ,ut inferius dicetur; ergo eſt accidens. Secundo, quia ſi eſſet ſubſtătia,vel eſſet ſpiritalis,vel corporea:non primum,quia pendet à ſubiecto,& obiecto materiali:nec ſecundum, quia haberet quantitatem,ſicut quodvis corpus ſubſtantiale,atque adeo non poſſent ſpecies diverſorum obiectorum eſſe ſimul in eodem medio, neque in eadem potentia, imo neque una ſola ſpecies poſſet recipi in profunditate potentiæ, quia deberet dari penetratio duorum corporum naturaliter impoſsibilis.

Dico ſecundo.Species impreſſa ſenſibilis eſt *qualitas loco obiecti determinans ſenſum ad actum cognitionis.* Primo dicitur *Qualitas*, tum quia non apparet quid aliud ſit; tum quia eſt capax intenſionis & remiſsionis,& pertinet ad primam ſpeciem qualitatis,ut tract.3.Logicæ,diſput.7 dub.6.dictum. Secundo *Loco obiecti*, quia ut vicem obiecti gerat potentiæ imprimitur. Tertio *Determinans*, quia potentia cognoſcitiva ad repræſentationem huius obiecti prius quă illius ,ad quod per ſe eſt indifferens, per ſpeciem determinatur. Quo autem genere cauſæ determinatio fiat,dicetur. Quarto *Senſum*,ut diſtinguat ſpeciem ſenſibilem ab intellectuali. Quinto *Ad actum cognitionis*, prout eſt huius obiecti & nõ alterius;ad id enim requiritur ut ex diſputatis notum. Hinc colligitur ſpeciem in communi ſic definiri. *Qualitas loco obiecti determinans potentiam cognoſcitivam ad cognitionis actum.*

Dico tertio. Species ſenſibilis, ſicut & quælibet alia non eſt eiuſdem rationis cum ſuo obiecto.Ita communis ſententia contra Durandum, & Valleſium aſſerentes, ſi detur ſpecies impreſſæ fore eiuſdem rationis cum obiecto.Probatur concluſio primo. Species albedinis & nigredinis valde intenſæ ſunt ſimul in eodem ſubiecto, nempe in medio,& potentia; ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei cum albedine & nigredine, quæ ſunt contrariæ. Secundo, ſpecies hominis non eſt homo, neque ſpecies montis mons, alias qui videt montem in oculo ineſſe realiter geſtaret. Tertio, ſi ſpecies albedinis eſſet albedo diffuſa per aërem, illum redderet album, ſicut lux diffuſa lucidum, unde totus aër inter potentiam & obiectum intermedius oculis albicaret,ſicut & intermedius inter eandem & corpus lucidum micat. Quarto,Species obiecti ſenſibilis non eſt ſenſibilis ſicut obiectum, ergo eſt diverſæ rationis. Antecedens deducitur primo,quia ſpecies exempli cauſa parietis albi in ſpeculo non videtur;videretur enim in eodem loco,ac diſtantia, qua ſpeculum, cum in ipſo exiſtat,experimur autem id quod videtur in maiori diſtantia apparere. Secundo,ſi ipſa cerneretur,videremus eam, ex quacumque parte ſpeculum videmus, ſicut effigiem depictam in linteo, ex quacumque parte lintei ſuperficiem videmus, oppoſitum vero experientia docet;nam obiectum illud non videtur in ſpeculo niſi oculus ſit rectus puncto reflexionis obiecti viſi ſupra ſpeculum, ergo ſpecies obiecti non videtur, nec ſentitur.

Oppones primo, Divum Thomam in 3.diſtinct.14.quæſt.1.art. 1.quæſtiuncula 4. ad 2. & 1. par. quæſt.12.art.9.aſſerentem in ſpeculo

culo videri ſpeciem, exempli cauſa, Petri à tergo poſiti. Secundo. Si radij ſolares feriãt vitrum viride, idem color apparet in pariete, & corporibus vicinis, qui color nequit eſſe aliud, niſi ſpecies coloris viridis ab eo per reflexionem impreſſæ in pariete, cęteriſque corporibus; ergo ſpecies illa videtur ſicut color, atque adeo eſt eiuſdem rationis. Reſpondetur ad primum, D. Thomam ſolum dixiſſe, ibi videri ſpeculum, & id quod in eo apparet, non tamen ſpeciei meminiſſe. Ad ſecundum, tunc non produci in pariete verum colorem, neque ſpeciem illius eſſe quod videtur, ſed lucem, quæ à vitro viridi reflexa & pertingens ad parietem apparet illius coloris, licet lux omni vero colore careat, quemadmodum aliquando ob diverſos aſpectus lucis, idem color varius apparet, ut experimento conſtat, ſi viſio fiat per vitrum denſum triangulare; tunc enim varij cernuntur colores, qui nulli ſunt, nec ſpecies coloris, cum nulli adunt reales à quibus alij veri, vel ſpecies eorum producantur, ſunt itaque partes ſplendoris, quibus res illuſtrantur, quæ partes luminis propter refractionem tales apparent, neque enim alia cauſa poteſt afferri.

Dico quarto, ſpecies impreſſa ſenſibilis eſt imperfectior obiecto: nam ab eo producitur ut cauſa principali; nõ enim alia poteſt deſignari; ſed non eſt cauſa univoca, ſed æquivoca; ergo perfectior ſua ſpecie. Cõfirmatur, quia ſæpe obiectum non poteſt producere ſui ſimile, & æquale, ut albedo albedinem, & poteſt producere ſpeciem ſui impreſſam, ergo, &c.

Dico quinto. Species hęc eſt imperfectior actu cognitionis quem producit, & ab eo ſpeciem ſumit, non ſine ordine ad obiectum. Primum patet, quia cognitio eſt qualitas vitalis, ſpecies vero impreſſa qualitas mortua, qualitas autem corporea non vitalis imperfectior eſt qualitate corporea vitali. Item hæc datur propter illam, non è converſo. Secundum, quia tota eſſentia ſpeciei eſt eſſe virtutem productivam cognitionis; ergo ab ea ſpeciem ſumit, & conſequenter etiam ab obiecto: ſicut potentiæ vitales ſpecificantur ab obiecto per actum, vel ab actu cum ordine ad obiectum.

Dico Sexto. Species impreſſa ſenſibilis non eſt actualis repræſentatio obiecti, ſed virtualis, id eſt virtus productiva repræſentationis. Probatur primo, ex Auguſtino 1. de Trinitate, cap. 3. ubi ſpeciem vocat ſemen obiecti; ſemen autem non eſt formalis imago rei quam poteſt producere, ſed ſolum virtualis. Secundo, In aëre datur ſpecies coloris, & non actualis expreſsio. Imo in oculo aliquando reperitur ſpecies impreſſa, nec tamen actualis imago, quia non videt reſpectu attentionis animæ. Tertio, quia alioqui ſpecies impreſſa & expreſſa non diſtinguerentur eſſentialiter.

Obiicies. Impreſſa datur ad repræſentandum, ergo eſt actualis repræſentatio. Diſtinguo antecedens, ad repræſentandum effective, id eſt ad efficiendam formalem obiecti repręſentationẽ, concedo, aliter nego. Neque inde inferas potentiam dici etiam poſſe virtualem imaginem & ſimilitudinem obiecti, cum etiam producat illius formalem repræſentationem. Nam ſpecies eſt determinata

minata ad actum peculiaris obiecti, cuius vices gerit. At potentia ex ſe indifferens ad varios actus & obiecta, niſi per ſpecies determinetur: quare potiori iure ſpecies impreſſa ſui obiecti virtualis imago, quam potentia appellari debet.

Dico ultimo. Hæc ſpecies non ſolum formaliter, ſed neque virtualiter habet in ſe rationem imaginis realis. Nam hæc aut convenit cum prototypo in aliquibus qualitatibus, ut colore, figura, &c. ut effigies Petri cum Petro; aut in natura ſpecifica, ut Filius cum Patre; at ſpecies impreſſa nec habet talem convenientiam cum obiecto, nec eſt productiva actus talem habentis cõvenientiam, nam cognitio diverſæ rationis eſt ab obiecto ſuo. Deinde eiuſmodi imago non facit cognoſcere aliud, cuius eſt imago, niſi prius cognita, at ſpecies impreſſa ſenſibilis incognita facit cognitionem obiecti. Id valde notandum eſt ad eludenda varia argumenta, quæ hic & in materia de viſione ſolent aliqui ab imagine petere.

DVBIVM IIII.

De extenſione ſpeciei ſenſibilis expreſſæ.

Dicendum primo. Species impreſſa obiecti ſenſibilis extenſi habet extẽſionem ſubiectivam, id eſt tot partes & indiviſibilia quot habet ſubiectum in quo recipitur. Patet ex ſæpe dictis de propoſitione formæ inhærentis cum ſubiecto.

Opponis. Licet id ſit verum de ſpecie recepta in medio, non tamen de ea quę recipitur in potentia ſaltem videndi, quia ſpecies viſibilis recipitur ubi fit viſio, ſed hæc fit in puncto, ſeu centro pupillæ tantum; ergo, &c. Nego minorem; fit enim in parte extenſa oculi, idemque à fortiori eſt de reliquis ſenſibus.

Dicendum ſecundo. Species impreſſa obiecti ſenſibilis extẽſi habet quoque extenſionem obiectivam. Exempli cauſa in ſpecie impreſſa albedinis Petri datur una pars, quæ repręſentat unam partem albedinis illius, & alia aliã. Probatur primo. Plura obiecta totalia requirunt plures ſpecies totales numero diverſas; ergo plura partialia plures partiales diverſas numero. Secundo. Plures partes obiecti nequeunt repræſentari per eandem partem ſpeciei, ergo ſingulis partibus obiecti, ſingulæ partes obiectivæ in ſpecie reſpondent quando tota eius extenſio repræſentatur. Antecedens patet, nam cum primũ Sol incipit apparere in noſtro hemiſphærio per ſpeciem productam à prima parte, non videntur reliquæ adhuc oculis latentes, bene vero poſtea cum ſingulæ partes ſpeciei ſibi reſpondentes producuntur. Hinc

Dicendum tertio. In qualibet parte ſubiecti in qua recipitur pars extenſionis ſpeciei ſenſibilis obiecti extenſi, ſunt tot partes & indiviſibilia ſpeciei, quot ſunt partes & indiviſibilia extenſionis in obiecto. Suadetur, nam ex quavis parte medij cernitur totum obiectum, ergo in quavis parte producit virtutem ſuarum partium repræſentatricem, ac proinde habeotem tot partes & indiviſibilia, quot in ſe habet extenſio obiecti. Confirmatur, nam ex qua-

Ita communiter contra Conimbr. & Toletum recentiores tenent.

quacũque parte eliciatur ſpecies expreſſa, formaliter repræſentans obiectum, habet tot partes, quot obiectum formaliter repræſentatum, ergo etiam ſpecies impreſſa virtualiter repræſentans obiectũ, in quacumque parte recipiatur, tot partes habebit quot ipſummet virtualiter repræſentatum.

Opponis. Quęvis pars lucis, quę eſt in medio producitur à toto luminoſo, & à ſingulis eius partibus, ergo quælibet pars ſpeciei producetur à toto obiecto, & ſingulis illius partibus; ergo quælibet pars ſpeciei totum obiectum repręſentabit. Vnde opus non erit in quavis parte ſubiecti tot partes extenſionis, quot ſunt in obiecto multiplicare. Negatur conſequentia. Diſcrimen eſt aperta concluſionis confirmatio: quia lux ſive ab una parte, ſive ab omnibus producatur, eſt prorſus eiuſdem rationis, & muneris, non autem ſpecies, quę cum ſit ſemen ſui obiecti eſt diverſa pro diverſitate totalium, aut partialium obiectorum, & non repręſentat per ſe niſi illud à quo producitur, & ubi producitur.

Dicendum quarto. In ſpecie impreſſa ſenſibili duo ſunt genera indiviſibilium extenſionis, unum continuãs partes extenſionis ſubiectivæ, alterum copulans partes extenſionis obiectivæ, quia utraque extenſio componit eandem ſpeciem: ergo utriuſque partis continuæ inter ſe ſunt; ergo mediis indiviſibilibus.

Dicendum quinto. Indiviſibilia extenſionis ſubiectivę inhærent indiviſibilibus ſubiecti. Indiviſibilia extenſionis obiectivæ in toto ſubiecto, & in qualibet eius parte. Ita recẽtiores. Primum conſtat, quia indiviſibilia extenſionis ſubiectivæ, educuntur ex indiviſibilibus ſubiecti, ergo illis inhæret. Secundum probatur, quia extenſio obiectiva eſt in toto ſubiecto & in quavis eius parte ut vidimus: ſed ubique eſt continuata ſuis indiviſibilibus: ergo hæc diſperſa ſunt per totum ſubiectum, & ſingulas eius partes. Hoc declarari ſolet exemplo pręſentiæ ſacramentalis Chriſti Domini, quæ duplicem quoque extenſionem ſortitur, unam ex parte ſubiecti, aliam ex parte ſpatij, ſicut & ſpecies impreſſa duplicem illam memoratam: Quemadmodum enim tota præſentia ſacramentalis Chriſti extenſa ad ſpectantium reddit totum eius corpus præſens ſpatio, & ſimiliter quævis pars & indiviſibile extenſionis ad ſpaciũ reddit totum ipſum in qualibet parte, vel indiviſibili ſpatij præſens, ita quoque ſpecies impreſſa diffuſa per medium, & quævis eius pars totum obiectum repræſentat: quod ſi hæc præſentia ſingularis & ſupernaturalis videtur, in promptu eſt unio materialis noſtri animi ad materiam in qua ſimile quid naturaliter contingit.

Dicendum ultimo. Duo iſta genera partium & indiviſibilium unam integrant qualitatem, quia utraque extenſio propriis continuata indiviſibilibus, unam componit ſpeciem aptam undecumque totam obiecti extenſionẽ repræſentare. Sic enim partes & indiviſibilia extenſionis ac intenſionis caloris ut octo, unam phyſice componunt qualitatem ubicumque eſt, totam perfectionem intenſivam ſubiecto tribuentem.

DVBIVM V.

De intenſione ſpeciei ſenſibilis.

Ita recentiores cum Molina ſupra citato.

ASſero primo. Species impreſſa obiecti ſenſibilis intenſi habet intenſionem obiectivā, ſive tot partes intenſionis, quot in obiecto ſunt. Primo, quia ſicut obiectum extenſum mittit ſpeciē extenſam in quavis parte repræſentantem ſui extenſionem, ita & intenſum intenſivam repræſentantem ſui intenſionem; ergo ſicut in illa ſpecie dantur partes obiectivæ extenſæ reſpondentes partibus extēſionis obiecti à quibus producuntur, ita & partes intenſæ reſpondentes partibus intenſivis obiecti à quibus ſimiliter producuntur. Conſecutio manifeſta eſt à paritate. Secūdo. Species proportionatur obiecto à quo fit; ſed albedo exempli cauſa intenſa ut octo, continet diverſas partes alias aliis inteuſiores; ergo & ſpecies ipſius impreſſa, quia debet toti obiecto, & ſingulis partibus, quarum eſt effectus, & virtualis repræſentatio proportionari. Confirmatur. Producatur albedo tantum ut unum, hæc producet ſpeciem intenſam ut unum. Deinde intendatur eadem albedo addito ſecundo gradu, ipſa ſimul intendet ſpeciem priorem uſque ad ſecundum gradum, & reddet perfectiorem, ac ita deinceps, ergo albedo ut octo ſimul producta producit ſimul ſpeciem cum pari intenſione.

Aſſero ſecundo. Eadem ſpecies habet aliam intenſionem, quæ vocari poteſt formalis, cuius partes neque ex ſubiecto, neque ex obiecto præciſe ſumuntur, ſed ab ipſa entitate formæ prout dicit in ſe maiorem vel minorem perfectionem, per quam idem gradus intenſionis intenſius & remiſsius poteſt repræſentari. Suadetur, nā eadem numero albedo nullatenus in ſe variata videtur à Petro remiſsius, & ſenſim accedente intenſius ac perfectius; ergo in ſubiecto propinquo producit ſpeciē cum maiori intenſione formali quam in diſtanti. Patet conſecutio: unde enim varietas illa in viſione eiuſdem omnino obiecti, & elicitæ à potentia eiuſdem perfectionis: niſi à ſpecie perfectione intenſiva inæquali, oriri poteſt? Dicunt aliqui, eam varietatem in viſione provenire, quia gradus remiſsi ſolum producunt ſui ſpeciem in ſubiecto remoto, non vero intenſi. Sed contra primo: tam viſibiles ſunt gradus intēſi, quam remiſsi, & præterea illi ſunt iſtis perfectiores, ergo poterunt ſui ſpeciem producere ubicumque remiſsi, cum præſertim ſint cauſa æquivoca. Contra ſecundo, nam illa reſponſio locum non habet in viſione albedinis extenſæ; tota quippe illius extēſio ex loco propinquo clarius quam ex remoto videtur, ergo idem poterit contingere circa totam eiuſdem intenſionem.

Aſſero tertio. Duo ſunt in hac ſpecie genera indiviſibilium intenſionis, unum continuans intenſionem obiectivam, alterum formalem, eaque diſperſa per totum ſubiectum, ſicut indiviſibilia extenſionis obiectivæ. Primum patet, nam duplex eſt genus in ea ſpecie partium intenſionis, obiective ſcilicet & formalis; ſed utraque eſt continuata; ergo per propria indiviſibilia; id enim ſequitur

quitur ex communi doctrina de compoſitione qualitatis intenſæ. Secundum: nam utraque intenſio ex quavis parte medij cernitur, ergo ibi reperitur uti dictum de extenſione obiectiva, ſed ubique eſt continua, ergo in toto ſubiecto habet ea indiviſibilia.

Ex dictis hic, & proximo dubio, liquido conſtat ſpeciem expreſſam materialem obiecti ſenſibilis extenſi & inteſi quadruplex etiam ſuſcipere partium & indiviſibilium genus extenſionis ſubiectivæ, & obiectivæ, & intenſionis obiectivæ ac formalis. Ratio eſt, quia ſpecies expreſſa materialis proportionatur impreſſę à qua fit; ergo cum proportione habet omnia in ſuo genere, quæ illa in ſuo.

DVBIVM VI.

De cauſa materiali, & efficiente ſpeciei ſenſibilis impreſſæ.

HAS ſolum exquiro, nam pervium eſt primo ſpeciem impreſſam cum ſit eſſentialiter forma ſui ſubiecti non habere aliam ſui cauſam formalem, per quam in eſſe formæ conſtituatur. Secundo, cauſam extrinſecam ſpecificantem illius eſſe actum & obiectum. Tertio, cauſam finalem eſſe gerere vicem obiecti, & eius loco cōcurrere ad actū, unde actus ipſe erit proprius finis, ipſius enim gratia potentiæ tribuitur. Igitur circa cauſam materialem

Quæritur primo, an & quęnam ſit ſpeciei impreſſæ ſenſibilis. Dicendum eſſe omnem potentiam in qua recipitur, & mediū quodvis per quod diffunditur. Patet, quia inde educitur, ergo recipitur ibidem, ut in cauſa materiali.

Dices. Forma ſuæ cauſæ materiali dat denominationem aliquam, & effectum formalem; ſed ſpecies nullā tribuit potentiæ, vel aëri; ergo. Reſpondeo, tribuere denominationem & effectum formalem cauſę materiali in qua recipitur; reddit enim illam potentem producere repræſentationem obiecti, aut immediate, ſi ſit ſenſus ipſe; aut mediate, ſi ſit medium, quatenus per hoc ſpecies in ſenſum transfunditur.

Quęritur ſecundo, an in eodem ſubiecto ſimul poſsint plures inhærere ſpecies impreſſæ? Reſpondeo, plures, & ſpecie diverſas, & ſolo numero, imo & eiuſdem numero obiecti poſſe ſimul in eadem prorſus parte ſubiecti naturaliter inhærere. Primum patet, quia ex eadem parte medij videntur ſimul candor papyri, & nigror characterum, ergo in ea & potentia ſimul reperiuntur ſpecies impreſſæ candoris, & nigroris, quæ ſpecie diſsident. Secundum probatur, quia ex eadem parte videtur multiplex folium viride duplicis arboris numero diverſæ, ergo ibidem ſunt ſpecies plurium foliorum numero ſolo diſcrepantes. Tertium conſtat, nam cum Petrus ſe intuetur in ſpeculo, mittit ſpeciem directam ſui in illud, ſpeculum vero per eandem lineam, aliam ipſius Petri refundit, ergo in eadem parte medij ſunt ſimul ſpecies directa & reflexa eiuſdem numero Petri, quæ tantum numero diſsidere poſſunt ob diverſa munera, quæ pręſtant, & ob eadem ſimul in eodem ſubiecto cohærere, eſto non poſsint

alia accidentia eiuſdem omnino rationis ac muneris.

Circa cauſam efficiētē quæritur primo, An ſit obiectū. Dicendum, ipſum immediate per ſe producere ſui ſpeciem per medium in potia. Probatur primo, quia ideo dicitur ſpecies ſenſibilis imprimi potentiæ ab obiecto, & potentia ipſa ab obiecto ſenſibili immutari, quia ab ipſo in potentiam efficienter transfunditur ſpecies. Secundo. Species impreſſa eſt ſemen obiecti, ut ipſius loco cū potentia generet imaginem intentionalem, ergo per ſe illam producit, ſicut animal ſemen, quod vicem ipſius gerens, cum fœmina generat vivens, quod eſt eius naturalis imago. Confirmatur, nam ubi papyrus alba obiicitur oculo, videtur, ergo ſignum eſt ab eius albedine efficienter defluere ſpeciem viſibilem.

Quæritur ſecundo, poſſit ne diviniius ſuppleri eiuſmodi efficientia obiecti, ita ut ſi papyrus, quæ modo videtur in puncto A, nihil efficiat, aut deſtruatur, poſſit in eodem puncto repræſentari. Ita pro certo habendum eſt, nam Deus continet eminēter virtutem eiuſmodi obiecti, ergo eo pereunte, & nihil operante, poterit transfundere in potentia ex eodem puncto, quo obiectum ante priorem ſpeciem qua ibidem repręſentetur. Favent Theologi aſſerentes cum D. Thoma interdum hoc pacto factas fuiſſe miraculoſas apparitiones, quæ in ſpeciebus ſacramentalibus contigere, ut nimirum Deus abſentium obiectorum per ſe ſpecies produxerit, illiſque mediis varij varia viderunt; ſic etiam manna unius tantum in ſe ſaporis oleacti, guſtatum Hæbreis, omnia quæ illis libebat ſaperet obiecta, ipſaque quaſi præſentia ſentirentur.

Quęritur tertio. An eadem ſpecies pendeat omnino in conſervatione ab obiecto, à quo fit. Respondeo primo, non poſſe diu conſervari in abſentia obiecti, docet experientia. Reſpondeo ſecundo, poſſe aliquandiu permanere, tametſi deſtruatur obiectum. Quia poſtquam aliquis aſpexit attente ſolem, ſi averſa facie claudat oculos, adhuc format viſionem ſolis; ergo retinet illius ſpeciem. Confirmatur probabili cōiectura, quia licet obiectum recedat ab ſpatio unde per lineam rectam ſui miſit ſpeciem, adhuc per ſpeciem repræſentatur ibidem; ergo ſicut nō pendet ſpecies à præſentia obiecti in linea recta, ſic probabile eſt non pendere in ſui conſervatione ab actuali eius efficientia. Conſecutio ex eo conſtat, quod obiectum viſibile nullam ſui ſpeciem, niſi per lineam rectam efficit. Antecedens liquet, nam cum quis lignum incēſum rotat in orbem, tunc circulū lucis intuemur. Nec dicas idem contingere, quoties obiectum per reflexionem ſentitur; non enim eſt ſimile, nam in caſu quem ponimus nulla eſt reflexio. Nec iterum dicas, ſpecies ſenſibiles debere perſeverare longo tempore, ſi durent per aliquod breve tempus, eo quod careant contrario, nam licet eo careant, poſtulant aliquantiſper conſervari, & conſervantur magis, vel minus pro maiori, vel minori efficacia obiecti: ſic enim impulſus & ſonus, quamvis non habeant contrarium, petunt conſervari à Deo brevi tempore, & conſervantur magis, vel minus pro maiori vel minori impreſſione proiectionis,

Ita Vazq. 1. p. diſp. 38. c. 2. & alij cū D. Aug. 11. de Trin. c. 2.

ctionis , aut colliſione corporum.

Quæritur quarto , An una ſpecies poſsit aliam producere. Pars utraque probabilis videtur Hurtado. Dicendum tamen ſpeciem impreſſam aliquando producere aliam ſpeciem , qua eius obiectũ, nunquam qua ipſa repręſentetur. Primum ſuadetur,nam per ſpeculum videmus obiectum à tergo poſitum;ſed tunc ſpecies impreſſa nõ producitur immediate ab obiecto ; ergo ab alia ſpecie recepta in ſpeculo. Minor patet,nam obiectum viſus nullam ſpeciem producit , niſi per lineam rectam ad potentiam. Dices,iſtud obiectum producere etiam per lineam reflexam quando illi opponitur ſpeculum,quia cum non valeat ulterius ſuam ſpeciem protendere, ideo illam quaſi regrediendo replicat. Contra tamen primo,nam cum ſit reflexio ab ſpeculo magis terſo perfectior producitur ſpecies in oculo , quam ſi fiat à minus terſo ; ergo ſignum eſt ſpeciem productam in ſpeculo iuvare ad perfectiorem ſpeciem in oculo producendam. Contra ſecundo , nam quando ſpecies traiicitur, per aliquod medium denſum & translucidum immutatur , ita ut referat rem ampliorem , quam ipſa in ſe ſit,ergo ſpecies illa quæ ad oculum venit , nequit immediate tantum ab obiecto oriri,ſed fiet ita , ut ſpecies in illo medio impreſſa immutetur , & amplior evadat, & hæc deinceps aliam ſimilem mittat.

Secundum vero patet,quia ſpecies impreſſa non ſentitur ut probatum dubio 3.huius diſputationis ; ergo non producit ſpeciem qua ipſa repræſentetur.

Quęres ultimo, An quando obiectum ſub ſpeciem producit,non ſolum partes, ſed etiam indiviſibilia illius , unioneſque concurrant. Videtur affirmandum, quia totum obiectum continuum cum ſuis partibus unitis ſentitur;ergo non ſolum partes,ſed & indiviſibilia & uniones ad ſui ſpeciem concurrunt. Confirmatur ex com muni opinione, aſſerente in corpore perfecte opaco ſolum indiviſibilem ſuperficiem lucis recipi, illa autem ſui mittit ſpeciem; ergo linea,puncta, & uniones efficienter concurrunt.

Dices primo,ſola linea,& punctus ſolus, nec divinitus poſſunt videri,ergo non habent vim producendi virtualem ſui repræſentationem. Dato nunc antecedenti, diſtinguo conſequens,ſeparatum à ſuperficie,concedo; coniunctum , nego. Sicut enim punctus & linea nunc videntur ſimul cum ſuperficie , ſic poſſunt producere ſui ſpeciem ſimul cum ſpecie ſuperficiei.Videri punctum & lineã patet,quia alioqui obiectum appareret diſcontinuum, & viſio eſſet diſcontinua.

Dices ſecundo , uniones ſunt modi , ergo non ſunt operativæ. Nego conſequentiam, alibi enim dixi modos nõ carere omni activitate,& nunc addo, licet eis negari poſsit activitas realis,non eſſe cur non poſsit activitas intentionalis concedi , videmus enim albedinem reali activitate deſtitutam , non vero intentionali, qua ſui ſpeciem producat.

a

DVBIVM VII.

Quomodo concurrat ſpecies ſenſibilis impreſſa ad actum ſenſationis.

VT varias difficultates hic occurrentes breviter percurram,

Ita D.Thomas. Dico primo. Species ſenſibilis active determinat potentiam, & cum ipſa concurrit ad actum ſenſationis. Primo, nam ideo dicitur virtualis ſimilitudo obiecti, quia habet virtutem efficiendi imaginem, & ſimilitudinem formalem illius. Secundo, ſpecies impreſſa ſupplet abſentiam, vel improportionem obiecti ad concurrendum per ſe; ſed quando obiectum eſt præſens & proportionatum, concurrit active ad ſui notitiam; ergo & ſpecies ipſius. Minor patet in eſſentia divina, quæ intellectum beati, cui intime præſens determinat efficienter ad ſui viſionem; idemque cōtingit in ſubſtantia Angeli, quando ab alio cognoſcitur, cui intime adeſt. Tertio. Intellectus determinans animam ad actum vitalem cognitionis concurrit efficienter, ergo ſpecies impreſſa animam, & potentiam determinās ex parte obiecti ad eundem actum quatenus eſt eiuſdem obiecti formalis ſimilitudo. Quarto. Habitus inclinat potentiam, & cum ea ad actum efficienter concurrit; ergo ſimiliter ſpecies impreſſa determinabit & concurret.

Dices, ſpecies expreſſa obiecti boni determinat appetitum ſolum formaliter, ergo & impreſſa ſenſum ad ſui obiecti notitiam. Dato antecedēti, quod multi negant, negatur conſecutio, quia illa cum ſit imago formalis formaliter ſolum ſatis intelligitur determinare poſſe appetitum in eadem anima, quæ ad illam ſpeciem expreſſam concurrit, radicatum; non vero impreſſa, quia dumtaxat eſt imago virtualis.

Dico ſecundo. Species impreſſa concurrit ut inſtrumentū ad actū ſenſationis. Ratio eſt, quia ipſa eſt imperfectior ſenſatione, ut ſuperius dictum. Confirmari poteſt, quia hic etiam militant omnes illæ rationes, quibus habitus naturalis in communi opinione cenſetur cauſa inſtrumentaria actus vitalis.

Dico tertio. Species impreſſa ut determinet ſenſum, & cum eo concurrat ad actum, non exigit neceſſario inhærentiam in illo, quia ſi ſpecies eſſet intime præſēs in ſenſu, poterit cum ipſo concurrere ad actum ſenſationis ſui obiecti; ergo non exigit neceſſario inhærentiam in illo. Antecedens liquet, nam eſſentia divina intime præſens intellectui beati concurrit inſtar ſpeciei, ſicut & ſubſtantia Angeli præſens alteri à quo intelligitur, imo & phantaſma cum intellectu ad producendam ſpeciem intelligibilem impreſſam, necnon calor exiſtens in paſſo concurrit ut inſtrumentum ignis agentis, & tamen nullum ex his recipitur in alio agente, cui ſuum aſſociat cōcurſum. Non tamē nego ex natura rei ſpeciem ſenſibilem in ſuo ſenſu inhærere; eſt enim accidens, & plerumque debet eſſe intime præſens profunditati potentię ubi actus elicitur, & ex alio capite nullum eſt ſubiectum magis aptum & connaturalius *Ita Molina ſupra & cū eo plures.*

ſaltus illi ad inhærendum, ergo in illo ex natura rei inhærebit. Tum quia potentia vitalis connaturalius cenſetur operari quãdo habet inſtrumẽtum, vel comprincipium intrinſecũ; ideo enim habitus naturales, & ſupernaturales, & ſpecies intelligibiles in intellectu inhærentes, ad ipſius vitales functiones ponuntur.

Dico ultimo. Poteſt Deus ſupplere defectum ſpeciei impreſſæ, ita ut ſine ea eliciatur ſenſatio. Tum quia poteſt ſolo ſuo concurſu ſupplere efficientiam obiecti reſpectu ſpeciei impreſſæ, ut dictum dubio. 6. Tum etiam & efficientiam habitus ſupernaturalis omnino neceſſarij ad ſimilem actum, ergo & ſpeciei impreſſę reſpectu expreſſæ. Moneo hic, pleraque tradita hic de ſpecie impreſſa ſenſibili, communia eſſe impreſſæ intelligibili, ſi quæ illi quatenus materialis eſt, & pendens ab obiecto extenſo à quo fit, aliaque ſimilia demantur.

DVBIVM VIII.

Quæ obiecta poßit attingere ſenſus.

Rogas primo, An attingere valeat obiectum ſpirituale. Moneo quæſtionem verſari de omni ſenſu tam interno, quam externo. Item tam in ſententia diſtinguente, quam non diſtinguente potentias à ſubſtantia. Poſtremo potiſsime verſari de potentia abſoluta Dei.

Dico primo. Certum eſt inter omnes, non poſſe virtute ſua naturali. Primo, quia ſi ſenſus aliquis poſſet percipere naturaliter obiectum ſpiritale, eſſet perfectior intellectu, id vero non minus falſum eſt, quam intellectum humanum eſſe nobiliorem Angelico; ergo, &c. Maior patet, quia cum ſenſus intuitive feratur in omne ens intra ſuum obiectum contentum, intuitive in omnem creaturam ſpiritalem ferretur; atqui cognitio intuitiva obiecti eſt perfectior in ſuo genere quam abſtractiva: ergo eſſet perfectior intellectu, qui vix efficit cognitionem abſtractivam de re ſpiritali. Secundo, ſi homo haberet ſenſum capacẽ obiecti ſpiritualis, etiã bruta poſſet habere, quia quæ homo ſentit, ſentit & brutũ; ſed huic ſaltem naturaliter talis notitia repugnat; ergo & ſenſui hominis. Minor patet, tũ quia illa tantũ ex natura rei cognoſcit, quę ipſi neceſſaria: ad quid ergo egeret re ſpiritali; tum quia eſſet etiam capax diſcurſus, & libertatis; hæc enim diſcurſum ſequitur, & ulterius amicitiæ, & odij cum Deo, quæ ſatis aliena à natura omnino materiali, ut bruta apparent.

Dico ſecundo. Nec divinitus poſſet aliquis ſenſus percipere obiectum ſpiritale. Ratio non facilis redditur, communis eſſe ſolet: quia nulla potentia etiam divinitus ferri poteſt extra ſuũ obiectum adæquatum, ideo nec viſus ſonum percipere, nec auditus lucem ulla potentia valent; ſed obiectum adæquatum ſenſus eſt materiale, ut experientia ſatis ſuadet; ergo nullo modo poteſt habere notitiam obiecti ſpiritalis. Recentior quidam conatur aliam reddere rationem communem, forte iudicans efficacem, ſed illa minus habet firmitatis, nititur enim illo principio non poſſe ſcilicet etiam divinitus termi- *Ita cõmuniter Theologi.*

num ſpiritalem educi de potentia materiæ, eo quod eius eductio eſſet diviſibilis, & indiviſibilis, cũ attingeret terminum ſpiritatem indiviſibilem, & ſubiectum materiale diviſibile, quod in Phyſica tract. 2. diſput 5. dubio 4. labefactatum eſt.

Dices primo. Oculus habet potentiam obedientialem ad efficiendum quemvis effectum non contentum intra ſuam ſphæram, ergo & ad notitiam obiecti ſpiritalis. Verum ſolum concludis habere potentiam obedientialem ad efficiendam illam notitiam inani modo, ſicut lapis, quod non negatur, non tamen ad efficiendam vitaliter, & recipiendam, ita ut per ipſum reddatur formaliter videns rem ſpiritalem; ad id enim maior proportio requiritur.

Dices ſecundo. Intellectus potentia naturalis divinitus elevatur ad vitalem viſionem & ſupernaturalem Dei; ergo & ſenſus materialis poteſt ad notitiam obiecti ſpiritalis. Negatur conſecutio, quia Deus iam continetur aliquo modo naturaliter intra obiectum intellectus, ideoque non difficile intelligitur poſſe ab ipſo divinitus viſione ſupernaturali intelligi: at obiectum ſpiritale abſolute eſt extra obiectum ſenſus materialis; nullum enim veſtigium notitiæ de aliquo obiecto ſpiritali in illo ſublucet, atque adeo eſt omnino incapax, ut ipſum adhuc per elevationem attingat: poſſet quidem ſenſus elevari ad aliquam viſionem ſupernaturalem vel ex parte modi cognoſcendi, vel ex parte obiecti: ut ſi daretur color aliquis, vel lux corporea ſupernaturalis, & hoc ſolum probat obiectio.

Rogas ſecundo, An percipiat privationes reales. Negãdum eſt, quia tametſi iſtæ ſæpe ſiat rerum materialium, & à parte rei exiſtant, non tamen continentur intra obiectum ſenſus, & ita nec viſus percipit tenebras, nec auditus ſilentium, quia tales negationes neque poſſunt realiter concurrere cum potentia, neque ſui ſpeciem producere. Nec obeſt intellectum agnoſcere, etiam negativa entia, quia eius obiectum eſt omne verũ, & intelligibile, quod etiam negativa entia ſub ſe complectitur: at obiectum ſenſus eſt ſenſibile potens immutare ſenſum, ad quod entitas poſitiva exigitur.

Rogas tertio, An ſenſus ſuos actus proprios percipiat.

Dico primo. Non percipit eos per actus diverſos. Primo, quia viſio, verbi gratia, cum nec lux, nec color ſit, eſt extra obiectum adæquatum viſus; ergo non poteſt ab eo per actum diverſum videri. Confirmatur: nemo enim poteſt videre viſionem in oculo alterius, licet alias qualitates in ipſo videat; ergo neque propriam. Secũdo. Reflexio ſupra ſuos actus eſt privilegium potentiæ rationalis, inde enim maxime eius ſpiritualitas colligitur & nobilitas ſupra ſenſus; ſed notitia propria actus per alium eſt vera reflexio; ergo non cadit in ſenſum.

Dico ſecundo. Neque percipit per eoſdem met actus. Eſt contra Averroem dicẽtem, dum quis videt colorem, eadem viſione videre ſe videre colorem. Probatur tamen, nam ſenſus non percipit ſuũ actum per alium reflexum, ergo nec per eundem: hoc enim multo difficilius eſt, & naturaliter non conceditur intellectui.

Oppones. Actus elicitus à voluntate

luntate eſt ſe ipſo voluntarius & volitus, ergo & viſio, &c. Reſpondeo primo dato antecedente, negando conſequentiam, tum quia voluntas eſt nobilior potentia, tum quia eius actus eſt bonus & amabilis, & proinde intra eius obiectum, quæ duo in viſu & viſione deficiunt. Reſpondeo ſecundo, actum voluntatis eſſe volitum, ſeu potius voluntarium per modum actus, quia à voluntate fit cum advertentia rationis, & eſt ratio formalis aliud volendi, & hoc modo dici poſſet viſio viſa ut quo, ſed impropria locutio. Præterea non eſſe proprie volitum per modum obiecti, niſi tantum interpretative, quia qui amat obiectum, virtute vult actum ſine quo amare illud nequit.

DVBIVM IX.

An miraculoſe notitia abſtractiva in externis ſenſibus dari queat.

Ita notitiam intuitivam definiũt Scotus in 1 diſt. 2. par. 2. q. 1. & quolib. 6. ar. 1. Ferrarienſis lib. 2. contra gentes, c. 96. Durãdus in prologo, q. 3. aliq. authores.

Moneo primo. Notitiam intuitivam, quæ etiam viſionis vocitatur, eſſe notitiam rei pręſentis ut pręſens eſt: id eſt, cognitionem qua ita rem attingimus, ut per eam cernatur præſentia obiecti in ſe, & exvi ipſius cognitionis, non vero quia aliunde comprobatur. Eiuſmodi eſt notitia qua quis videt albedinem in papyro, & qua ſonum audit, & ea, qua beati Deum intuentur, quam Divus Paulus Epiſt. 1. ad Corint. cap. 13. appellat facie ad faciem. Imo & ex hoc loco Apoſtoli credit Scotus quodlibeto 6. art. 1. & Gregorius in 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. art. 1. deſumptam fuiſſe appellationem intuitive notitię, cuius aut nulla, aut prope nulla extat mentio apud antiquos Philoſophos. Monet autem D. Anſelmus, Hugo, Magiſter, D. Thomas, Gregorius, Paludanus, Caietanus, Durandus, & alij, communi conſenſu, intuitivam notitiam debere eſſe immediatam, ita nempe ut res non agnoſcatur in alio prius cognito, ſicuti cognoſcitur Cæſar in ſua imagine: per notitiam enim intuitivam cognoſcitur res in ſe, quod eſſe nequit, cũ res in alio prius viſo videtur.

Moneo ſecundo. Notitiam abſtractivam, quæ etiam ſimplicis intelligentiæ nuncupatur, eſſe notitiam rei, non ut præſens eſt, exẽpli cauſa, cognitio, qua cogito de Petro abſente; & ea qua Aſtrologus domi ſuæ conſiderat eclipſim, quam nõ intuetur, etſi ſciat ea hora interponi terram inter Lunam & Solem. Et item cognitio qua Philoſophus ex creaturis agnoſcit Deum eſſe: tametſi enim iſtæ cognitiones tendant in rem ſub eſſe exiſtentiæ; non tamen ſic tendunt, ut per eas cernatur præſentia obiecti. His poſitis

Aſſertio prima. Senſus externus divinitus poteſt rem abſentem, ut præſentem tamen apprehendere. Probatur, nam iuxta dicta dubio 6. poteſt Deus ſpeciem, quam Paulus in meum oculum impreſsit, a toto Paulo conſervare; ſed hæc ſpecies eodem pacto, quo ante referret Paulum; ergo eum tanquam præſentem aſpectui obiiciet.

Aſſertio ſecunda. Nulla vi externus ſenſus in obiectũ abſens, ut abſens, ferri poteſt. Suadetur. Senſus externi talis naturæ ſunt, ut tendant in obiecta, prout ſe habent hic & nunc, id eſt prout

materialibus, ſitus, diſtantiæ, & quantitatis conditionibus affecta exiſtunt; atque adeo, ut in pręſentia à parte rei, vel ſaltem repræſentata tanquam præſentia. Quare non poterunt ſenſus externi ullo modo verſari circa rem abſentem, qua talis eſt. Hanc conditionem intrinſece addunt obiecta ſenſuum externorum ſupra obiectum intellectus, & phantaſiæ. Nam intellectus fertur in rẽ tam abſentem, quam præſentem; tam ſingularem, quam univerſalem. Phantaſia etiam in rem præſentem, & abſentem, ſed ſingularem tantum. At externi ſenſus, ut qui in infimo cognoſcentium facultatum gradu, ſtetere, tendunt in ſolam rem ſingularem & pręſentem, vel exhibitam in ſpecie ut præſentem. Non fecimus in hac cognoſcibiliũ diſpenſatione mentionem ſenſus communis, propterea quod hic ſit quaſi interſtitium internorum & externorum ſenſuum ad utroſque pertinens; quatenus externorum ſenſiones dignoſcit; & eaſdem ad internos tranſmittit: unde & utrorumque naturam aliquo modo participat. Nam dum ſenſus externi circa obiecta ſua verſantur, ipſe in eadem percipienda incumbit, & tũc quidem non niſi ſingularia præſentia intuetur: in ſomniis vero, ut eſt multorum opinio, ſingularia etiam abſentia recognoſcit; atque ita tam pręſentia quam abſentia pro vigiliæ & quietis diverſitate apprehendit.

Ex ſuperioribus aſſertionibus licebit colligere tertiam, quæ propoſito dubio directe reſpondeat. Pro qua prænotãdum prius, controverſiam eſſe an ad notitiam intuitivam exigatur ut potentia per eam tendat in obiectum, quod reipſa exſiſtat præſens; an vero ſufficiat ferri in rem, quæ tametſi alioqui ſit abſens, nihilominus repræſentatur ut præſens, atque ita notitia tendat in rem præſentem ut præſentem imaginarie. In qua controverſia quamquam parum referat utram partem quis approbet, nobis tamen poſterior magis placet; propterea quod notitia abſtractiva ab omni præſentiæ modo abſtracta, ac libera debere eſſe videatur. Sit ergo

Aſſertio tertia. In ſenſibus externis etiam miraculoſe dari non poteſt notitia abſtractiva. Suadetur; quia notitia abſtractiva fertur in rem ſecundum ſe, ſecluſa præſentia, & exſiſtentia; ſed externi ſenſus tendunt in ſua obiecta, ſaltem repræſentata tanquã præſentia, ut ex dictis liquido conſtat; ergo ſenſus externi habere nequeũt abſtractivam notiam, atque adeo notitia qua ſenſus externus fertur in obiectum, quod à parte rei non eſt pręſens, dicenda erit intuitiva.

DVBIVM X.

De ſenſibili communi.

SEnſibile per ſe, quod videlicet ratione ſui à ſenſu percipitur, diſtribuitur in ſenſibile proprium, quod ſub unum tantum externum ſenſum cadit; & in ſenſibile commune, quod à multis externis ſenſibus, licet non omnibus, attingitur.

Senſibile commune dicitur eſſe quintuplex à pleriſque Doctoribus cum Philoſopho hic lib. 2. cap. 5. nempe, Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, & Quies, & licet alibi Ariſtoteles appellet uni-

tatem, aſperum, & lene; acutum, & obtuſum; ſenſibilia communia, tamen unitas ad numerum, reliqua ad figuram communiter revocantur. Magnitudo dicitur extenſio cuiuſque ſenſibilis, ut extenſio candoris in Hoſtia, quam ſeparatus à quantitate retineret. Figura eſt terminus talis extenſionis, ut candoris circulus in eadem Hoſtia. Numerus vero ſumitur pro multitudine propriorum ſenſibilium, ut plurium Hoſtiarum in diverſis locis albicantium. Motus pro varietate præſentiarum, quam ſuſcipit ſenſibile proprium, ut candor Hoſtiæ manibus Sacerdotis ſucceſsive evectus. Quies pro permanentia in eodem ſpatio. Nunc

Ita multi recentiores. Dico primo. Hæc omnia ſenſibilia communia ad unam præſentiam merito revocari poſſunt. Nā figura reſpectu ſenſus ſolum eſt protenſio extēſionis uſque ad certum ſpatium, hac vel illa ratione definitum. Exempli cauſa in candore Hoſtiæ, protenſio uſque ad certum ſpatium orbiculare, id autem in præſentia orbiculari conſiſtit. Confirmatur. Tolle per impoſsibile omnem modum figuræ realis, & relinque eandem præſentiam cādoris, quoad ſenſum cum eadem prorſus figura ſentietur. Deinde numerus reſpectu ſenſus, ſolum habet locum multiplicis præſentiæ: quia ſi color idem poneretur in duobus locis, ita moveret ſenſum, ac ſi eſſet duplex; & è converſo ſi duo candores penetrarentur in eodem loco, ita ſenſum moverent ac ſi eſſent unus candor. Motum ſatis apparet eate non ſentiri, quatenus eſt variatio præſentię, unde non tam ipſe ſentitur quam multiplices præſentiæ ſucceſsivæ. Denique quies quid eſt niſi præſentia permanens?

Dico ſecundo. Senſibile commune per aliquam ſpeciem impreſſam ſentitur. Probatur, quia vere ſentitur; oculus enim videt colorem, ut parum vel multum diſtantē; ergo per aliquam ſpeciē impreſſam, cum nec ſenſibile proprium ſine ea ſentiri queat. Dices, diſtantiam non percipi ab oculo, ſed ab intellectu. Contra primo, nam quæremus per quam ſpeciem ab intellectu percipiatur. Secundo, quia brutum percipit diſtantiam obiecti, quod patet in cane venatico, qui velocius movetur, vel tardius pro diſtantia, vel indiſtantia obiecti quod in ſequitur.

Eſt tamen difficultas, per quam ſpeciem ſentiatur. Prima ſententia Scoti in 4. diſtinct. 12. aſſerit ſenſibile cōmune ſentiri per propriam ſpeciē totalem diſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij. Secunda, communis Thomiſtarum tenet per eandem ſpeciem ſenſibilis proprij, ſed modificatam per aliquem modum realem à ſenſibili communi percipi. Hæc ſententia videtur probabilior, quam tenent multi recentiores. Nihilominus

Dico tertio. Probabile iudico cum Hurtado hic diſput. 11. ſect. 6. § 75. ſenſibile commune percipi per ipſiſsimam ſpeciem, ſenſibilis proprij nullo reali modo diverſo affectam. Primo, quia ſpecies ſenſibilia proprij ex ſe habet vim repræſentandi obiectum ibi unde mittitur, ut liquet in viſionibus & auditionibus directis & reflexis, ergo ſi candor ut in Hoſtia contingit ſit diffuſus in figuram circularem, ipſa ſpecies candoris ita ibi illum repræſentabit. Secundo, ſpecies ſenſibilis pro-

prij tranſmiſſa per varia loca ſæpe repræſentat figuram loci per quam tranſit, ut cum res longe conſpiciuntur in ſpeculo rotundo, quod eas reddit rotundas, quia cryſtallus conformatis in rotunditatem iaculatur ſpecies per figuram circularem, ergo tunc ſola ſpecies ſenſibilis proprij repræſentat illam figuram. Tertio, claret magis in tactu, nam qui tangit duo poma, ſentit numerum hoc ipſo præciſe, quod illa duo obiecta per ſpecies ſenſibiles proprij ſentiū, ergo ſenſibile commune per ſolam ſpeciem proprij ſenſibilis percipitur. Antecedens patet, tum quia intelligi nequit ſpeciem unius pomi ſpeciei alterius aliquid imprimere qua illum numerum repræſentet, tum quia qui tangit primum pomum non ſentit numerum, ſentit vero dum tangit ſecundum: at in eo nihil amplius ſentit quam ſi primo loco attigiſſet, igitur numerum ſentit ex eo quod per ſpeciem utriuſque ſenſibilis proprij tactus immutetur.

Eſt communis ſententia. Dico ultimo. Senſibile commune ſine proprio ſentiri nequit. Probatur, quia ſenſibile commune non ſentitur niſi per ſpeciem ſenſibilis proprij; ergo ſine eo ſentiri nequit. Cōfirmatur, nam præſentia circularis coloris non eſt lux aut color, neque aliquid intrinſece continens lucem & colorem, ergo ſaltem per ſe ſola nequit videri, quia viſio ad colorem, & lucem terminatur, coniuncta vero cum ſenſibili proprio ſentitur quatenus ſpecies, verbi cauſa coloris, ipſum repræſentat hac vel illa forma in loco protenſum.

***

DVBIVM XI.

De ſenſibili proprio.

CVM conſtet iam ſenſibile proprium propriam ſui ſpeciem traiicere in potentiam, nunc ſolum quæritur primo, poſſit ne percipi ſine ſenſibili communi. Non poteſt, quia ſenſus cum ſit potentia intuitiva, fertur in rem ut exiſtentem, ac proinde alicubi præſentem, ergo ita neceſſario percipitur. Cōfirmatur, quia cum ſenſus ſit potentia valde materialis, non poteſt res abſtrahere à materia & loco ſenſibili. Præterea. Species ſenſibilis neceſſario mittitur ab obiecto alicubi exiſtente, ſed ſpecies impreſſa undecumque mittitur ab obiecto, ibi illum neceſſario repræſentat, ergo ibi neceſſario percipitur.

Dices, producatur ſpecies divinitus in ſolo oculo, vel ab obiecto penetrato cum potentia, vel à ſolo Deo. Reſpondeo, tunc ſi ex nullo ſpatio diſtincto ferretur ſpecies in oculum videndum obiectum intra ipſum oculum, ſicut modo guſtus percipit ſuum obiectum quaſi intra ipſum exiſtens, & ſæpe tactus ſuum intra ſe experitur, ut cum ſentit vehementem proprie carnis intemperiem.

Quæritur ſecundo, An ſenſibile proprium exiſtens ſub ſenſibili communi cuius naturaliter eſt incapax ſentiri valeat. Exemplum vulgare eſt, an color Chriſti Domini, habens diverſas partes extenſionis indiviſibiliter tamen in Euchariſtia exiſtentes, ab oculo videri poſſit ſupernaturaliter. Negant aliqui cum Patre Suario 3. par. tomo 3. diſputat. 53. ſect. 4. & aliis,

aliis, quia obiectum illud conſtitutum ſub tali præſentia eſt extra totum obiectum potentiæ materialis, tum quia non eſt obiectum proprium ſenſuum, ut per ſe liquet, neque commune, quia eſt præſentia propria rerum ſpiritalium, ac proinde inſenſibilis. Oppoſitum ſentit Vazquez 3. parte, diſputat. 191. cap. 2. cum Scoto & aliis, & Coninch. tom. 1. 3. parte, quæſt. 76. artic. 4. num. 110. iudicat probabile. Pro qua ſententia

Arbitror primo: Color ſupernaturaliter penetratus in uno puncto ſpatij per divinam potentiam ab oculo videri poteſt. Probatur. Color ille eſt res corporea & natura ſua ſenſibilis atque, adeo intra latitudinem viſus, ergo oculus divina virtute poteſt elevari ad illum videndum, ſicut intellectus ad videndum Deum viſione ſupernaturali, quia conſtat iam aliquo modo Deum naturaliter intra obiectum intellectus contineri. Confirmatur. Color poſitus in puncto, ut dant adverſarij, divinitus quit immittere ſui ſpeciem in oculum, ergo & oculus ſupernaturaliter ea inſtructus, divinitus illius formare viſionem. Confirmatur ſecundo. Sicut viſus naturaliter requirit extenſionem ex parte obiecti, ut illud videat, ita ex parte ſui; oculus enim poſitus in indiviſibili naturaliter nō videret; ſed oculus poſitus in indiviſibili, ut convenit inter omnes, poteſt videre colorem extenſum, ergo & ipſe extenſus, obiectum poſitum in indiviſibili. Accedit quod eſt probabile punctus lucis, & coloris, qui ſimul cum partibus videtur, ſeparatus videri poſſet ſupernaturaliter, unde præſentia indiviſibilis ſenſibilis proprij non eſt omnino extra latitudinem ſenſus.

Arbitror ſecundo. Poteſt etiam ſupernaturaliter videri idem color indiviſibiliter exiſtens in aliquo ſpatio extenſo, ut color Chriſti Domini in Euchariſtia. Suadetur, nam color in puncto indiviſibili poſitus ſupernaturaliter videri poteſt, ut iam conſtat, ergo & in ſpatio diviſibili indiviſibiliter exiſtens, id eſt replicatus indiviſibiliter in omnibus partibus, & punctis ſpatij, ſicut eſt in uno puncto. Conſecutio optima; ſi enim ſemel in uno puncto indiviſibiliter exiſtens videri poſſit, cur non in cetero ſpatio eodem modo replicatus?

Dicet aliquis. Impoſſibile eſt ut videat oculus colorem Chriſti Domini eo modo exiſtentē, quin videat modum, quo exiſtit, quia intellectio fertur in rem ut eſt; ſed iſte modus eſt omnino ſpiritalis; ergo extra obiectum oculi. Coninch citatus negat maiorem, quia licet intuitio neceſſario feratur in rem ut exiſtentem, intuens tamen non neceſſario reſpicit omnem modum ſecundum quem res viſa exiſtit, præſertim quando intuitio nō eſt adeo perſpicua & perfecta; ſæpe enim intuemur rem longe diſtantem, nec diſcernimus qua ſit figura, quieſcat ne, an moveatur: ſic aſtra aſpicientibus quieſcere videntur: ita igitur ait, poſſe quem videre carnem & colorem Chriſti Domini non bene diſtinguendo ſingulas partes, vel etiam replicationes, ſed in confuſo eas videndo, quaſi unum continuum, ſicut cernimus eminus arenas in cumulo. Idem ſecundo negat minorem, quia etſi modus ille exiſtendi imitetur aliqua ratione modum quo ſpiritus exi-

exiſtũt, revera tamen eſt accidẽs corporeum, unde concludit nullam eſſe rationem claram cur aſſeramus eſſe abſolute extra obiectum ſenſus, ſicut res omnino ſpirituales, ac ideo videri poſſe divinitus ea ratione qua in aliis corporibus extenſio vel figura videtur.

Præterea confirmo dictum. Primo, nam ſi daretur color corporeus ſupernaturalis divinitus ab oculo videri poſſet, ergo & color naturalis cum præſentia, vel ſenſibili cõmuni ſupernaturali. Confirmo ſecundo. Datur de facto præſentia corporea ſupernaturalis, quæ ponat pręſens totum Corpus Chriſti Domini in toto ſpatio & qualibet parte & puncto, ergo & poterit ſupernaturaliter dari viſio corporea, quæ ipſum ſimiliter repræſentet. Vnde iam ſatis expedita manet ratio oppoſitę opinionis in quam minus propendet Divus Thomas; ait enim, in 4. diſtinct. 10. quęſt. 1. art. 4. Chriſtum in Euchariſtia videri non poſſe ab oculis etiam glorificatis niſi forte per miraculum. Et alibi dicit, oculum corporalem Chriſti videre ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem.

DVBIVM VLT.

Dubia quædam circa obiectum ſenſibile.

DIfficultas prima, an ſenſibile poſitum iuxta, ſupra, vel intra ſenſum percipi queat. Sẽtiri poteſt iuxta vel ſupra. Probatur primo in tactu & guſtu. Secundo in olfactu. Ad cuius organum interdum pertingit ipſa odorifica exhalatio. Tertio in auditu; ſæpe enim ſonus realis natiyum illius aërem, & tympanum tangit, ut dicetur inferius. Demũ in viſu, quamvis enim nequeat directe, poteſt tamen reflexe in ſpeculo videre lucem contiguam pupillæ, & nigrorem ipſi inſidentem.

Præterea ſentiri poteſt ſaltem aliquando intra exiſtens, nec vetat omnino aliorum ſenſationes exercere. Primum conſtat, nam lux intra oculum exiſtẽs ſaltem in ſpeculo reflexe ſentitur. Deinde tactus ſæpe ſentit qualitates intra exiſtentes; percipit enim qualitatem doloriferam intra ſe relictam à ferro candenti, quod apprehendit, & continuo abiecit; necnon ægrotus febrim toto corpore alentem. Denique homo cũ ferro ignito penetratus, eius ardorem urentem ſentiret. Aiunt quidam hoc facile ſolvi, ſi dicatur partem vicinam ſentire calorem in alia exiſtentem, quod ſi omnes partes æque incaleſcant, tunc unam alterius calorem non ſenſuram, nam laborantes febri calorem ſentiunt, quia una pars aliam calidiorem experitur. Moventur, quia ſicut ſimile non agit in ſimile, ita nec ſentit ſibi ſimile. Sed incredibile plane videtur ſi ęque omnes incaleſcãt nullum ſenſum caloris in ęgroto futurum, & multo incredibilius in homine penetrato cum ferro æque in omnibus ſuis partibus denſo & ignito. Neque fundamentum cui nituntur momenti eſt, tum quia inde fieret, ut oculus in ſpeculo non videret lucem intra ſe exiſtẽtem. Tum, quia tactus non magis ſentit ſibi ſimile quando ſentit qualitatem intra, quã quando extra exiſtentem. Secundum

probatur, nam quamvis oculus habeat qualitates viſibiles,ut lucem & nigrorem pupillæ, ſentit eas in obiecto alieno:ſimiliter tactus quamvis habeat intra ſe qualitates tactiles, percipit alienas. Fateor tamen minus perfecte ſentiri calorem alterius corporis applicati à tactu affecto in ſe vehementi calore,quam remiſſo.

Difficultas ſecunda, an vehemens ſenſatio lędat ſenſum, maxime externum. Nunquam lędit per ſe, & ratione ſpeciei immiſſæ & ſenſationis;ſenſatio enim non lędit, ſed perficit potentiam tanto magis quanto maior,& intenſior eſt; lędit tamen per accidens aliquãdo ratione cuiuſpiam qualitatis organo diſſonę productæ. Sic oculum lux vehementiſsima offendit, quia inducit nimium calorem quo nativa organi temperies immutatur;ingens ſonus auditus ob vehementiſsimam aëris commotionem, qua nativum aërem & tympanum obtundit, gravis odor olfactum ob excedentem calorem fumidæ exhalationis, quæ ſæpe uſque ad proceſſus mamillares pertingit.

Difficultas tertia. An ſenſatio illudat ſenſum, maxime externum;id eſt, an ſenſus erret circa ſuum ſenſibile. Ad reſolutionem moneo, errorem proprie non cadere in ſenſum,ſed in intellectus iudicium: dici tamen ſenſum errare,quatenus apprehendens rem aliter ac eſt, occaſionem præbet intellectui falſum iudicium eliciendi. Hoc igitur ſenſu ſumpto errore

Aſſerendum, ſenſum errare poſſe tum circa ſenſibile proprium, tum circa ſenſibile commune in particulari ſumpta;hoc tamẽ frequentius contingere circa ſenſibile commune quam circa proprium. Suadetur prima pars,quia intellectus dicitur ſenſum corrigere,non niſi errantem;tum quia ita commonſtrat experientia, idque ob multas cauſas accidere paſſim deprehenditur. Primo propter organum male affectum, ideoque oculorum ſuffuſione laboranti omnia ſunt rubra, quaſi rubris conſpiciliis uteretur, icterico videntur omnia pallida. Secundo propter medium, ideoque Sol ſupra horizontem eſt rubrus, ratione vaporum;& res in aqua exiſtens fit maior ob denſitatem aquæ. Tertio,ratione diſtantię;& ita turris quadrata videtur procul intuenti, rotunda, quia prominentię angulorum non diſcernuntur;& voces è longinquo ſonãt acutius,quia funduntur. Quarto ratione reflexionis, & ideo in ſpeculis planis aliter ac in concavis & convexis repræſentantur obiecta. Item in flumine apparent omnia inverſa, quia omnia putamus eſſe indirectum lineę ab oculo in aquam tendente, & quia ſublimia ſunt remotiora, eo etiã apparent profundiora. In his autem eventibus,ut liquido conſtat, errat ſenſus, tum circa ſenſibile proprium,tum circa commune.

Dixi circa ſenſibilia in particulari ſumpta,quia ſenſibile ſumptum ſecundum communem rationem,qualis eſt viſui lucidum, vel coloratum, nunquam errat ſenſus,cum extra latitudinem ſui adæquati obiecti nunquam excurrat, ſicque viſus non niſi viſibile, auditus non niſi ſonum percipere poteſt.

Poſterior pars docetur à Philoſopho cap. 6. textu 63. cum dixit, ſenſum circa ſenſibile proprium non errare, (id eſt raro

errare: nam lib.3. capit.3. ait, ſenſum propriorum eſſe verum, vel raro admodum falſum) ſed circa ſenſibile cōmune. Secūdo, quia in eo ſenſibili minor error accidit, quod minus poteſt immutari; atqui ſpecies unius coloris, vel ſoni difficilius variatur in ſpeciem alterius coloris, vel ſoni, quam eius extenſio, vel ſitus, vel numerus, vel motus, vel quies; ergo minor error accidere poteſt in ſenſibili proprio, quam communi.

Moneo in fine, ſi impedimenta omnia, tam ex parte organi, quam aliunde provenientia, removeantur, non deceptum iri ſenſum circa ſenſibile proprium, aut commune, ſumpta etiam ſecundum peculiares rationes ſuas.

Difficultas ultima, an quando ſenſus decipitur circa ſenſibile, ſpecies impreſſa, vel ſenſatio ſit eiuſdem rationis cum ea ſpecie, & ſenſatione, quibus idem obiectum ab eadem potentia ablatis impedimentis ſine errore percipeietur, hoc eſt, an dum ſenſus errat videns apparētem colorem, qui lux eſt, non color, videat illum per ſpeciem veri coloris, an per ſpeciem lucis, & an eiuſdem rationis ſit talis viſio cum ea, qua videtur lux ſine errore. Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia idem agens naturale in eodem paſſo magis vel minus diſtanti, eodem modo diſpoſito, ſemper ſolet producere effectum eiuſdem rationis, magis, vel minus perfectum, aut intenſum; ergo idem cōtinget in productione ſpeciei, quæ eſt quaſi naturalis ſimilitudo obiecti; idem vero obiectum non poteſt producere alterius, ſed ſui ſimilitudinem. Itaque lux, quæ colorata videtur ex loco diſtanti, per veram ſpeciem lucis cernitur: diſtantia autem & refractio ſunt in cauſa cur ita appareat. Similiter dum ictericо id quod revera eſt album, pallidum apparet, non utitur ſpecie veri palloris, ſed ſpecie albi, quæ ſenſu indiſpoſito apparet ſub ratione palloris.

DISPVTATIO SEXTA, De potentia ſenſitiva in communi.

PRIVSQVAM particularium ſenſuum inveſtigemus naturam, ſenſitivam potentiam in genere meditabimur, quæque aliis ſunt communia ſenſibus ſeorſim ſpeculabimur, ne immoremur in ſingulis, ſingula quæque vitioſe repetamus. Quærimus igitur quid ſenſitiva potentia, non in individuo, non in ſpecie, ſed in genere claudat.

DVBIVM I. *Quid & quotuplex ſit ſenſus externus.*

Circa primum ſic poſſumus ſenſum externum definire. *Potentia cognoſcitiva materialis vix attingens obiectum, niſi actu præſens.*

ſens. Dixi, *vix attingens,* nam ſaltem divinitus poſſet obiectum percipere, licet eſſet abſens, aut omnino deſtructum. Imo naturaliter ſentire poſſet obiectum iam deſtructum per ſpeciem ab eo relictam, & tantiſper conſervatam, ut ſupra dicebamus. Eſt id commune omnibus ſenſibus externis, eoſque diſtinguit ab interno; ergo recte illorum eſſentiam declarat; ſic enim poſſe cognoſcere eſſentiale eſt externis ſenſibus.

Circa ſecundum dicendũ,quinque eſſe ſenſus externos,non plures, nec pauciores, quia tot modi ſunt percipiendi obiectum ſenſibile præſens, totidem etiam organa,ut nemo ignorat;ergo, &c. Moneo,prædictos quinque ſenſus eſſe re & ſpecie diſsitos,quod fiet perſpicuum infra,dum unius cuiuſque organum & ſubiectum aſſignabitur.

Aliquis numerum imminuet. Primo aſſerẽs ſufficere unum ſenſum toto corpore diffuſum, qui cum variis organis varios actus exerceat. Reſpondetur,verum id eſſe in ſententia, quæ non diſtinguit realiter potentias ab anima, ea enim cum variis organis omnes iſtas ſenſationes elicere poteſt;non tamen in ſententia, quæ ipſas realiter diſtinguit, nam ſi ſemel ab anima realiter diſtinctæ ponantur, varietas actuum obiectorum,& modi tendendi in illa, arguit potentiarum varietatem. Neque obeſt quod etſi potentia nutritiva ſit realiter diſtincta ab anima,una tantum ſufficiet ad diverſos actus nutritionis oſsis,carnis,&c.nam iſti termini proxime & intrinſece,& tanquam diſpoſitiones ordinantur ad terminum primarium, qui eſt forma producta eiuſdem ubique rationis: at hic termini variorum actuũ ſunt longe inter ſe diverſi.

Secundo, unicus intellectus percipit omnia intelligibilia; ergo & unicus ſenſus omnia ſenſibilia. Negatur conſecutio, quia intellectus cum ſit potentia perfectione lõge ſuperior,poteſt plura ſub ditione ſua coercere,quam ſenſus, ſiquidem ut dicitur, quæ in inferioribus diſperſa, in ſuperioribus collecta inveniuntur.

Tertio eadem facultas ſentit tactile, & guſtabile, ergo tactus & guſtus non ſunt diverſi ſenſus. Reſpondeo tamen inter ſe diſtingui,quia illorum obiecta, organa & diſpoſitiones ad ipſorum actus ſunt valde diverſa, ut patebit inferius.

Alius vero numerum augebit, nam plus diſtat magnitudo à colore, quam color á ſono; ſed hic vendicat ſenſum diverſum à viſu,ergo & illa;imo & cetera ſenſibilia communia. Negandum tamen eſt, quia magnitudo, & alia ſenſibilia communia, per eandem omnino ſpeciem per quam ſenſibile proprium percipiuntur, atque adeo ab eodem ſenſu.

DVBIVM II.

Dubia quædam circa ſenſus externos.

QVæres primo, An divinitus produci queat aliquis externus ſenſus ab his quinque diverſus.Reſpondeo affirmativè, eſto nonnulli inficientur. Ratio eſt, quia non repugnat produci à Deo aliquas qualitates ſenſibiles alterius rationis ab his, quæ de facto ſentiuntur,ſicut & aliam

diverſam materiam, ut cum Hurtado dixi in Phyſica tract.2. diſp. 4. dub.15. ergo & aliũ ſenſum, quo percipiãtur. Præterea nõ implicat produci aliquẽ ſenſum, quo perci piantur occultæ quædam qualitates corporeæ, quales ſunt virtus magnetis, remoræ, & piperis.

Quæres ſecundo, Quem ordinem dignitatis ſervent inter ſe ſenſus externi. Reſpondeo, ſervare eundem ordinem dignitatis, quem numeri, quo vulgo ſolent numerari, quod ex modo operandi minus, aut magis materiali & elevatiori, & ex vi tendendi in obiectum magis, vel minus diſtans deprehendi poteſt, in quibus præcellit viſus.

Quæres tertio, An omnes ſenſus externi reperiantur in omnibus animantibus. Reſpondeo, tactum & guſtum omnibus animalibus ineſſe, docet vere communis ſententia: quia percuſſa fugiunt, & cibum attrahũt. Ex aliis tribus ſenſibus, uno, vel altero deſtitui videntur quædam inſecta, ut cochleæ, lumbrici, &c. Inter animalia perfecta dicitur talpa carere viſu, & piſces auditu. Primum valde incertum, ut recen tiores probant. Certius ſecũdum, quia non eſt auditus piſci neceſſarius: omnia enim incommoda vitat, vel perſpicacitate viſus, vel tactus percipientis tremorẽ aquę, &c. quę ideo probabiliora videntur, quia piſcis mutus eſt, & in animalibus perfectis cuicumque deeſt loquendi facultas, deeſt audiendi.

Quæres ultimo, An ſenſus externi hominis perfectiores ſint ſenſibus brutorũ perfectione individuali. Diximus trãſacta diſp. dubio 1. ſenſus hominis & brutorum eſſe eiuſdem ſpeciei, modo videndum, an ſint ęquales, vel inæquales perfectione individuali, quæ eſt maior dubitatio, nã ſunt qui velint omnes ſenſus externos hominis eſſe individualiter perfectiores ſenſibus brutorum, tum quia fluunt ab anima ſenſitiva hominis, quæ propter idemptitatem cum rationali perfectior eſt anima bruti. Tum etiam, quia ſen ſus hominis ordinantur ad inven tionem ſcientiarum & ob id ſenſus hominis dici ſolent feneſtræ, per quas rerum ſimulachra ad animam ingrediuntur, & anima ad res ipſas ęgreditur; ergo perfectiores erunt ſenſus hominis individualiter ſenſibus brutorum. Docent tamẽ huius ſententiæ authores hanc maiorem perfectionem individualem non conſiſtere in eo, quod ſenſus hominis ad maiorem diſtantiam percipiant obiecta, neque intenſius in æquali diſtantia, cum in hoc ſuperetur homo à pluribus brutis, ſed in eo, quod homo intra certam ſphærã perfectius percipiat obiecta certæ & determinatæ magnitudinis, & omnes ſingulorum differentias, non quidem ex intentione ſenſationis, ſed ex maiori perfectione individuali: quemadmodũ ſi animi rationales, & eorum intellectus inæquales ſint individuali perfectione, conſequenter eorum actus intelligendi circa eadẽ obiecta erũt inæquales, & unus alio individualiter perfectior: hæc tamen non arridet, nam ſi viſus hominis & aquilę idem obiectum percipiant, & omnes eius differentias, & aquila videt colorem in ea diſtantia, in qua ab homine non percipitur, & clarius in diſtantia æquali, quomodo homo videt diſtinctius & expreſſius?

Reſpondeo ergo cum communi Philoſophia, hominem reliquis animalibus tactu & guſtu excellere, viſu tamen, auditu, & olfactu à multis ſuperari. Suadetur hæc ſecunda pars, quia aquilę perſpicacius vident, talpæ acutius audiunt, vultures, & canes ſagacius, & eminentius odorantur. Priorem partem docuit Philoſophus lib. 1. de hiſtoria animaliũ, capit. 15. & in hoc ſecundo libro, cap. 9. textu 94. & ratio eſt, quia bonitas tactus & guſtus, qui tactus quidam dicitur, provenit ex bonitate temperamẽti, quod præſtantius eſt in homine quam in brutis. Ad oppoſitum reſponde, fluere quidem ſenſus hominis ab anima perfectiore, non tamen in ea recipi, ſed in corpore; nec fluere ab anima iuxta menſuram perfectionis eius, ſed iuxta diſpoſitionem materiæ, quo fit ut non raro homo ad ſcientias aptior præditus ſit imperfectiore viſu, vel auditu.

CAPVT VII.
De viſu.

Acturus Philoſophus de ſenſibus externis in particulari, orditur à viſu, quod cæteris dignitate præluceat, tum ratione organi, quod nobiliſsimum eſt; tum ratione obiecti, quod cum colorem, & lucem complectatur, nõ ſolum ad caduca & ex elementis conflata, ſed etiam ad immortalia, & cœleſtia corpora ſe ſe diffudit; tum poſtremo, ob excellentem cognoſcendi modum, qui à materia liberior, expeditior, certiorque eſt. Duas continet partes præſens caput: in quarum prima agit de obiecto viſus, in poſtrema de medio, rationeque videndi.

Viſibile eſt, &c. Ad primã deveniẽs partẽ, diſputaturus particulatim de his quæ ſub obiecto viſus continẽtur, agit primo de colore quẽ docet comprehendi ſub viſibili in commune. Hoc autem ait, eſſe per ſe viſibile, quia ei per ſe conuenit poſſe ſub aſpectum cadere: convenit autem, non primo modo eorum, quibus per ſe aliquid ineſſe dicitur, ſiquidem viſibile nõ pertinet ad eſſentiam eius, quod eſt adæquatum obiectum viſus, ſed ſecundo modo, quia ab illius natura dimanat. Ita hunc locum intelligunt D. Thomas, Caietanus, & Averroes, tametſi aliter eum interpretentur Simplicius, Themiſtius, & Philoponus. Colorem autem definit. *Motivum perſpicui in actu.* Appellat autem perſpicuum corpus diaphanum illuminatum, & ita cum color ſuas ſpecies immittat per corpus diaphanum illuminatum, merito definitur, Motivum perſpicui in actu. Perſpicuum autem dicit eſſe id, quod ſecundum ſe non eſt viſibile, ſed per colorem externum, quod Toletus explicat ita: Vt licet perſpicuum vel diaphanum ſit illuminatum, non videtur niſi corpore opaco, & colorato terminetur, ideoque ait non eſſe viſibile ſecundum ſe, ſed per colorem corporis opaci. In eodem etiam ſenſu dixit ſubiectum coloris, nempe corpus opacum, ſecundum ſe eſſe viſibile, id eſt nõ indigere externo corpore opaco, in quod viſio terminetur: Et huius exemplum adduci poteſt, nam ut pluviæ guttas inſpiciamus, oculos intendimus in corpus aliquod opacum, vel lo-

cum obſcurum. Definit poſtea Ariſtoteles lumen, *Actum perſpicui ut perſpicuum eſt*; id eſt actum luminoſi. Ex quo deducit lumen eſſe qualitatem, non autem corpus, ut veteres contendebant.

Non enim hoc loco, &c. In poſtrema capitis parte agit de medio, per quod immutatur viſus, & docet neceſſarium eſſe medium, per quod viſus immutetur ab obiecto, nam ſenſibile ſupra ſenſoriũ exſiſtens non cenſebitur, indiget ergo viſus medio interiacẽte perſpicuo in actu. Vnde refellit Democriti ſententiam, aſſerentis videndam eſſe à nobis formicam per cœlum ambulantem ſi totum ſpatium intermedium vacuum eſſet; quod evellit, quia ſenſus non patitur immediate ab obiecto; ſed ſpeciem prius receptam in medio; ergo ſi medium vacuum ſit, nihil per illud videri poteſt. Poſtremo inquit, medium per quod immutatur viſus, eſſe aërem, vel aquam, per quod vero immutatur auditus, aquam.

***

DISPVTATIO SEPTIMA, De potentia, obiecto, & actu ſenſitivæ potentiæ in ſingulari.

DESCENDIMVS iam ad potentias ſingulas in ſpeciali, expendemus ſingula ſingulorum ſenſuum externorum, quinariam complectemur eorum provinciam, Potentiam videlicet, Actus, Obiecta hac unica diſputatione, ut quæ eorum ſunt propria, facilius in promptu teneamus; ſicque viſus naturam ſoni, olfactus, guſtus, & tactus aptius comprehendemus.

DVBIVM I.

De viſu.

DVbitatio prima, quale eſt organum ſeu ſenſorium viſus. Viſus ſenſorium habet artificioſiſsime compactum. Conformatur in globum, quem ſuſtinent duo nervi, quos vocant opticos ad cerebrum pertingentes, & ita ſuſtinentes globum, ut in omnem partem, ad omnia exploranda verſari poſsint. Globus cuiuſque oculi, habet ſeptem muſculos, qui dati ſunt ad motum quo oculus circumferatur, è quibus unus ſurſum, alius deorſum, duo ad dexteram & ſiniſtram, alij duo circumferunt globum, ſeptimus ſuſtinet, illigatque. Habet præterea quinque tunicas, una vocatur *Specularis*, quia inſtar ſpeculi refulget. Huic proxima eſt *Reticularis*, ſic dicta, quia multiplici vena, & arteria ſeu rete intertegitur. Iſti ſuccedit *Vvea*, quæ ſpeciem uvæ refert. Sequitur *Cornea*, quæ eſt inſtar cornu, in laminas tenuiſsimas ſecti, & tranſparentis quale lanteris. Quinta vocatur

tur *Aduata*, ſive *Adhærens*, quia eius munere totus oculus conſiſtit, ſibique cohæret, quæ etiam alba à colore nuncupatur. Intra has tunicas triplicẽ humorẽ cohibet. Primus appellatur *Cryſtallinus*, ſive *Glacialis*, quia pelluciditate cryſtallum, ſeu glaciem ęmulatur, eſtque mollis. Secundus *Vitreus*, vel proprius, quia mollior eſt *Albugineus*. Tertius *Aqueus*, quia aquę ſimilis.

Horum vero compoſitio hunc ordinem inter ſe habere deprehenditur. Eſt oculus, ut dictum, in globum conformatus. Eius centrum tenet humor cryſtallinus, in quo cenſetur eſſe potentia videndi, ut in loco tuto, ad potentiæ conſervationem, & ad viſionem accommodato. Humorẽ cryſtallinum undique ambit tunica ſpecularis. Huius humoris medietas una in humorem vitreum, qui proxime ſequitur, immerſa eſt; altera in eo extat, & quaſi innatat. Deinde humorem vitreum poſteriori parte ambit tunica reticularis, deſinens ubi glacialis humor eminere incipit ſupra vitreum. Hinc duæ ſe offerunt membranæ, nempe Vvea, per cuius foramen humor cryſtallinus, & pupilla cernitur; & à colore huius tunicę, quæ varie intingitur, oculos nigros, cæſios, glaucos, aut alio colore imbutos dicimus. Altera tunica eſt Cornea, quæ totum oculum ambit, & ſplendida, ac diaphana eſt. Inter haſce duas tunicas humor aqueus continetur. Tum poſtremum, atque extimum locum habet tunica adhærens, quæ oculum in propria ſede cohibet, ducens originem à tunica calvariam inveſtiente; unde & pericranium nuncupatur. Concurrunt etiam ad oculi ſtructuram duo nervi, qui optici, ſeu viſorij appellãtur: hi vero à cerebro proficiſcuntur, alter è dextera parte, alter è ſiniſtra: ſed aliquantulum progreſsi inter ſe coëunt, rurſumque antequam oculos ſubintrent, ſeparantur: & quia duplici membrana veſtiti ſunt; interna tenui, & externa dura; ex illis ortum habent duæ tunicæ, Vvea, & Cornea; per eos ſimulachra rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, in communem ſenſum influunt, ſimulque per eoſdẽ à cerebro emicant viſorij ſpiritus, ſine quorum ope facultas cernendi munus ſuum obire nequeat. Hinc eſt oculos vehementer lædi, ſi cerebrum lapide percutiatur: quia ex eius perturbatione plures, aut pauciores ſpiritus fluunt in oculos: ſic deliri, & phrenetici oculis perturbantur; ebrij autem aut omnino non vident, quia vinum male digeſtum innumeram excitat multitudinem ſpirituum, & impellit in cerebrum, è quo redeunt ſpiritus propter crapulam male cocti, & ſic viſionem impediunt, & aliquando efficiunt ut multa duplicata appareant, ut cum arbitrantur ſe videre plures lucernas ſimul collucentes; aliquando vero ſibi videntur omnia videre circumvolui, ſic & ipſi ad parietes hallucinantur: quam ob cauſam cum animantia cum ſe magna celeritate in circulos revolvunt, decidunt in terram: quia cerebro & oculis perturbatis, caput ſuſtinere non valent. Lege Conimbricenſes 2. de Anima, cap. 7. quæſt. 7. ubi probant ſenſationem fieri in humore cryſtallino, & non in nervis viſoriis: quod ſuadent, quia cum aliquando nervi ſint ſeparatiſsimi, ſi viſio fieret in illis, obiecta viſa apparerent du-

duplicis; quia in unoquoque nervo, diſtincta viſio reſideret.

Dubitatio ſecunda, quodnam ſit obiectum viſus? Viſus obiectum eſſe lucem & colorem nemo dubitat. Quid autem lux & color, & an diſtinguantur, quis non videat?

Dico primo. Lux definitur ab Ariſtotele lib. 2. cap. 7. textu 69. *Actus perſpicui, ut perſpicuum eſt.* Corpora quæ ad intimas ſui partes, lucem admittunt, vocantur diaphana, quæ ſecus opaca. Diaphana vocantur viſibilia, interminata; opaca, terminata; ut corpus lucidum videatur requirere dicitur denſitatem. Cur autem lux oculis inſidens non videatur ab eiſdem, (intellige per viſionem directã) rationem reddit Hurtadus, quia hæc eſt natura oculi indigentis ad eam viſionem aliqua diſtantia.

Dico ſecundo. Color definitur ab Ariſtotele ſupra, *Quod movet actu perſpicuum*, id eſt, quod per ſpeciem impreſſam corpus diaphanum immutat; coloris quippe proprium eſt per diaphanum ſolum traiicere ſpeciem, ſi enim obiiciatur opacum interrumpitur: at odor & ſonus per utrumque ſui ſpeciem traiicere poſſunt, tametſi non ſic luce perfuſum. Ab aliis definitur, *Eſt qualitas reſultans ex primis qualitatibus ad ſolum corporis ornatum, & pulchritudinem ſerviens.*

Cõmunis eſt ſententia Philoſophorum, quã tradunt Conimbr. ſupra q. 1. & Hurt. diſp. 17. §. 17.

Dico tertio. Color realis & phyſicus proxime definitus re & eſſentia differt à luce. Breviter ſuadetur. Primo, quia lux eſt productiva lucis, non color coloris. Secundo color eſt ſpecie multiplex, non lux, nullum enim eſt fundamentum, unde diverſitatem ſpecificam lucis, ſicut coloris ſuſpicemur. Tertio, ſæpe lux eſt remiſſa, color intenſus. Quarto, homo ſolis radiis expoſitus colores mutat, & ipſis ſolaribus radiis nigreſcit, cum potius deberet flaveſcere. Vltimo, quia ſi veri colores à luce non diſcreparent, non eſſent ita fixi & permanentes, ſed verſatiles ſecũdum diverſum reſpectum ad lumen, ut de apparentibus ſtatim dicetur, ergo, &c.

Dices. Color definitur à Philoſopho motivũ perſpicui in actu; ſed lux movet perſpicuum producendo in eo ſpeciem ſui; ergo eſt color. Reſponde, colorem ut producat ſui ſpeciem in perſpicuo, ſupponere illud illuminatum, atque ita eſſe motivum perſpicui ut perſpicuum eſt, id eſt ut illuminatum, lumen autem movere medium non illuminatum, ac proinde diſtingui à colore.

Dico quarto. Datur color ſolum apparens, qui non differt à luce. Patet in variis coloribus iridis; ſolum enim ſunt apparentes, nec diſtincti à luce, ea enim ex varia reflexione & modificatione ſubiecti varios illos aſpectus ſubit & efficit, & ex una parte apparẽt colores rubri, ex alia virides, &c. & ex alia omnis color evaneſcit, color autem verus ex quavis parte proportionata inſpiciatur, videri poteſt. Idem cernitur in cervice columbæ, quæ ſoli expoſita varios colores imitatur ob diverſitatẽm lucis eius plumas per fundentis, cuius ſignum eſt, quod amota à ſole cum nativo colore conſpicitur. Quidem recẽtior ait, ſpecies impreſſa & expreſſa illorum colorum, tam proprie illos exprimunt quam veros colores, cur ergo negatur eſſe veros, vel qua ratione explicabitur unde proveniat? Sed ſpecies impreſſa & expreſſa remi partim in aqua immerſi

merſi; tam vere illum exprimit obliquum, ac ſi eſſet,& tamen nõ eſt, ergo, &c. quare cauſa eſt varia reflexio, & affectio lucis ad corpora diverſimode affecta, neque ulla alia aſsignari poteſt;multa enim nobis natura indicat, quorum claram rationem menti occultavit.

Dubitatio tertia. Quid lux & color requirant ut videantur. Dico primo. Ad videndam lucem non eſt neceſſaria illuminatio ex parte medij, unde aliquando per ſolam ſui ſpeciem determinat potentiam. Primum docet Ariſtoteles hic cap.7.textu 72.ubi ait,viſibilia quædam in tenebris videri poſſe,ut ignea & lucentia,& ſuadet experientia; noctu enim ex tenebricoſo loco proſpicitur lux longiſsime diſtans. Toletus negat conſecutionem, quia à luce noctu proſpecta illuminatur medium uſque ad viſum,licet tenuiſſimo lumine,quod ſufficit,ut ſpecies lucis ad potẽtiam perveniat. Contra tamen primo; experimur enim lucem diſtantem noctu eo perfectiua videri, quo mediũ eſt obſcurius, ſecus autem fieret ſi luminis viſio neceſſario illuminationem totius medij requireret. Contra ſecundo,nam lux,quę noctu proſpicitur, ſæpe eſt tam exigua, ut incredibile videatur quod Toletus ait:nec obſtat quod per totum illud medium diffundat ſpeciem intentionalem, nam cum lux ſit cauſa æquivoca ſpeciei, & perfectione ſuperior, maiorem habet activitatis ſphæram ad eius productionem, quam habeat ad eam cuius eſt cauſa univoca. Secundum ſequitur,ex primi probatione, nam ſæpe videtur lux longiſsime diſtans, ſed tunc non determinat potentiam per ſe immediate, ergo per ſpeciem ſui loco immiſſam.

Dico ſecundo. Vt verus color videatur neceſſaria eſt lux. Probatur tum authoritate Ariſtotelis, qui ideo definivit colorem eſſe actum perſpicui,tum ipſa experientia: quis enim unquam colorem videre potuit in tenebris, ſaltem niſi prius per medium lucidum illius ſpeciẽ hauſiſſet? Quod autem vulgo creditur de lince, videre ſcilicet, quæ poſt parietem exſiſtunt, & de aquilegibus, ſeu inſpectoribus aquarũ, quos çahories vocamus, qui aquam in intimis terræ penetralibus latitantẽ inſpicere,& metallorum venas & theſauros ac latentia cadavera in ſepulchris videre ſe fatentur, verum non eſt, ut inter alios ſentit Delrius lib. 1. diſq. Mag. cap. 3. quæſt.4. qui ait, *Venas aquæ noverunt,ex vaporibus mane & veſperi locis illis expiratis,venas metallorum cognoſcunt herbæ quodam genere illic naſci ſolito. Theſauros & cadavera (dicunt enim quæ & qualia) putarim à Dæmonibus oſtendi & indicari.* Ita Delrius. Vel ſi quis autem dicere velit videri hæc à prędictis aquarum inſpectoribus, quod non omnino improbant Conimbricẽſes lib. 2. in cap. 7. quæſt. 9. dicere debet, terram opacam & obſcuram eſſe, non quia nihil prorſus luminis interius ſaltem intra poros habeat, ſed quia id adeo exiguũ eſt, ut pro nihilo habeatur,pręſertim cum ordinarie ſub aſpectum non cadant. Non videre autem aquarum inſpectores aquam ſine aliquo lumine,argumento eſt, quod aquam exploraturi meridianam lucem quærunt, & Solis ſplendorem, quo nimirum è profundo ſpecies hauriant, & ad aſpectum evocent. Quæ ſpecies per aërem

poris terræ contentum forte traiiciantur.

Cur autem lux, aut quomodo neceſſaria ſit ut color videatur, difficile ex licatu eſt. Thomiſtæ exſiſtimant cauſam eſſe, quia lux eſt ratio formalis videndi colorem; errant tamen primo, quia Ariſtoteles hic aſſerit colorem eſſe viſibilem per ſe, id eſt intrinſece, ergo per rationem formalem ſibi intrinſecam eſt viſibilis, non per lucem, quæ illi extrinſeca eſt. Secundo, quia viſiones colorum ſpecie differentium eſſent eiuſdem ſpeciei, cum ratio formalis eſſet eadẽ; ideo enim amores Angeli & hominis propter Deum ſunt eiuſdem ſpeciei, quia ſub eadem ratione formali ferun tur, conſequens vero illud eſt abſurdum. Tertio. Lumen per ſe ſolum videri poteſt; ſæpe enim ſui propriam ſpeciem mittit ſine conſortio coloris; ergo quando videtur cum colore, videtur per propriam ſpeciem & actum, ut quod, & non per eandem indiviſibilem ſpeciem & viſionem ſimul cum colore, tanquam obiectum formale cum materiali.

Dico tertio. Cauſa cur nequeat ſine luce videri verus color, eſt, quia lux eſt neceſſaria conditio ex parte medij ut color ſui producat ſpeciẽ, vel etiam, ſi ita vis, ex parte ipſius coloris. Probatur primo ex Ariſtotele cap. 7. aſſerente, colorem eſſe motivum perſpicui actu illuſtrati, & hanc eſſe coloris naturam: quod nihil aliud ſignificat, niſi colorem non immutare medium productione ſuarum ſpecierum impreſſarum, niſi ſit actu illuſtratum. Secundo, talis eſt natura luminis, ut nequeat producere ſui ſpeciem, niſi per medium diaphanum, & aliquanto rarum; ergo veriſimile eſt talem eſſe naturam coloris imperfectioris lumine, ut nequeat emittere ſpeciem, niſi per medium diaphanum & illuſtratum, atque huius rei, ut bene Hurtadus, nulla datur ratio à priori.

Quidam tamen recentiores, ut exactius, ſuo iudicio, neceſſitatem lucis ad viſionem coloris explicent, ulterius addunt, ad productionem ſpeciei impreſſæ concurrere ſimul lucem ut cauſam univerſalem, & colorem ut particularem, utramque ut ſufficientem in ſuo genere, ſed neceſſario requiſitam, ſicut anima & potentia vitalis ſimul & neceſſario, illa ut cauſa univerſalis, hæc ut particularis, influunt in actum vitalem. Ducuntur, quia Ariſtoteles lib. 3. textu 18. comparat lucem reſpectu coloris cum intellectu agenti reſpectu obiecti intelligibilis; ſed intellectus agẽs eſt cauſa efficiẽs ſpeciei intelligibilis talis obiecti, ergo & lumẽ ſpeciei viſibilis talis coloris. Verũ hoc plane non probatur. Primo, quia lux per ſe ſufficit ad producendam efficienter, licet nequeat illam producere, niſi per medium diaphanum, ergo & color ſolus ad ſuam, licet nequeat ipſam, niſi per medium diaphanum illuminatum producere. Secundo, exemplum animæ & potentiæ ſimul influẽtium in actum vitalem non eſt appoſitum, nam actus vitalis, quia perfectiſsimus eſt, & maxime pendens à principio interno, ut ſuo loco explicatum, petit ad ſui productionem concurſum utriuſque vitæ internæ; in ſpecie autem impreſſa coloris nihil ſimile apparet, cuius gratia concurſus lucis & coloris ad ſui productiené requirat. Tertio, quia locus Ariſtotelis facile

poteſt

poteſt explicari, ita ut ſolū velit requiri lucem neceſſario ad productionem ſpeciei viſibilis coloris, ſicut intellectus agens ad productionem ſpeciei intelligibilis, non tamen eadem omnino ratione, neque enim ſimilitudo in omnibus convenire debet. Lege Conimbricenſes hic. Quarto, ſonus per ſe ſolus efficit ſui ſpeciem, licet forte nō in omni medio; multi enim probabiliter negant poſſe produci & recipi in aqua; ergo & ſolus color ſui ſpeciem, quæ in ſolo medio lucido recipi poteſt.

Dico ultimo. Lux neque ex parte medij, neque obiecti neceſſaria eſt ut viſio coloris formetur. Explicatur, quia ſolum requiritur ut color producat ſui ſpeciem, ergo ſi ſemel ſit ſpecies producta in oculo, tunc naturaliter formabitur coloris viſio ſine illuſtratione medij & obiecti. Confirmatur primo, nam quamvis ſpecies coloris nequeat produci primo ſine luce, tamen ſemel producta aliquātulum perſeverare poteſt in potentia in abſentia obiecti, ergo & in abſentia lucis; atqui tunc adhuc formaretur viſio obiecti colorati & lucidi; ergo. Confirmatur ſecundo. Sicut ſpecies impreſſa coloris conſervata à Deo intime præſens in potentia, quin ei inhæreret, illam determinaret ad viſionem coloris, ita ſi ibi conſervaretur ſine illuminatione medij, & obiecti; ergo ſicut inde ſupra intulimus, non eſſe neceſſe ut ſpecies inhæreat in potentia, ut cum illa concurrat, ita hinc bene inferemus ad formandam viſionem coloris non eſſe opus actuali medij, & obiecti Illuminatione. Denique addo, id quod eſt cōmune colori & luci, obiectum ſcilicet viſibile, ut viſibile directe videatur, requirere aliquā diſtantiam à potentia, eius enim defectu, ut experientia docet, color, & lux oculo inhærens, ab ipſo non videtur directe. Præterea obiectum viſibile requirere aliquam denſitatem, cuius defectu corpus perſpicuum maxime ſubtilis, ut aër, ſub aſpectum non cadit.

Dubitatio ultima, quomodo fiat viſio. Dicunt aliqui fieri per extramiſsionem, id eſt radiis quibuſdam ab oculis ad obiectum emiſsis, ſed ſine ratione. Primo, quia viſio eſt actus vitalis, ergo oritur efficienter à potentia viſiva, & in ipſa manet. Secūdo, quia vix credi poteſt ex tam exigua pupilla radios viſuales quaquaverſum diſpergi, maxime cum aliquibus corpuſculis ſimul, ut iſti authores ſomniant. Quare dicendum eſt, viſionem fieri per attractionem obiecti, nam oculus ab ipſo haurit ſpeciem impreſſam, cuius concurſu format ſpeciē expreſſam, ſeu repræſentationē formalem obiecti in eodē oculo immanentem; cum enim ipſe denominetur vivens, & formaliter exprimens obiectum, eius imaginem formalem in ſe recipere debet, ſicut ignis in ſe calorem, ut calidus formaliter denominetur. Vide Conimbricenſes ſupra quęſt. 5. Præterea viſionem non fieri in uno tantum puncto pupillæ, vel cryſtalloidis certum eſt, nam facultas videndi ut ſupra eſt in parte extēſa, nimirum in cryſtalloide; ergo in tota illa recipitur ſpecies impreſſa, & proinde formatur expreſſa, quia tota cauſa naturalis, poſitis requiſitis, ubicumque eſt neceſſe operatur. Nec contra facit quod aiunt perſpectivi, viſionem fieri per pyramidem radioſam, id eſt per ſpeciem produ-

ctam in oculo ad modum pyramidis, ut bene Conimbricenſes lib. 2.c.7.quæſt.7.art.2.§.Ad tertium. Ex dictis collige hanc definitionem viſus: *Eſt ſenſus externus coloris & luminis perceptivus.*

CAPVT VIII.
De auditu.

NVNC *autem*, &c. Merito poſt viſum de auditu tractat. Secundum enim locū inter cæteros ſenſus externos vendicat,ut progreſſu fiet perſpicuum. Tres autem continet hæc diſputatio partes.Vnam de obiecto auditus, hoc eſt, de ſono directo, ac reflexo, qui dicitur echo: alteram de medio,per quod immutatur auditus: ultimam de voce, quæ quidam ſonus eſt. Docet ergo in prima capitis parte ſonum duplicem eſſe:unum actu, alterum poteſtate. Sonus actu eſt, cum corpora ſonum efficientia actu colliduntur:poteſtate, cū corpora,quę ſonare queunt,non actu collidun tur,ſed potentia tantum. Deinde explicat quonā modo ſonus actu fiat: & cum ſonus duplex ſit, directus, & reflexus, prius de directo, qui neceſſario reflexum antecedit,diſſerit. Docet ergo ad directum ſonum producendum tria corpora concurrere,nimirum corpus percutiens,percuſſum, & medium, quod intercipitur. Id vero ita ſuadet. Sonus reſultat ex ictu, ſeu percuſsione, hæc autem non datur niſi unum corpus percutiat,alterum plagam excipiat, ergo ad ſonum edendum duo exiguuntur corpora. Deinde percutio non fit niſi unum corpus ad alterum loco moveatur; hæc autem motio indiget medio, cum latio non ſit in vacuo; ergo tria corpora ad ſonum concurrũt duo extrema,& unum medium.Docet deinde corpora aptiora ad ſonum efficiendū eſſe dura,lęvia & concava, & ſuperficierum habentium partes planas, & non ſuperemittentes.Dura enim ſibi mutuo obſiſtent, & interclusum aërem ferient, ob huius conditionis defectum corpora lanea non reddunt ſonum.Lævia & ſuperficierum habentium partes planas, aptiora ſunt ad ſonum, quia aër interceptus & percuſſus totus ſimul percutietur, ſonumque faciet. Concava, nam aër intus incluſus poſt ictum ad latera concava repercutitur, ut in tintinabulis videmus. Dicit præterea colliſionem corporum debere fieri motu veloci, nam corpora ſeſe paulatim tangentia,quamtumvis dura ſint, non efficiunt ſonum, quia tunc non reſilit corpus. Demum in fine huius primæ partis diſſerit de generatione Echus, ſeu ſoni reflexi,& ait fieri cum ſonus ex ſono reſultat,id eſt cum aër ictus in corpus quod ei renititur incurrit, cumque ulterius progredi nō poſsit, diſpeſcitur, & diſſultat, ut pila. *Amplius auditur in aëre,&c.* In ſecūda capitis parte docet, medium per quod immutari poteſt ſenſus auditus eſſe aërē & aquā. Vnde quando ſupra capit.7. dixit medium per quod immutatur viſus,eſſe aërem,& aquam;medium vero per quod immutatur auditus eſſe aërem, non voluit ſonum nequire diffundi per aquam, ſed aërem eſſe medium longe aptius quam aqua.Subdit,intra auditum noſtrum eſſe aërem quendam immobilē, ut auditus audiat omnes dif-

differentias ſoni, ſitque inter ſonos dari quendam ſonum gravem, alium vero acutum. Sonus acutus eſt, qui in brevi tempore multum movet ſenſum: gravis vero, qui in multo tempore paucum movet auditum.

Vox autem ſonus, &c. In poſtrema parte agit de quadam parte ſoni in communi, hoc eſt de voce. Vt vero integram vocis definitioné deducat, eius particulas ſingulatim pertractat, & in primis monet, vocem eſſe ſonum animantia. Quod ſi quis obiiciat, tibiá, aliaque inſtrumenta, quibus concentus efficitur, etiam dici vocem edere: reſpondet, iis non proprie, ſed per analogiam vocis nomen accommodari: imo nec omnibus animantibus vocem competere, cum ea careant exanguia, & ex iis, quæ ſanguine prædita ſunt, piſces. Quibus omnibus non com munis cauſa eſt, quia non reſpirant. Vnde etiam natura inſtrumenta eis ad vocem negavit, ſiquidem vox abſque attracti aeris reſpiratione edi nequit. Nec obeſt, inquit Philoſophus, quod piſces Acheloi fluvij vocem emittere videntur. Non enim veram vocem, ſed ſonos quoſdam branchiis, aut ore, vel cauda, aliove eiuſmodi excitant. Hinc aliam definitionis particulam haberi vult, ut nimirum ut vox ſit ſonus animalis reſpirantis. Deinde inquit, duplex eſſe aeris munus, alterum quidem vitæ neceſſarium: alterum ad commoditatem ſolú: quippe neceſſarium eſt aer ad animantium reſpirationem, ut eius acceſſu & reciprocatione cordis calor mitigetur, ac ſimul etiam foveatur: alioqui brevi tempore animal nimio æſtu, ac fervore interierit. Obſervit quoque aer ad vitæ commodum & ornatú, quatenus abſque illo voces & ſermo eſſe non valent: quemadmodum & linguæ duplex eſt uſus: alter neceſsitatis ad guſtandum, alter utilitatis ad vocé. Poſtremo hanc vocis definitionem deducit. *Vox eſt ſonus factus ab animali, media reſpiratione cauſata à pulmone, cum intentione aliquid ſignificandi*: unde ille ſonus per gurgulionem emiſſus, vox dicitur.

DVBIVM II.

De auditu.

DVbitatio prima. Eius organum. Organum auditus reſidet intra aures cartilaginoſas, & mediocriter molles, quia ſi nimium molles eſſent, facile tunderentur, nec aliquem ſonum refunderent; ſi nimium duræ, facile frangerentur. Sunt flexuoſæ, ut labyrinthus, ne ſonus recto impetu ingrediens ſenſum lędat. Sūmum os eſt amplum, & paulatim anguſtatur, ut ſpecies in magna copia exceptæ velut catervatim ingrediantur. In intimo aurium reſidet tympanum, id eſt quædam membrana complectens tranſverſim, quam partem orbicularem cavitatis in qua membrana fit ſonitus ille ſimilis ſonitui campanarum pulſu relicto. Hæc membrana ſtabilitur tribus oſsiculis. Primum refert figuram incudis, innixe duobus penduncul is. Secundum refert malleoli figuram. Tertium ſtapedæ figuram refert. In cavitate membranæ, quæ libera relinquitur ab his oſsiculis, reſidet ſubſtantia quædam, quæ dicitur nativus aer. Sic velatus, vel ne effugiat, aut diffluat, aut vehementi

menti fragore ſolvatur. Tympanum affixum eſt cuidam nervo, per quem ſimulachra ſoni deferuntur ad cerebrum, indeque ſpiritus animales ad auditum devehuntur. In aere inſidet facultas audiendi, quia aptior eſt ad formandam auditionem, & ſufficit. Providit natura viſcum amarum, ne animalcula in aures irrũpentia ſenſum læderẽt. De his erudite, ut ſolent, Conimbric. c. 8. q. 4.

Dubitatio ſecunda, An ſonus ſit obiectum Auditus, & quid ſit. Sonum eſſe obiectum auditus liquet experiẽtia. Sonus varie defi nitur: alij enim aiunt, *Eſſe qualitatem ex colliſione corporum reſultantem:* alij *Qualitatem conſequentem motum, quo ſe corpora colliduñt:* alij vero *Qualitatem afficientem ſubiectum in ordine ad auditum*; quamvis enim non ſemper auditum informet, ſemper tamen illum reſpicit. Duæ priores definitiones declarant naturam ſoni per cauſam efficientem, poſteriorem vero per finalem non primariam, ſi intelligatur ita ſonum reſpicere auditum, ut illum per auditionem immutet, quia patibiles qualitates, ut color, ſapor, odor, ſonus, per ſe primo ſolum afficiunt, & perficiunt ſubiectum, & ſecundario ſenſum immutant.

Hinc colliges primo, ſonum eſſe quid diverſum à motu locali, qui ad illius productionem præ requiritur. Secundo, minime produci per illum motum localem, qui ſolum terminatur ad præſentiam corporum ſe invicem colli dentium, ſed per aliam ortam ab ipſis corporibus mutuo colliſis. Tertio, poſſe formari ſine concurſu trium corporum diſcontinuorum, quorum duo duriora ſint, & tertium interceptum ut aerem dividat, nam ſola virga aerem verberans ſonum edit. Quarto, eſſe qualitatem permanentem, ſed cito labilem, nullo pellente contrario, ſicut de impulſu ſępe dictum. Quinto, non eſſe primam qualitatem, neque ex earum permixtione ortum, ſicut nec lux, neque impulſus, & quidem ſi ex permixtione primarum qualitatum oriretur, nec tam cito evaneſceret, nec tam celeriter per ampliſsimum medium diffunderetur, quia alteratio prævia primarum qualitatum nequit toto illo medio tam cito perfici. Demum, eſſe qualitatem inſenſibilem, quia initio intenſius ſentitur, & paulatim remittitur, donec penitus evaneſcit.

Dubitatio tertia. An ſonus producat ſui ſpeciẽ intentionalem, & quod ſubiectũ ſit utriuſq. capax.

Dico primo. Aliquando ſonus ipſe realis, aliquando ſola ipſius ſpecies intentionalis pertingit uſque ad organum auditus. Primum probatur; ſæpe enim ſonum prope os aurium formatur, & intra organum exſiſtens ſentitur, quin etiam interdum ingenti aeris commotione pervectus auditum lædit, quod nequit præſtare ſola ſpecies intentionalis. Secundum, nam ſæpe diſcernimus ubi factus ſit ſonus, & repræſentatur in ſpatio ab auribus diſtanti; ergo tunc non per ſe, ſed per ſpeciem immiſſam ad organum auditus pertingit. Probatur, quia obiectum ibi repræſentatur, unde ſui ſpeciẽ diffundit, ut conſtat in coloribus; ergo cum ſonus ſępe re præſentetur eminus cõſiſtẽs, inde ſui ſpeciẽ ad potentiam diffundit. Pro hoc plura Hurt. diſp. 12. ſect. 1.

Dico ſecundo. Licet aer ſit ſubiectum aptum ad recipiẽdum ſonum, non tamen ipſe ſolus, nam

pulſu

pulſu aeris campani non ſolum reſultat ſonus, qui aere pervectus ab eminus conſiſtente, quaſi ibi præſens interdum auditur, ſed etiam manet tinnitus in aere campano, quia à prope aſtante, quaſi ibi præſens intra æs percipitur; ergo non ſolum recipitur in aere reſiliẽte, ſed manet etiam in aere, cum ibi repræſentetur. Confirmatur, quia ſi quis manu æs apprehendat, ſtatim ceſſat tinnitus, ergo in ipſo vere exſiſtebat, & non tantum in aere, ut nonnulli aiunt. Hurtadus enim ait, omne aliud corpus denſum præter aerem impedit auditionem, ergo ſolus aer recipit ſonum. Negatur conſecutio, nam etiam corpus opacum inter obiectum & oculos interiectum impedit viſionem lucis, & coloris, & tamen lux & ſpecies coloris recipiuntur in eius ſuperficie, & forte in aliquibus partibus illi proximioribus; idẽ igitur cõtingere poteſt in ſono, ut experientia veriſimile facit. Immo hic

Dico tertio. Sonus, vel ſaltem eius ſpecies intentionalis transfunditur per corpus ſolidum, interdum enim auditur ſonus per intermedium corpus ſolidiſsimũ, ut globum æneum intus aliquod corpuſculum ſolidum continentem, ut experientia liquet. An vero ſonus, eiuſque ſpecies recipiatur in aqua, & transfundatur per eam ad auditum, negat Hurtadus propter conjecturas, quæ rem non convincunt. Quare

Dico quarto. Cenſeo valde probabile ſpeciem intentionalem ſoni per aquam ad auditum poſſe transfundi. Suadetur primo ex Ariſtotele lib. 2. cap. 8. dicente, medium per quod immutari poteſt auditus eſſe aerẽ & aquam. Quando vero cap. 7. dixit, medium per quod immutatur viſus eſſe aërẽ & aquam, & medium per quod immutatur auditus, eſſe aerem, nõ negat ſonum poſſe per aquam diffundi, ſed aerem eſſe medium aptius. Secundo duplici experientia, nam piſces aquis immerſis audiunt ſonum ad ripas loquẽtium & diffugiunt. Dices, piſces non audire, ſed perſpicuitate viſus & tactus omnia incommoda vitare. Contra tamen, quia etſi adſint aliqui ad ripam non diffugiunt donec eorum voces ſonant, quæ ſæpe nullum aquæ tremorem incutere poſſunt. Firmatur, quia piſcatores in captura ſilentium indicunt, ne ab ipſis voces audiantur, ut refert Ariſtoteles lib. 4. de hiſtoria animalium. Et Plinius lib. 10. natur. hiſtoriæ, cap. 70. tradit quoſdam fuiſſe piſces in ſtagno Cæſaris, qui proprio vocati nomine ſtatim aderant, & in quibuſdam vivariis plauſu congregari ſolitos ad cibum. Secunda experientia, nam crepitus ſaxorum, quæ torrentis ſub aquis magno impetu rotantur ab homine longe conſiſtente clariſsime auditur, ergo per intentionalem ſpeciem traiectam per aquam.

Ita ſelecta Cõplut. lib. 2. diſp. 6. Conimbr. q. 2. artic. 1. & alij.

Dubitatio quarta. Quotuplex ſit ſonus, quid vox. Aliqui dicunt ſonum eſſe ſpecie multiplicẽ, quis enim, inquiunt, neget ſonum fidium cytharæ & lignei crepitaculi ſpecie inter ſe diſſonare? Sed negant multi probabilius. Suadetur à priori primo, quia ſonus nõ reſultat ex commixtione primarum qualitatum, ſed ex corporum colliſione medio motu, in quo nõ apparet eſſentialis diverſitas: ſicut impulſus omnes ſunt eiuſdẽ ſpeciei, licet corpora moveantur in diverſas loci differentias; unde ſonum eſſe acutum, vel gravem,

aut

aut erit accidentario, ſicut motum eſſe tardum, vel velocem, vel diſtinctio individualis intra eandem ſpeciem, aliquando etiam differunt penes maiorem vel minorem intentionem. Vide Fonſecam 5. Metaph. capit. 1. ſect. 3. Secundo, quia quam varie iſti ſoni auribus inſonant, tam varie ſæpe apparet lux oculis in ſpeculo, pariete, & iride recepta, & tamen nemo conſtituit lucem ſpecie multiplicem.

Præterea ſonus diſtingui ſolet in directum, & reflexum, fitque quãdo ſonus vel eius ſpecies pertingens ad corpus ſolidum & concavum repercuſſus refunditur ad aures, ad eum modum quo ſpecies reflexa coloris fit quãdo eius directa ſpecies quaſi incurrens in corpus ſolidum, & terſum, ut ſpeculum, remittitur ad viſum.

Hic dubitari ſolet, an echo fiat ſolum per reflexioné ſpecierum, vel potius per reflexionem ſoni ipſius realis. Placet ſaltem plerumque fieri per reflexioné ſolius intentionalis ſpeciei. Tum quia ſæpe ita diſtat locus in quo fit echo, ab eo loco in quo formatur ſonus, vel vox, ut credibile non ſit ad illum pervenire realem ſonum, qui defertur cum motu aeris, maxime cum ſæpe magna ſit aeris tranquillitas, & vox formetur cum exigua aeris commotione. Tum quia non aliter quis reflexe ſe intuetur in ſpeculo, niſi quia ſpecies, quam in illum mittit, repercutitur & refunditur in ipſum.

Ita Mali. 1. p. q. 52. art. 2. diſp. 1. & ſelecta Com plutẽt. diſp. 7. quæſt. 1.

Sonus omnium pręſtantiſsimus dicitur eſſe vox, quæ ab Ariſtotele definitur *Sonus ore animalis prolatus certis quibuſdam inſtrumẽtis cum intentione aliquid ſignificãdi.* Sed quia iſtud de intentione difficile intelligitur in brutis, clarius & facilius definietur vox: *Sonus ore animalis prolatus cum quadam imaginatione.* Hurtadus definit vocem. *Eſt ictus aëris reſpiratione attracti cum quadam imaginatione.* Diſplicet quia vox non eſt ictus, ſed eius effectus cum reſultet ex colliſione corporum.

Dubitatio quinta. Quo pacto vox formetur. In primis quinque potiſsimum inſtrumenta ad vocem formandam occurrunt, nempe, *Pulmones; thoracis, & inter coſtales muſculi; aſpera arteria, larynx;* Gargario. *Pulmones* obſerviunt ad excipiendum aerem, ideoque ineſt eis raritas quædam, & aſsimilis ſpongiis mollitudo, qua ſe contrahũt, & dilatant. *Muſculi* facultate motrici, qua pollent, ſive *Thorax* eorum interventu, compreſſum aerem diverberant, & extrudunt; alioquin neque vox, neque ſonus ullus edi poterit. *Arteria aſpera* eſt via, quæ à faucibus ortum ducens variis cõpacta cartilaginibus per collum in pulmones decurrit, & ut trahere, ac reddere ſpiritũ poſſit, aſsidue patet. Diciturque *Aſpera* ob inæqualitatem; ſicuti & eæ, quæ à corde procedunt, & pulſum denuntiant, leves nuncupantur. *Larynx* eſt caput, ſive ſuperior finis aſperę arterię, quod tranſglutientibus ſurſum fertur, conſtatque tribus cartilaginibus. *Laryngis* verò ſummum oſtium, ne quid cibi, potuſve per id illabatur, contegit membrana cartilaginoſa, oblonga, & fiſtularum linguæ aſsimilis. Hæc vero, cum ſpiritum identidem reciprocamus, ſurſum erigitur. *Gargario,* ſeu *Gurgulio,* qui etiam columella dicitur, eſt caruncula rotunda in extremo palato dependens, ſub qua eſt epiglottis; vocatur quoque uvula,

Præ-

præſertim cum humoris influxione, ad ſimilitudinem uvæ intumeſcit, & inflammatur: Porro hiſce omnibus formandæ vocis inſtrumẽtis, inter quæ pręcipuum eſt larynx, ut docet Ariſtoteles 9. libro de hiſtoria animalium, cap. 2. hunc in modum vox editur. Muſculis thoracis, & intercoſtalibus vehementer compreſſus aër, è pulmonibus per arteriam vocalem confeſtim deducitur, qui anguſta via tractus in aërem in arteria ad laryngẽ uſque, epiglottidis oppoſitu retentũ impingit: hic ad guttur ſummamque arteriæ partem alliſus ſonat, ac vocem effingit, quam, ſi lingula oppoſita non eſſet, formare non poſſet, quia totus ſine percuſsione proſiliret. Confert vero plurimum ad modulandam vocem lingula, & gurgulio, quia vox ad eas partes frangitur, & temperatur, ac pro varietate percuſsionum diverſi moduli & vocum flexiones fiunt, præſertim vero gurgulio quaſi plectrum ad ſuavitatem, & moderationem vocis conducit. Præter inſtrumenta hactenus cõmemorata, alia quoque voci obſerviunt, tametſi priora ad vocem ſimpliciter, reliqua potiſsimum ad rationem dearticulatæ vocis data ſint; videlicet *Lingua, Palatum, Dentes*, & *Labra*. Ex his *Lingua* novem ſtruitur muſculis undique conſtitutis, quos media linea ad dextram, lævamque dirimit: & quia ſummę volubilis eſt, ne ſe nimium in loquacitatem ſolvat, ſubdito vinculo, tanquam habenis coërcetur. Diſtinguit autem lingua ſermonem, ſeu (quod idem eſt) vocem de articulatim format, ut in orationẽ abeat; dum aerem à concavitate arteriæ pulſum, & in amplitudinem oris incidentem, varie frangit, ac pro verborum varietate diſpeſcit, diſtribuitque: ad quod ido nee præſtandum certa temperatura exigitur. Quare ſi lingua humectior, ac mollior ſit, ut in pueris, & interdum in provectioribus balbutiem inducit, eo quod tunc muſculi firmiter nequeant ſtabiliri. Vnde & ebrij aliquando balbutiunt, & turbide loquuntur: tum quia multa humiditate perfunditur cerebrum; tum quia illius multitudine lingua prægravatur. Sed & qui balbi natura ſunt, hi aut cerebrum nimis humectum habent, aut linguam, aut utrumque. *Palatum* vero ad primores dentes extenditur, eſtque multis ſcabrum aſperitatibus, ad detinendam in his vocem, & tum ob alias commoditates, tum ob eam potiſsimum vocem, iuvat, quod cavum ſit, proindeque ad eius latera vocis ictus diu congeminentur. *Dentes* etiam ad vocem magnopere conducunt. Nam ut Plinius lib. 7. naturalis hiſtoriæ, cap. 16. ait, primores denies vocis, ſermoniſque regimen tenent con centu quodam excipientes ictum linguę, ſeriemque ſtructuræ, atque magnitudine mutilãtes, mollienteſve, aut hebetantes verba, & cum defluxere explanationem omnem adimentes. Poſtremo *Labra* magnum uſum præbent formandæ voci, cum verborum, ſyllabarum, literarumque diſtinctio eorum compreſsione, & deductione magna ex parte contineatur. Itaque, ſic nos labris vocum, & ſermonis diſcrimina, ut tibicines digitorum opera, ſpiritum in fiſtulis, & cantus harmoniam moderantur.

Emergit iam illa difficultas, qua ratione Beati poſt reſurrectionem ſint voces in empyreo

 for-

formaturi, ubi nullus creditur eſſe aer. Conimbricenſes ſupra q. 2.artic.2.cum D.Thoma aiunt,in pulmone & gutture Beatorum fore connaturalem quendam aërem à Deo illis in reſurrectione conceſſum, non ob neceſsitatem reſpirandi, aut expirandi, quia illis reſpirationis, aut expirationis uſus neceſſarius non erit, ſed ad voces formandas, quæ modo magis immateriali, quam apud nos,traiicientur per corpus cœleſte, medium Ariſtoteli ignotum, & ideo nullibi inſinuatum. Verum facilius Cornelius à Lapide in primum Geneſis, verſ. 7. cœlum empyreum cum non ſit totum ſolidum inſtar ferri,ut communiter creditur,ne Beatos quaſi muro ferreo impactos eſſe dicamus,ſed ſuum aerē, vel ætherem omni rerum ſpecie ornatiſsimum habeat, per quem Beati ſentiant, reſpirent, & moveantur. Eo itaque aere ad voces formandas uti poterunt.

Rogas tandem,cur non auditur ſonus in eodem inſtanti quo fit,ſicut cernitur lux. Reſpondeo, ſonum ipſo puncto quo fit audiri intra totam ſuam ſphæram, quia in eodem inſtanti per totam illam ſpeciem diffundit. Probatur: nam eodem puncto & momento quo vox à concionatore formatur, à cunctis auditoribus intra ſphæram conſiſtētibus ſimul percipitur, quia tamen ſonus aere pervectus poſtea ſucceſsive diffunditur, ſucceſsive quoque extenditur eius ſphæra,& in novas partes ſucceſsive mittit ſui ſpeciem, in quas non miſerat cum primum colliſione factus fuerat. Hinc eſt ut in his partibus aliquo tempore poſt quā productus fuit, audiatur, quod ideo in viſione lucis,& coloris non accidit,quia in productione ſpeciei habet longe ampliorem ſphæram.

CAPVT IX.
De olfactu.

DE *odore vero, &c.* Aſpectus,& auditus conſideratione ſubſequitur doctrinæ ordine tractatio odoratus propter affinitatem & cognationem, quam hic ſenſus cum illis habet,ut progreſſu fiet perſpicuum.Tria autem ad illum ſpectantia exponit in hoc capite Philoſophus, obiectū, medium,& ſubiectum illius. In primis difficultatem huius rei proponit, dicens, difficilius eſſe tractare de odoribus, quam de colore, lumine, & ſono. Et ratio eſt, quia melius iſta cognoſcuntur, quam odores.Poteſt ergo ratio ſic formari.Scientia ſenſibilium non fit niſi ex præcedenti cognitione ſenſitiva ipſorum,at odores difficilius ſenſu percipiuntur, ergo ipſorum ſcientia difficilior eſt. Minorem ſuadet, quia homo habet malum odoratum, & peiorē, quam multa animalia. Cuius ſignum eſt, quia non ſentit odores, niſi vehementes,qui cauſare poſſunt nocumentum, vel delectationem ſenſui olfactus, quod ſi eſſet boni odoratus, etiam odores non vehemētes,ſed remiſſos,ſentire poſſet. Deinde, propoſita difficultate cognoſcendi odores,methodū tradit,qua facilius cognoſcantur: conſtituitque olfactum cum guſtu magnam ſimilitudinem habere, & odores cum ſaporibus. Eſt enim olfactus ob guſtum animantibus conceſſus: per

ſapores

ſapores ergo,odores cognoſcendi ſunt, nam ſapores notiores ſunt. Suadet autem hominem reliqua animantia in guſtu ſuperare,quia guſtus tactus quidam eſt, videlicet tactus linguæ circa ſapores; ſed homo ſuperat reliqua animalia in tactu;ergo & in guſtu. Minorem probat:quia homo animātes omnes prudentia ſuperat; at una eademque prudentiæ & boni tactus communis ratio eſt,nempe carnis mollitudo. Vnde eos, qui carne molles ſunt,mente & ingenio præſtantes iudicamus: Contra vero hebetes, qui carnem habent duriorem,& craſsipelles exſiſtunt. Demum ſimilitudinem, ſeu analogiam inter ſapores & odores explicat. Ea vero eſt,quod ſicut ſaporū alij dulces,alij amari,alij acres,alij pingues ſunt,ita & odorum totidem numerantur differentiæ, eandemque appellationem magna ex parte vendicant:videlicet quia ſimiliter ſenſum afficiunt. Sicut enim ſapor acer,exempli cauſa,guſtum mordet,ſic odor acer olfactum.

Fit autem olfactus,&c. In ſecunda capitis parte tractat de medio per quod olfacimus, ipſumque aerem, & aquam eſſe docet:& de aere non eſt dubium: quia vero de aqua poſſet quis fortaſſe ambigere,dubitationem removet eo argumento, quia piſces à longa diſtantia ad eſcas accurrunt, quod non eſſet niſi odorarent: quod ſi odorant, neceſſario per aquam odorant, & ſic ipſa medium eſt, ſicut & aer.

Quocirca dubitationem, &c. In poſtrema capitis parte docet,ſubiectum olfactus, dicens, ſenſum hunc, tam reperiri in animantibus reſpirantibus, quam in non reſpirantibus, ut patet de piſcibus. Deinde probat olfactum hominis,& aliorum animantium eſſe eiuſdem ſpeciei, quia in omnibus idem eſt obiectum, nempe tā bene, quam male olentium odor. Poſtremo docet,ſicut organum guſtus exigit temperamentum in quo ſit abundantia humiditatis; lingua enim nimis ſicca perfecte minus percipit ſapores, ut liquet in infirmis; ita è converſo organum olfactus expoſcere ſiccitatis abundantiam.

DVBIVM III.

De olfactu.

Difficultas prima, quale ſenſorium. Olfactus ſenſorium eſt Naſus, homini tantum altior, eminentiorque in facie; quo quaſi tegumento nares occultantur. Hæ autem ad tria munia obſerviunt. In primis ad attrahendum,& emittendum aerem;cuius una pars tracta irrepit in cerebrū, altera in cor,per quædam foramina. Secundo,ad hauriēdos odores. Tertio,ad muſcoſam pituitam expellendam. Vnde omnia recremēta capitis,& cerebri,quadam quaſi eluvie fluūt per nares: & qui ſunt latis naribus, valent capite, pollentque ingenio: qui vero earum meatus habent anguſtos,capite laborant, & alios laborare faciunt perpetuo fœtore,ex rematum eluvie non effluentium afflatu; ſicque ſolent eſſe rudiores. Rheumata enim non purgata mentem hebetant. Porro in ſuperiore extremitate narium, eminent duo tubercula mamillarum ſimilitudine, quæ ob id carunculæ mamillares,ſeu papillares vocantur. Nonnulli autumant carunculas

illas in animalibus reſpirantibus tegi quibuſdam tunicis, eaſque ab Ariſtotele appellari operculũ olfactus, ideoque talia animalia nõ poſſe ſine inſpiratione olfacere. Tales tamen tunicas profeſſores Anathomes minime agnoſcunt, & nomine operculi intelligunt carnem ſpongioſam, quæ cernitur ante tubercula, & reſpiratione dilatatur, & attractione conſtringitur. Iſtis caruncul is duo oſtiola ſubiiciuntur, duobus naſi foraminibus reſpondẽtia, quæ emiſſione aeris clauduntur, aperiuntur admiſsione, ideoque non olfacimus cum reſpiramus, ſed cum aſpiramus. Inde ducuntur duo foramina, per quæ aſcendunt odoriferæ exhalationes, quæ grato odore, aliiſque qualitatibus cerebrum reficiunt, ſicut fœtore inficiunt. Igitur intra carunculas mamillares ſenſum olfactus reſidere patet; tũ quia ſi pars inferior naſi amputetur, non amittitur olfactus, ſecus ſi ſuperiores; tum quia dum occluduntur foramina illa, non percipitur odor. Olfactum ſic recte definies, *Senſus externus odoris cognoſcitivus.*

Difficultas ſecunda de obiecto olfactus. Obiectum olfactus eſt odor, odor vero ſecunda qualitas eſt, naſcitur in corpore ubi ſiccitas, calorque dominantur, & humidum exſiccant. Vnde communis eius definitio eſt, *Qualitas ex attemperatione primarum orta ſiccitate & calore dominante.* Hinc intelligitur puro elemẽto non ineſſe odorem, ſicut neque ulli alteri corpori in quo primę qualitates non permiſcentur. Iam vero ſiccitatem exigi ad odorẽ ſuadet, quod catharrus, & pituita nimia in naribus odorem impediunt, necnon humiditas in herbis ac floribus. Requiri calorem dominantẽ indicat tum calor corporis odoriferi, tum quod frigore langueſcit, & eius vis calore mire excitatur, ſicque corpora odorifera caleſiunt, ut vehementiorem ſuavitatem exhalent. Appoſite Plutarchus, illud de Alexandri corporis narrans, cauſam affert fervidum eius temperamentum: unde aridi & fervidi tractus plurimas & optimas ſpecies edunt. Demum, odores eſſe ſpecie varios experientia oſtendit, eorum alij diutius permanent, ut qui efflant à ſuccino, alij parũ, ut qui ex aquis, ſolent enim aquæ tenues exhalare vapores, cum quibus ipſarum odores evaneſcunt, niſi receptacula in quibus continentur ſint probe obturata.

Difficultas tertia. An obiectum olfactus, ſeu odor mittat ſui ſpeciem intentionalem. Negat Hurtadus diſputat. 12. §. 9. quia odor ipſe uſque ad nares pervehitur, quod duplici ſigno oſtendit. Primo, nam poſtquam res odorifera remota eſt longo tempore intra cubiculum odor permanet, ac ſentitur, ſed ſpecies intentionales obiecti ſenſibilis externi nequeũt in abſentia obiecti tamdiu perſeverare, ut notum eſt; ergo odor ipſe per ſe ad nares pertingit, atque adeo eius ſpecies erit ſuperflua. Secũdo, olfactus non dignoſcit ubinam ſit obiectum odoriferum ſibi vicinum, dignoſceret autem ſi ſui ſpeciem intentionalem emitteret; hæc enim ſuum obiectum, ibi unde mittitur repræſentat, ut liquet in ſpecie coloris & ſoni.

Dico primo. Odor ipſe realis cum odorifica exhalatione ſæpe uſq. ad proceſſus mamillares pertingit. Liquet, quia gratus odor

ſæpe

ſæpe recreat cerebrũ, ſicut gravis fœtor lædit; ſed ſpecies intentionales obiecti neutrum præſtant, ut ſupra dictum, ergo à corpore odorifero emittitur fumoſa exhalatio cum odore aut fœtore, quæ perveniat ad carunculas mamillares, & inde aſcendat ad cerebrum, illoſque pręſtet effectus. Secundo, quia hoc probat primum ſignum Hurtadi.

Dico Secundo. Plerumque odor mittit in olfactum ſui ſpeciem intentionalem tantum. Eſt communis ſententia. Suadetur duplici ſigno. Primo, quia frequenter olfactus percipit odorem eminus conſiſtentem, & eius veſtigemus principium: hinc odoratur canis ex odore ubi lateat præda deprehendit, ergo odor è loco ubi eſt ſui ſpeciem fundit. Secundo, interdum odor cum fumoſa exhalatione ſurſum avolat, & tamẽ deorſum odor percipitur, ergo per ſpeciem emiſſam.

Ad Hurtadum dicea, primum ſignum militare pro dicto noſtro primo. Contra ſecundum eius ſignum militat ſignum primum huius dicti ſecundi.

Medium odoris eſſe aerem & aquam docent omnes cum Ariſtotele in hoc capite; nos enim olfacimus per aerem, piſces vero per aquam, & ita utrumque eſt medium aptum ad ſpecies intentionales odoris ſuſcipiendas. Eſt præterea aer mediũ maxime aptũ ad recipiendam exhalationẽ odoriferam, in qua ſubiectatur odor realis: aqua vero, utpote, quæ maxime eſt contraria tali exhalationi calidæ & ſiccæ, non poteſt ſaltem per multum tempus talem recipere exhalationẽ, ſtatim enim corrumpitur ab aqua, licet pro brevi aliquo tempore que duret alteratio prævia corruptiva, non repugnet exhalationem illam aliquantulum detineri in aqua.

CAPVT X.
De guſtu.

Guſtabile autem, &c. In hoc capite differit Philoſophus de guſtu, & prius de eius obiecto, nimirum de ſapore, & docet guſtabile eſſe quoddam tangibile, & guſtum eſſe quendam tactum, atque ita actionem guſtandi ſicut & tangendi fieri ſine medio externo. Deinde docet ſenſum nequire guſtare guſtabile, niſi ſit humidũ actu, vel potentia, ita ut à ſaliva humectari queat. Oſtendit deinde quid guſtus cum aliis ſenſibus commune habeat, nempe quia ut reliqui ſenſus non ſolum propria ſenſibilia dignoſcunt, ſed etiam ſuo modo eorum privationem; & ut non tantum circa moderata, ſed etiam circa excedentia obiecta verſantur; ita & guſtus non modo ſapidum, ſed ſaporis expers, ſive inguſtabile, & quod vehementem ſaporem habet, cognoſcit. Porro inguſtabile quatuor dicitur modis. Primum ex negatione, quod fieri nequit, ut guſtetur, verbi gratia, color. Secundo ex privatione, quod guſtandi qualitate præditum eſt, habet tamen ad eam obtinendam aptitudinẽ, ut aqua. Tertio, quod minimũ guſtatilis qualitatis poſſidet. Quarto, quod in excedenti gradu, guſtabile eſt. Totidem autem modis & inaudibile, & inſpectabile dicitur. Deinde in organo guſtus ait, exigi humiditatem non nimiam. Demum tradít

ſaporum ſpecies ſeu differentias, docens quemadmodum è colorum ſpeciebus aliæ ſunt extremæ & contrariæ, aliæ mediæ: Ita in ſaporibus, alios extremos & contrarios eſſe, nempe dulcē & amarum, alios medios: & ex his alium huic, alium illi extremo viciniorem exſiſtere.

CAPVT XI.
De tactu.

De tangibili autem, &c. Duo præſtat in hoc capite Ariſtoteles. Primo, proponit aliquas dubitationes. Deinde agit de obiecto medio, & organo tactus. In prima ergo parte dubitat primo, an tactus ſit unus ſenſus, vel plures: negantem partem confirmat ex eo, quia unius ſenſus, unius tantum eſt contrarietatis, ut aſpectus candidi & nigri: auditus gravis & acuti: guſtus dulcis & amari: tactus vero circa plures verſatur contrarietates, nimirum circa calidum & frigidum: ſiccum & humidum, aliaque id genus. Quod ſi quis reſpondeat etiam aliis ſenſibus plures occurrere contrarietates, ut viſui non ſolum atrum & candidum, ſed etiam pulchrum, & fœdum: aliaque eiuſmodi: cum tamen in confeſſo ſit quemlibet eorum ſenſuum unum eſſe: refellit eam reſponſionē: quod reliquorum ſenſuum contrarietates quantumlibet plures videantur, omnes tamen in unam communem rationem conveniant, in tactu vero non ita res ſe habeat.

Dubitat ſecundo. An tactus habeat medium internum, id eſt an caro, quę interna eſt nobis ſit medium diſtinctum ab organo tactus, per quod percipiamus qualitates tangibiles. Reſpondet affirmative, quod ſuadet, nam ſi eſſet organum tactus, maxime quia poſito obiecto tangibili ſuper carnem, ſtatim illud ſentimus: at hęc ratio nulla eſt inquit: nam ſi ſupra carnem apponamus ſubtilem aliquam pelliculam, & deinde ſuperponas obiectum tangibile, ſtatim illud percipimus, ac ſi illa pellicula non mediaret; ſed illa pellicula non eſt organum, quia non eſt pars noſtra, ſed potius eſſet medium per quod obiectum tangibile immutaret tactum; ergo nec modo caro eſt ſenſorium tactus, ſed medium internum.

Vnde dubitat tertio. An ſit in tactu aliquod medium externum, ut in aliis ſenſibus, ut aër, vel aqua. Et reſpondet, inter corpus tangibile, & noſtram carnem mediare aliquid: nam inquit quando duo corpora dura ſe tangunt in aqua, talia corpora humectantur, illa autem humiditas eſt in aliquo, nempe in aqua: ergo mediat aliquid aquæ inter utrumque corpus, tametſi nobis lateat. Ad eundem ergo modum mediat aliquid aeris inter corpus tangēs noſtram carnem, & inter illam, tametſi nobis lateat, quia aer ſubtilior eſt aqua.

Vtrum igitur, &c. In poſtrema capitis parte differit de medio per quod immutatur tactus, & dicit omnes ſenſus immutari per medium externum, quamquam ſit diverſitas: nam guſtus & tactus non immutantur, niſi ab obiectis prope exſiſtentibus, tamen ſemper mediat aliquod imperceptibile aeri inter corpora dura tangibilia & inter tactum; alij vero ſenſus

im-

immutantur ab obiecto diſtanti. Agit deinde de organo tactus, & ait carnem non eſſe organum tactus, ſed medium internum, & ſuadet, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur; ſed poſito corpore tangibili ſupra carnem ſentitur; ergo caro non eſt organum tactus, ſed medium: unde inquit cum obiectum tactus ſint quatuor primę qualitates, organum tactus debet eſſe in potentia ad primas qualitates, quas tangit, quia obiectum agit in potentia, & ita debet eſſe in potentia, ut patiatur ab obiecto, ſicut viſus inquit eſt in potentia ad album & nigrum.

CAPVT XII. De communibus omnium ſenſuum.

HOC *autem*, *&c.* Externis ſenſibus ſigillatim enodatis deducit Philoſophus hoc capite quædam iis communia, & inde aliquas diſſolvit dubitationes. Ad primam partem deveniēs colligit primo, commune eſſe omnibus ſenſibus recipere formas ſine materia. Appellat autem formas ſine materia ex communi interpretum expoſitione ſpecies ſenſibiles; iſtę enim cum ſint quædam imagines obiectorum, gerunt ſpeciem & formam illius, & ita dicit ſuas recipere formas ſine materia, quaſi dicat, potentiam viſivam recipere formam corporis colorati, id eſt ſpeciem, quæ eſt quędam forma repræſentativa illius, non tamen recipere materialitatem ipſius corporis. Quod ſigilli ſimilitudine oſtendit Ariſtoteles; cera enim figuram, imaginemve aurei ſigilli recipit, non ipſam ſigilli materiam, in qua imago eſt.

His non obſtat primo, medium, exempli cauſa aerem, recipere formam ſine materia, cum recipiat ſpecies ſenſibiles; nam Philoſophus nō dixit hoc eſſe proprium ſolius ſenſus, ſed generale eſſe omni ſenſui. Nec obſtat ſecundo, quod tactus & guſtus, ut ex ſuperius dictis liquet, non ſolum typos tactilium & guſtatiliū qualitatum, ſed qualitates quoque ipſas in ſe recipiant, non enim mens Ariſtotelis fuit id negare; ſed aſſerere, ut potentiæ ſenſitivæ externæ functiones ſuas obeant, non oportere univerſim qualitates ſenſibiles recipi in organo: oportere tamen ſenſibilia ſui imagines organis imprimere, eaſque ad eiuſmodi functiones proxime eliciendas concurrere: quidquid ſit de rebus ipſis, quæ eiuſmodi ſpecierum interventu ſub ſenſus cadunt.

Colligit ſecundo, commune eſſe omnibus ſenſibus illud eſſe organum ſenſus in quo eſt potentia receptiva formarum ſine materia, ſeu ſpecierum intentionalium.

Patet autem, *&c.* In poſtrema capitis parte duas diluit dubitationes. Prima eſt, cur excellens ſenſibile, ut præfulgida lux, aut vehemens ſonus, facultatem lædit. Reſpondit cauſam eſſe, quia potentiæ exigunt in ſuis organis proportionem & temperiem primarum qualitatum, quam quia diſſolvit vehemens ſenſibile, qualiter vehemēs calor deſtruit tem-

pe-

periem tactus, ideo, inquit excellēs ſenſibile lædit ſenſum. Secunda dubitatio eſt, cur plantæ nō ſentiant, cum revera vivant. Reſpondet, cauſam eſſe, quia non habent debitam temperiem qualitatum ad organum ſenſus requiſitam. Demum concludit dicens, ſpecies ſenſibiles etiam recipi in medio externo, ſed non ut tales ſpecies ibi permaneant, ſed ut diffundātur uſque ad ſenſitivam potentiam, ad quam informandam per ſe ordinantur, ut illam conſtituant in actu primo ad ſenſationem.

DVBIVM VLT.

De guſtu & tactu.

Difficultas prima. Quid potentia guſtandi, eius actus, & organum? Potentia guſtandi definitur, *Senſus externus ſaporis perceptivus.* Actus vero eius *Senſatio externa ſaporis perceptiva.* Circa organum communis ſententia docet, porrigi è cerebro, per mediam linguam, duos nervos, qui ad linguæ latera uſque ad palatum ramulos diffundunt: hos nervos tegit caro quædam rara, ſpongioſa, meatibus plena, ut per eam poſsint ſapores, vel eorum ſpecies facile ad nervos prædictos, qui nervi guſtatorij dicuntur, pervenire; per hos igitur nervos, ac ramuſculos eorum, tanquam per organum extenſa eſt potentia guſtandi, ut cum Ariſtotele 1. lib. de hiſtoria animalium, cap. 11. & 15. & 1. lib. de partibus animalium, cap. 17. docent tum Medici, tum Philoſophi, ut videre eſt in Rubio tract. de guſtu, quæſt. 1.

Sed quæres, in qua parte linguæ guſtandi vis inſideat. Reſpondent quidam, potiſsimum eſſe ad radicem linguæ. Primum, quia ſaliva, quæ guſtationi plurimum obſervit, ibi generatur: ſunt enim ad radicem linguæ duæ glādulæ carneæ, (Tonſillas vocant) ſalivę generatrices. Secundo, quia illic maiores viſuntur nervi. Contraria tamen ſententia, quam adducit Philoſophus, lib. 1. de hiſt. anim. capit. 11. & lib. 2. de part. anim. cap. 17. verior eſt, nempe in linguæ acumine acriorem guſtū ineſſe: quod experientia liquet. Nam cum cibus ad linguæ radices devolvitur, minus delectat, ideoque ipſum ad linguæ cuſpidem revocamus: ſicuti è converſo cùm aliquid guſtare volumus, id ad inferiores linguæ partes confeſtim deiicimus. Cauſa vero, cur maior vis guſtatoria in linguæ inſit faſtigio, eſt, quia ea linguæ pars mollior exſiſtit, eiuſque nervi, etſi minores, molliores tamen ſunt, & ad ſapores percipiendos magis idonei. Nec obſtat quod uberior ſit ad radicem ſaliva; humoris enim copia, ſi nimia ſit, guſtatum obtundit, ita Conimbricenſes in cap. 10. quæſt. 1. artic. 1. qui addunt cum D. Auguſtino, Damaſceno, & Nemeſio guſtandi vim etſi in lingua potiſsimū inſit, nonnil etiam ad palatum in quod guſtatorij nervi aliquantulum effunduntur. In animalibus lingua carētibus aliquid linguæ reſpondens erit organum guſtus.

Difficultas ſecunda de obiecto guſtus. Obiectum guſtus ſapor eſt, quem Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſibili, cap. 4. definivit, Affectionem, aut patibilem qualitatem factam ab humido aqueo, & ſicco terreo, calore decoquente,

im-

immutativam guſtus ex potentia ad actum. Itaque plerumque ſapor oritur ex ea mixtione primarum qualitatum, in qua humiditas aquea excedit terreſtrem ſiccitatem: hæc autem requiritur, quia eſt materiæ craſsioris, ignea enim ſiccitas eſt valde tenuis; humidum etiam aqueum eſt denſius aereo. Debent autem humiditas, & ſiccitas calore decoqui, videmus enim ſapores frigore perire, quia talis decoctio impeditur. Excedit etiam humiditas, quæ enim ſunt ſimul ſapida & ſicca, non guſtantur donec ab humore ſalivæ humectétur; eſt enim ſaliva, quaſi antecesſorium guſtus & præparamentum ſſporum. Sapor eſt qualitas intenſionis capax, ut experientia guſtus demonſtrat. Multas habet ſub ſe ſpecies, dulce amarum, &c. quas referunt Conimbricenſes in c. 10. q. 1.

Difficultas tertia. An ſapor immutet guſtum intentionaliter ac media ſpecie. Reſpondeo affirmative, ita communis Philoſophia cum Ariſtotele, cap. 12. aſſerente de omni ſenſu eſſe ſuſceptivum formarum ſine materia, id eſt ſpecierum intentionalium, & ponit exemplum in odore, ſapore, & ſono. Ratio peculiaris pro guſtu eſt, quia organum guſtus eſt nervus quidam per linguam diffuſus coopertus carne ſpongioſa, & pelle; ergo ſapor non ſemper attingit immediate organum guſtus, quod maxime verum eſt de ſapore inhærente partibus craſſioribus cibi; hę enim non poſſunt ad guſtatorium nervum pervadere, at nil agit indiſtans, niſi per propinquum, ergo ſapor ſpeciem ſui producit in illo medio, & etiam in guſtu.

Collige curtam eſſe ſphæram activitatis ſaporis ad producendam ſui ſpeciem; eam enim non producit in aëre, nec in aqua, ſed in illa caruncula media, & hoc dumtaxat voluit Ariſtoteles cum dixit, guſtabile non habere medium, extrinſecum nimirū, quale eſſet aër, vel aqua, tametſi habeat intrinſecum explicatum.

Difficultas quarta. Senſorium tactus & obiectum. Senſorium eſt diffuſum toto corpore, ſeu maxima eius parte, nam in tota carne, & maxime in nervis, reſidet facultas tangendi, non vero in oſsibus, ideoque ab Hurtado definitur. *Senſus per totum corpus diffuſus varia ſentiens obiecta.* Obiectum tactus ſunt variæ qualitates. Primo loco omnes quatuor primæ. Secundo, aliquæ ex ſecundis, ut gravitas, duritiea, & mollities. Addunt aliqui qualitatem dolorificam ortam ex diviſione continui, & qualitatē voluptuoſam à primis diverſam, quas tamen alij potius ad obiectum appetitus reiiciunt: ſiquidem ſenſio doloris & voluptatis, actus ſunt appetitus, ut ſupra Conimbricenſes de fame, & ſiti docuere. Ex his formatur clarior definitio tactus, quam illa Hurtadi. *Eſt ſenſus externus perceptivus tactilium qualitatum*; cum enim iam conſtet quænam ſint tactiles qualitates, ſatis, vel certe magis natura tactus exprimitur, quam ſi cum Hurtado dicatur *varia ſentiens obiecta.*

Difficultas quinta. An obiectum tactus per ſui ſpeciem immutet potentiam. Hurtadus diſp. 11. §. 10. negat obiectum tactile, & guſtabile mittere ſpeciem. Primo, quia ſpecies requiritur ut vicaria obiecti, ut illius ſuppleat, vel abſentiam, vel in proportionem ad concurrendum cum po-

tentia; ſed obiectum guſtabile, & tactile, neque eſt diſtans à ſenſu ſuo, nihil enim guſtatur & tangitur, quin ſit phyſice contiguum, neque eſt improportionatum ſuo ſenſui; ergo fruſtra emittet ſpeciem impreſſam. Secundo, Angelus ſuam ſubſtantiam, quia indiſtantem, ſicut Beatus eſſentiam Dei, ſine ſpecie impreſſa cognoſcit; ergo tactus & guſtus ſuum obiectum indiſtans. Conſentio tamen communi ſententiæ, quæ cũctis ſenſibus species tribuit impreſſas. Probabit aliquis, quia eiuſmodi obiectum debet eſſe præſens intentionaliter potentiæ, ſed nequit niſi per ſpeciem intentionalem, ergo. Sed nihil probat, nam eſſe obiectum intẽtionaliter præſens, eſt ita eſſe præſens & proportionatum, ut poſsit concurrere ad cognitiones intentionales, ut patet in divina eſſentia intentionaliter præſenti intellectui Beato ad ſui viſionem intentionalem; ſed obiectum guſtabile & tactile phyſice præſens ſuo ſenſui, eſt ita præſens & proportionatum in gradu eſſendi, ut poſsit concurrere ad intentionales ſenſationes; ergo eſt intentionaliter præſens. Probabit alius, quia iſtud obiectũ eſt nimis craſſum, & propterea requirit aliquam repræſentationem ſubtiliorem, per quam potentiæ coniungitur. Contra, nam tam craſſus eſt guſtus quam ſapor, uterque enim eſt qualitas materialis, ergo iſte erit obiectum illi per ſe proportionatũ. Efficacius probatur pro utroque ſenſu: quia non eſt credibile actum guſtandi & tangendi fieri in ſola ultima ſuperficie cutis; ergo obiecta guſtus & tactus mittunt ſui ſpeciem ad partes profunditatis. Probo conſequentiam; quia ibi non eſt obiectum præſens. Reſpondebis ſufficere, ut in extrema ſuperficie ſui ſenſationem efficiat, ut poſsit eã in profunditatẽ agere; iam enim eſt per illam actionem ſatis contiguum profunditati, ut Sol viceribus terræ per actionem toto medio diffuſam. Sed argumentor, quia lux Solis mittit ſui ſpeciem in oculum ut videatur, tametſi in toto medio, immo in toto oculo lucem producat, ergo & obiectum guſtabile in profunditatem ſui organi, licet agat in ſuperficie. Dices iterum, lucem, quæ eſt in oculis, non videri, quia ad viſionem debet eſſe diſtans, atque adeo quæ videtur, quia diſtãs eſt, indiget ſpecie impreſſa. Verum etiam ſapor ſentitur in profunditate, & ad illam, quia diſtat, ſpecie indigebit.

Hinc ad Hurtadum nego minorem, quia profunditas guſtus & tactus ſentiunt obiectum, cui non eſt contigua. Ratio vero cur ſaltem media ſui parte, vel indiviſibili requirat contiguitatem, ſumitur ex propria horum ſenſuum conditione. Nec enim aliter poterant adverſarij explicare cur olfactus requirat contiguitatẽ cum obiecto, vel intimam præſentiam, ut ipſi aſſerunt.

Difficultas ultima. An guſtus & tactus ſint potentiæ realiter & eſſentialiter diſtinctæ. Pars affirmans patet, cum communi ſententia ut ſupra. Sed contra eam hic difficultas augetur. Primo, ex Ariſtotele, qui ſæpe affirmat guſtum eſſe quendam tactum, & guſtabile eſſe quoddam tangibile. Secundo, quia in modo ſentiendi per contiguitatem maxime conveniunt. Tertio, quia eadem pars animalis, quæ guſtat, tangit. Verũ Ariſtoteles ſumit ſæpe tactum

late

late pro facultate vitali, quæ ut obiectum percipiat, illius contiguitatem requirit,& in hoc ſenſu ait, guſtum eſſe quendam tactum, cum ſimilem contiguitatem obiecti ad ſuum actum requirat. Deinde ait, guſtabile eſſe quoddā tangibile, vel propter rationem inſinuatam,vel quod obiectum ſapore præditum,& ipſius ratione formaliter guſtabile habet comites alias qualitates,quarum gratia eſt formaliter tactile. Deinde viſus & auditus in modo ſentiendi ſine contiguitate obiecti conveniunt, illam enim non requirunt neceſſario,& tamē diſtinguntur. Deinde, quia tactus eſt diffuſus toto corpore animalis,fit ut ſimul cum eadem parte cum guſtu reperiatur.

LIBER TERTIVS, De Anima.

CAPVT I.

Senſum autem, &c. Philoſophi intentum in hoc capite eſt oſtendere quinque tantum eſſe externos ſenſus,neque dari aliam externam facultatem,qua propria & communia ſenſibilia diiudicentur,ut deinceps ad diſputationem de internis potentiis gradum faciat. Id autem ſuadet primo,quia ſi eſſet alius ſenſus externus, vel eſſet diverſæ rationis ab iſtis, vel eiuſdem rationis; non eiuſdem, cum quolibet ſenſu percipiamus omnia ſenſibilia eiuſdem generis, ut viſu omnes colores, & ſic de ceteris; neque diverſæ rationis, quod ſuadet ex diverſitate medij,ut ſtatim dicam, ergo,&c. Secundo, quia nullum eſt aliud ſenſorium ſenſus præter quinque memorata, ergo neque eſt alius ſenſus. Tertio, quia omne quod ſentitur à nobis, vel ſentitur per medium internum, ut tangibilia, vel per externum, ut viſus, &c. tale autem debet eſſe mediū,quale eſt elementum prædominans in organo,ut ſi prędominatur aër, medium eſt aër. Tantum autem eſt duplex medium externum,ſcilicet aqua & aër;terra enim ob ſuā nimiam denſitatem, non eſt medium ſaltem aptum:nam abſolute loquendo aliquis ſonus audiri poteſt medio pariete terreo; ignis vero inquit, aut in nullo prædominatur,aut communis eſt omnibus,quia ſine calore nihil eſt ſenſenſitivum; ſed animalia perfecta in quibus ob ſuam perfectionem debent eſſe omnes ſenſus, habent organa in quibus hæc elementa & non alia prædominantur; ergo nullus eſt ſenſus præter quinque memoratos.

CAPVT II.

Cvm autem ſentiamus, &c. In hoc capite incipit diſputare de ſenſibus internis, ſupponens primo, ſenſus externos non percipere proprias ſenſationes,

nec diſcernere, nec diſcurrere, neque iudicium ferre de diverſitate ſuorum actuum, & obiectorum inter ſe, & ab actibus & obiectis aliorum ſenſuum. Et ex hoc deducit ponendum eſſe ſenſum internum (qui ſenſus communis vocitatu) ad illud munus obeundũ. Antecedens ſuadet, nam operatio ſenſus externi nõ continetur ſub eius obiecto: verbi gratia, viſio cum non ſit color, nec lux, contineri nequit ſub obiecto viſivę potentiæ; ergo operatio ſenſus externi ab eo cognoſci non valet; ergo cum experimento compertum ſit ab animali agnoſci, habebit animal alium ſenſum internum, cuius ſit propria huius cognitio. Præterea oſtendit ſenſum iſtum internum eſſe unum ſubiecto, & ratione multiplicem, & ob id varios actus exercere poſſe.

CAPVT III.

CVM *autem duabus, &c.* In hoc capite docet Ariſtoteles imaginationem, ſive phantaſiam à ceteris ſenſibus & ab intellectu diſcriminari, nã intellectus tantũ cõvenit homini, phãtaſia vero etiã brutis. Pręterea docet, imaginationem eſſe quid medium inter intellectum & externos ſenſus, nam imaginatio non fit niſi ex præcedenti ſenſu, neque intellectio fit ſine imaginatione; oportet enim intelligentem, ut inquit Philoſophus, phantaſmata ſpeculari. Definit autem phantaſiam motum factum in animalibus à ſenſu in actu, id eſt à ſenſu informato ſpecie obiecti.

***

DISPVTATIO OCTAVA, De ſenſu interno.

SENSVVM externorum loco prævia ſuccedit aptiſsime ſenſus interni congrua philoſophatio; mittit namque obiectum ſpecies in externos ſenſus in internos externi; cum ergo externos ſenſus, actus, & obiecta cognoverimus, cognoſcemus in præſenti internam iſtam potentiam.

DVBIVM I.

Quid ſenſus internus, quod eius obiectum.

AIO primo. Negari non poteſt eſſe aliquem ſenſum internum in animali diverſum ab externis. Et probatur primo, quia, ut Anatomici notarunt, ex oculis, naribus, auribus, & lingua uſque ad cerebrum protenduntur nervi quidam, quibus imaginationes rerum ſenſatarum deferuntur ad cerebrum; ergo ibi aliquis ſenſus internus reſidet, qui illis utatur imaginibus. Secundo. *Eſt cõmunis ſententia.*

brutum

Brutum ſæpiſsime cognoſcit res abſentes, quin & nullibi exiſtentes: nam canis locum repetit in quo prius viderat aliquem, aut aliquid abſconderat, illudque interdum quæritat iam neque ibi, neque alio in loco exiſtens: ut ſi abſcondiſſet fruſtrum aliquod carnis, quod ab aliqua fera deuoratum iam fuerit, & in propriam feræ ſubſtantiam conuerſum: ſed cognitio qua tunc ducitur, nequit eſſe ſenſus externi, qui maxime pendet ab obiecto exiſtenti, & maxime præſenti; ergo alicuius ſenſus interni in ſua cognitione minime pendētis ab obiecto actu præſenti. Tertio, ex memoria rerum præteritarum, quia canis memor beneficij, verbi gratia, panis accepti, hero cauda adblanditur, vel ſaltem apprehendens quod poteſt accipere, &c. Igitur ponendus eſt ſenſus internus. Vltimo ex motione appetitus; ſæpe enim internus appetitus animalis movetur à bono ſenſibili non præſenti; ſed iſtud ei non repræſentatur ab aliquo ſenſu externo, ut patet, ergo ab interno. Nunc

Aio ſecundo. Senſus internus definiri poteſt, *Potentia materialis cognoſcitiva obiecti, ſive præſentis, ſive abſentis.* Per ultimam particulam diſtinguitur ab externis ſenſibus.

Aio tertio. Sēſus internus percipit omnia obiecta ſenſuum externorum. Probat primo ratio primi dicti. Secundo, quia bruta recordantur omnium obiectorum, quę ſenſibus externis perceperūt: ut ſaporis, frigoris, coloris, &c. Tertio, quia eadem bruta appetitu ſenſitivo proſequuntur omnia obiecta ſenſuum externorum, etſi actu non exiſtant, vel certe actu non percipiantur ab aliquo ſenſu externo, ergo repræſentantur ei per aliquem ſenſum internum.

Aio quarto. Sēſus internus percipit ſenſationes ſenſuum externorum, licet non ſuas, tum etiam actus appetitus ſenſitivi. Probant aliqui primo, quia beſtia recuſat repetere locum ubi læſa eſt, ergo recordatur ſenſationis, qua malum ſenſit. Non urget ratio, quia ſatis eſt ut apprehendat obiectū, ut diſconveniens. Secundo probant, quia homo recordatur in vigiliis, & in ſomniis prę teritæ viſionis, ergo eā ſenſu interno percipit. Hoc tamen non video unde colligatur: nam recordatio viſionis fiat ne ab intellectu, an ab interno ſenſu, quis diſcernet? Quare cenſeo concluſionem difficillime probari; illā tamen tueor, tum ob communem ſententiam, tum quia nihil poteſt illam efficaciter impugnare. Secundum ſequitur etiam communis opinio ſicut primum, & ſupra ſtabilitum eſt, excedit enim vires potentiæ materialis reflectere proprie ſupra actus proprios. Tertium deducitur ex primi probatione, & confirmatur, quia ſic melius vita animalis adminiſtratur; melius enim poteſt obiecta fugere, vel proſequi, ſi non ſolum obiecta, ſed etiam actus circa illa verſantes attingat.

Aio ultimo. Senſus internus etiam percipit obiecta nunquam antea à ſenſibus externis percepta; ſic enim bruta male affecta quærunt herbas medicas nunquā prius viſas, ut cervus dictamum, quo ſagittas excutiat, & canis herbam purgativam: quibus autem ſpeciebus eiuſmodi obiecta apprehendat, expendendum inferius.

DVBIVM II.

An ſenſus internus ſit unica potentia.

SEnſus internus variis nominibus appellatur, iuxta varios actus. Vocatur ſenſus cõmunis, quia obiecta particularia & præſentia ſenſuum externorũ ut ſibi communia attingit. Phantaſia, quatenus eadem, ſub eadem ratione, abſentia iam, & præterita cognoſcit, & eorum ſimulachra reſervat. Imaginatio quatenus aliquo pacto componit, & diverſa coniungit: poſtquam enim aliqua ſenſibilia cognovit, ea videtur componere apprehendendo unum quid ex pluribus ſenſibilibus externis coniunctum. Aeſtimativa ut eadem obiecta præſentia à ſenſu communi cognita, percipit ſub altiori ratione convenientis, & diſconvenientis. Cogitativa ut eadem cogitat imperfecto diſcurſu, & collatione ſequens diſcurſum intellectus. Memoria, quia præteritorum, ſive obiecta ſenſibilia ſint, ſive eorum ſenſationes recordatur. Reminiſcentia, quia meminit eorumdem præteritorũ cum quadam inquiſitione, vel quia comitatur intellectum humanum cum diſcurſu præterita memorantem. Hinc oritur difficultas, an ſenſus internus in varias potentias realiter & eſſentialiter ſit diſtinguendus. Omiſsis opinionibus, quæ apud Conimbr. hic lib. 3. cap. 5. legi poſſunt,

Ita Hurta. diſp. 17. & plures recentiores. Cenſeo primo. Phantaſia non diſtinguitur realiter à ſenſu communi. Primo, quia unica potentia imaginationis, in communi ſententia, ſufficit ad coniungenda, & quaſi componenda obiecta, ſive præſentia ſint, ſive abſentia; ergo & unica potentia ſenſus cõmunis ad percipienda obiecta ſimplicia, ſive præſentia, ſive abſentia. Secundo. Nulla potentia poteſt apprehendere maiorem convenientiam in uno obiecto quam in alio, quin concipiat utrumque, ut docet Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 78. art. 4. ad 2. hac ratione maxime conſtituens unicum ſenſum communem; ſed ſæpe brutum diſcernit inter obiectum abſens & præſens, & unum alteri præfert; ergo utrumque attingit per unum ſenſum, qui erit communis, & phantaſia. Tertio, quia fragile eſt fundamentum, quo aliqui diſcrimen reale inter iſtas potentias aſtruunt; aiunt enim non debere eandem potentiam recipere & conſervare ſpecies, quia potentia eas recipiens eſt humida, & conſervãs eſt ſicca; hinc enim provenit, ut qui facile res memoria comprehendunt, difficile retineant; atqui ſenſus communis recipit ſpecies à ſenſibus externis, phantaſma eas conſervat, quia cognoſcit iam abſentia. Fragile inquam hoc fundamentum: nam qui facile res comprehendit, eas ſaltem aliquamdiu retinet, ergo ipſa potentia quę recipit ſpecies, eaſdem conſervat. Nec dicas tunc munere phantaſię conſervari, nam per te phantaſiæ propter ſiccitatem eſt facilis diuturna conſervatio; ſed talis conſervatio eſt difficilis illi potentiæ, quæ aliquamdiu ſolum ſpecies retinet; ergo erit opus ſenſus communis, qui mediis illis ſpeciebus, tunc verſatur circa obiecta abſentia, quod pertinere dicitur ad phantaſiam, & conſequenter ipſe erit realiter phãtaſia. Confirmatur

firmatur. Nonnulli ita memoria vigent, ut bonam libri partem ſemel auditam, diu memoria conſervent. Quæro igitur, an diu conſervent ſenſu communi, & ita unica potẽtia recipit facile, & diu conſervat, atque adeo eſt ſenſus communis, & phantaſia: an vero conſervet phantaſia, & ita phantaſia eadem facile recipit ſpecies, & diu conſervat, ergo ad ea duo munera fruſtra ſunt duæ potentiæ realiter diverſæ. Quod vero ſenſus communis aliquando facile amittat ſpecies admiſſas, non eſt in cauſa virtutis illius defectus, ſed mutatio temperamenti; nervi enim præ humiditate facile mutant humorem, aliumque ſuſcipiunt.

Cenſeo ſecundo. Nec imaginatio diſſentit realiter à ſenſu communi. Suadetur primo ex Ariſtotele, qui textu 155. idem tribuit phantaſiæ, quod imaginationi tribui ſolet; ſed phãtaſia non differt realiter à ſenſu cõmuni, ut patet, ergo neque imaginatio. Secundo. Imaginatio concipit plura obiecta ſenſibilia ſimul, & ea quaſi cõponit, ſive abſentia ſint, ſive præſentia; ſed potentia quæ ſimul cõcipit plura obiecta ipſa componenda, prius concipit ſingulas partes ſeorſim, vel certe poteſt concipere, ut liquet in intellectu, qui extrema ſeorſim apprehẽdit priuſ quam componat, ergo imaginatio eſt ſenſus communis, & phantaſia, quia etiam apprehendit ſingula obiecta ſimplicia, ſive præſentia, ſive abſentia. Confirmatur, quia qui concipit ſingulas partes alicuius coniuncti, poteſt totum ſimul attingere per partium ſpecies, ut liquet in ſenſibus externis: nam idem oculus, qui percipit ſeorſim centum homines, poteſt videre exercitum ex illis conflatum; ſed phantaſia poteſt obiecta ſenſibilia ſeorſim concipere; ergo & ſimul ita ut reſultet ſenſibile complexum, quod eſt opus imaginationis.

Cenſeo tertio. Neque æſtimativa differt realiter à ſenſu communi, & phantaſia. Probatur, quia æſtimativa apprehendit obiectum conveniens, vel diſconveniens animali, ita ut movere poſſit appetitum ad illud fugiendum, vel proſequendum; ſed ſi eſt bonum præſens, poteſt apprehendere ſenſus communis, ſi abſens phantaſia, ita ut appetitus moveatur ad illud proſequendum, ergo, &c. Minor probatur, nam ſimplex apprehenſio, ut ſæpe in Logica, poteſt concipere obiectum bonum, vel conveniens, ergo ea cognitio non ſuperat vires ſenſus communis, & phantaſiæ. Si autem iſtud obiectum conveniens apprehendatur, excitabitur appetitus; ſiquidem cõmunis & vera opinio docet ſimplicem cognitionem intellectivam boni poſſe movere appetitum rationalem; poterit enim ſimiliter ſimplex apprehẽſio ſenſitiva movere appetitum ſenſitivum. Vnde totum æſtimativæ munus ſub facultate ſenſus communis continetur.

Cenſeo quarto. Idem ſenſus communis eſt realiter Cogitativa, Memoria, & Reminiſcentia. Primum patet. Nam ſenſus communis poteſt apprehendere plura obiecta ſenſibilia ſeorſim, & coniunctim, ergo & cum ordine quodam, nimirum unum prius, aliud poſterius, ergo & cogitativa. Secundum, quia ſenſus communis recordatur obiectorum præteritorum, quæ ſemel præſentia percepit, ut patet ex dictis; ergo eſt me-

memoria. Tertium, quia idem ſenſus communis poteſt recordari præteritorum cum quadam inquiſitione & ſucceſsione ex uno obiecto in aliud, ſicut poteſt recordari ſimpliciter ſingulorum obiectorum, quæ prius ſenſit; ſic enim eadem potentia intellectua, quæ recordatur ſimpliciter præteritorum, poteſt recordari cum ſucceſſione quadam & diſcurſu ex uno obiecto in aliud. Præterea idem ſenſus communis poteſt comitari intellectum humanum præterita memorantem, ſicut & diſcurrentem, & ita eſt cogitativa, ut dictum, ergo eſt realiter reminiſcentia.

Cenſeo ultimo. Vnicus dumtaxat eſt ſenſus internus, qui ob varia munera, varia nomina ſortitur. Hic eſt ſenſus cōmunis. Confirmatur, quia ſi aliquis ſenſus realiter diverſus à communi eſſet ponendus, maxime ut ferret iudicium de obiectis ſenſatis, ſed tale iudicium eſt omnino extra ditionem potentiæ materialis ſenſitivæ, ergo, &c. Minor probatur. Tum, quia iudicium formale dicit diſtinctam cognitionem extremorum, & poſtea expreſſam convenientiæ unius cum alio notitiam, eiuſque affirmationem, in quo aliquid reflexionis ſublucet. Tum etiam, quia ſequeretur poſſe brutum unum de alio affirmare, quæ illius captum excedunt. Nec dicas cum Conimbricenſibus cap. 3. quæſt. 2. artic. 2. concluſione 2. in hominem poſſe phantaſiam ex defluxu rationis componere, dividere, & diſcurrere; id enim falſum iudico, ſi proprie intelligatur, quia ſenſus internus eiuſdem rationis eſt in homine, ac in bruto, ut probatum, ſed in hoc nequit ea præſtare proprie, ergo neque in illo.

Obiicitur primo, reperiri in capite tres cellulas & cavitates, quę videntur tria organa; ex quorum diverſitate argui videtur diſtinctio potentiarum. Reſpondeo, nō ſatis conſtare, cui ſint uſui illę cavitates; utrum ad generandos ſpiritus, an ad evacuanda cerebri excrementa, quibus inveniuntur plenæ; an vero ad uſum inſpirationis, & expirationis cerebri, ut vult Galenus lib. 8. de uſu par. quovis tamen modo, eſt unica ſedes integra, & organum unius facultatis ſenſitivæ internæ, quæ omnia illa ut unicum & totale organum exigat, ut ſic per illas diverſas partes diverſis actibus ſerviat. Vnde ſimiliter licet aliquando ſenſus internus lędatur quoad unam operationem, & non quoad alias (videmus enim quibuſdam ex morbo memoriam evanuiſſe, recta apprehenſione manente. De quo vide Conimbricenſes cap. 10. quæſt. 1. artic. 1.) non inde tamen colligitur eſſe diverſas facultates haben es organa diverſa; ſed eundē ſenſum internum habere plures actus exigentes diverſam temperiem, poſſeque in eadem, vel diverſa parte cerebri lædi temperamentum ad unam operationem requiſitum, & minui, vel augeri requiſitum ad alteram, ſicut in nutritiva facultate intra ventriculum poteſt una operatio impediri, verbi gratia, retentio, attractione manente ſana; non enim quævis tēperamenti mutatio, quæ vitiare poteſt retentionem cibi, ſufficiens eſt advitiandam eius attractionem.

Obiicitur ſecundo. Organa ſenſus communis, & memoriæ exigere diſpoſitiones contrarias; ille enim humiditatē requirit ut recipiat

cipiat, memoria vero ut retineat, ſiccitatem; ergo diſtinguuntur facultates. Reſpondeo primo, cerebrum in nulla ſui parte requirere eximiam ſiccitatem, quæ potius cerebrum lædit. Secundo, antecedens ad ſummum eſſe verum de receptione & retentione alicuius qualitatis realis, non vero intentionalis, ſcilicet ſpeciei. De huius receptione probatur, quia ea producitur in inſtanti in ſubiecto capaci, ſive humidum ſit, ſive ſiccũ; at eodem pacto quo ſenſus communis recipit ſpeciẽ obiecti præſentis, recipit eam memoria, quod ex eo liquet, quia licet per inſtãs fuerit præſens obiectum, poſtea eius recordamur; ſi vero ſimul nõ produceretur ſpecies illius in ſenſu & memoria, ſolum recordaremur eorum, quę per aliquam moram temporis præſentia habuiſſemus, quod non eſt ita. De retẽtione ſpecierum probatur, quia ſpecies ſenſus interni, nec habet contrarium, nec pẽdet in conſervari à ſuo agente, ergo poſſunt facile retineri.

DVBIVM III.

De ſpeciebus, & ſubiecto ſenſus interni.

CIrca primum dico primo. Sẽſus internus requirit ſpecies impreſſas diverſas à ſenſuum externorum ſpeciebus. Prima pars probatur. Senſus communis format repræſentationem formalem obiectorum ſenſibilium & ſenſionum externarum; ſed nequit ad ea determinari per obiecta ipſa, & ſenſiones externas; tũ quia ei minime cõiungũtur immediate; tũ quia plerunq; nõ ſunt, ut cũ phantaſia ſenſorũ, ac ſenſionũ præteritarum recordatur; ergo requirit neceſſario ſpecies vice obiectorum. Confirmatur ex inſomniis hominis & bruti; nam compertum eſt canem ſomniare; ſed ſenſus internus tunc nequit immediate excitari ad illas cognitiones per obiecta ipſa, neque per actus ſenſuum externorum; hi enim tunc ab operatione vacant; ergo, &c. Secunda pars patet, nam ſpecies impreſſæ ſenſuum externorum, vel nullo modo, vel certe non niſi breviſſime conſiſtunt ſine præſentia obiecti; ſpecies ſenſus interni diutiſſime conſiſtunt; ergo ſunt diverſæ rationis.

Dico ſecundo. Species ſenſorum & ſenſionum externarum imprimuntur ſenſui interno, à ſenſationibus externis. Suadetur, quia ut conſtat, ea omnia cognoſcit ſenſus internus communis; ſed non eſt aliud agens, à quo eorum ſpecies imprimi poſſint; ergo à ſenſationibus externis, quæ cum ſint imagines obiectorum, eorumdem poſſunt ſimul & ſui ſpeciem imprimere. Quare omnis ſenſatio externa ſpeciem duplicẽ imprimit ſenſui interno. Confirmatur ex nervis illis ſenſoriis ductis à ſenſibus externis ad cerebrum, ut illuc ad ſenſum communẽ invehãt ſimulachra ſenſorum.

Eſt nunc difficultas, ſint ne in ſenſu interno, maxime bruti, ponendæ ſpecies inſenſatæ, id eſt obiectorum, quæ brutum cognoſcit nunquam, aut certe non prius aliquo ſenſu externo percepta. Negat abſolute Hurtadus diſp. 12. & diſputat. 17. ſect. 8. ubi contendit contra aliquos non bene æſtimativam poni realiter diſtinctã à ſenſu communi, quod ipſa mo-

veatur per ſpecies inſenſatas, quia nullus ſenſus percipit obiecta pri' inſenſata, neque habet tales ſpecies. Fateor tamen ad multas bruti cognitiones, ad quas multi Au tores ſpecies inſenſatas requirũt, non eſſe neceſſarias, ut bene Hurtadus.

Dico tamen tertio. In ſenſu interno bruti admittendæ ſunt ſpecies inſenſatæ, eæque à Deo immediate impreſſæ. Prima pars docetur à Salas 1.2. quæſt.1. tract.1. diſputat. 4. ſect.5. num. 76. cum Vazq. ibidem, diſputat. 3. capit. 1. Ratio eſt, quia, ut ſuperius dicebamus, ſæpe animal cum male habet, quærit herbam purgativam, quam nunquam prius vidit; ergo per ſpeciem inſenſatam; aliud enim intelligi nequit. Secũda pars ſuadetur: nam eiuſmodi ſpecies non hauriuntur ex obiecto, ut liquet, neque naturaliter emanant à natura bruti, nam neque ſpecies Angelicæ non hauſtæ ex obiectis à natura Angeli emanant, ut communiter aiunt Theologi, ergo immediate imprimuntur à Deo, cuius providentiæ maxime conſonum eſt, mediis his ſpeciebus ſæpe naturæ bruti providere, cum neque diſcurſu, neque ſenſatione externa ſibi conſulere poſsit, ut facit homo. Idem confirmat naturalis inſtinctus in brutis adeo mirabilis, ut aliquod veſtigium rationis imitari videantur. Vide Salas de inſtinctu brutorum à numero 71.

Circa ſecundum dico primo, Senſus internus in cerebro eſt, nõ in corde. Ita Hurtadus num. 9. cũ Galeno. Probat Hurtadus multis rationibus ductis ex anatomæ, & experientia, præcipue illa, nam bruta extracto corde, aliquantiſper reſpirãt, fugiunt, & clamant, ut experimento oſtendit adducto ex Galeno; atqui omnes iſti effectus pendent ab imaginatione, nam vox eſt ſonus ex ore animalis prolatus cum imaginatione, & motus illi potentiæ loco motricis imaginatione diriguntur; ergo imaginatio non reſidet in corde, à quo tunc nullo modo illi effectus pendent. Sed hæc ratio poſſet enervari ex doctrina Galeni, quam probat Hurtadus §. 55. & 56. eſſe nimirum quoſdam nervos ductos à corde ad cerebrum, à quibus ita pendet vox, ut illis alligatis, vel præciſis ſtatim pereat vox animalis; poſſet enim quis arguere. Per te vox animalis pendet mediis his nervis à corde, atqui nihilominus eo eventu animalia interdum clamant, ergo eadem cauſa, quæ tunc efficiebat ipſorum clamorem, independenter à corde, poterat efficere eundem motum independentem ab ipſo corde.

Probatur expeditius. Primo, nam defatigatio, quæ oritur ex frequenti & aſsiduo actu imaginationis intellectum diſcurrentem comitantis, non ſentitur in corde, ſed in cerebro, ergo imaginatio in cerebro eſt. Confirmatur, quia ad ſanandam imaginationem vitiatam, vel phræneſi læſam medicamenta capiti adhibentur, ut Galenus. Secundo. Ex oculis, auribus, & naribus protenduntur nervi ſenſorij in cerebrum, quibus traiiciuntur ſpecies impreſſæ ad ſenſum communem; ſed iſti nervi non diriguntur ad cor, quia ſiſtunt in cerebro, ut anatomia docet; ergo neque ad illud traiiciuntur ſpecies, atque adeo ſolum ſerviunt cerebro, ſeu ſenſui communi in ipſo reſidente.

Roga-

Rogas, In qua parte cerebri reſideat? Reſponde, id incertum eſſe. Veriſimilius tamen videri, ait Rubius, eſſe in duabus concavitatibus, quæ cernuntur in parte cerebri anteriori ſupra concavitatem oculorum: tum quia ille ſitus videtur accommodatior, tum quia illuc confluunt nervi.

Dico ſecundo. In animantibus imperfectis, quæ ſecta vivunt, probabile eſt ſenſum communem eſſe diffuſum toto corpore. Ita Conimbricenſes quæſt. 1. art. 2. Ratio eſt, quia una pars diviſa ab aliis movetur, & ſi pungatur, cōtrahitur; atqui motus ille & doloris ſenſus pendet ab imaginatione, ergo ibi reperitur. Dixi eſſe probabile, nam forte ille motus referri poſſet in ſpiritus animales alteratos, ut ſuperius diximus.

DVBIVM IV.

De appetitu ſenſitivo.

Appetitus hîc eſt potentia affectiva materialis; affectiva potentia eſt, quę proſequitur bonum, & fugit malum: in quo hic appetitus convenit cum voluntate, à qua differt per differentiam rationalis.

Dico primo. Appetitus ſenſitivus datur in bruto & in homine. Suadetur prima pars experientia, nam brutum vere appetit bonum, & malum fugit; inde enim eſt ut ad ſua commoda magno impetu feratur, & ab incommodis retrahatur; ergo appetitu ſenſitivo. Secundo. in bruto eſt ſenſus communis repræſentans conveniens, & diſconveniens illi, ergo & appetitus, quo erga unum afficiatur, & ab alio abhorreat, ceteroqui manca foret natura animalis, ſi inſtructa eſſet principio cognoſcendi bonum & malum, illudque nec proſequi, nec fugere poſſit. Secunda pars conſtat fide, nam hic appetitus eſt lex membrorum, quam docet Apoſtolus repugnare legi mentis. Hic eſt quatenus rationem prævenit, & bonum illi contrarium concupiſcit, ille fomes peccati, qui ut Tridentinum ſancit, nobis ad agonem relictus eſt. Præterea ratione, tum quia ceteræ omnes potentiæ naturam ſenſitivam conſequentes in homine reperiuntur, tum quia inde in homine frequenter tam vehementes ad bona ſenſibilia rationi diſſona impetus, quos vix ratio frenare poteſt. Poſtremo, quia motus hominis dormientis ab huius appetitus imperio procedere communiter exſiſtimatur.

Dico ſecundo. Obiectum adæquatum appetitus ſenſitivi eſt omne ens materiale & ſenſibile: formale vero eſt appetibilitas, vel ens, quatenus attingi poteſt ab appetitu ſenſitivo. Non dixi obiectum formale eſſe bonitatē, quia bonitas eſt ſpecificativum actuū proſecutionis, malitia vero fugę, ergo obiectum adæquatum appetitus non eſt ſola bonitas, ſed aliquid à bonitate & malitia præciſum, quod nihil aliud eſt quam appetibilitas. Vide dicta in Phyſica diſputat. de cauſa finali, dubio 3.

Dico tertio. Nullus appetitus elicit actum ſuum media ſpecie determinante, vel ad ipſum efficienter concurrēte; tum quia ſpecies ſolum datur potentiis repręſentativis ad eliciendam ſpeciem expreſſam, qualem nullus elicit appetitus, qui non trahit ad ſe

obiectum, ſed fertur in illud impetu quodam, in quo conſiſtit eius actus, qui ob hoc ſolet etiam vocari impulſus, & pondus; tum etiam quia ſufficienter determinatur appetitus in ſuum actum, propoſito obiecto per cognitionem.

Dico quarto. Vnicus tantum datur appetitus internus ſenſitivus. Probatur primo, quia unicus datur ſenſus internus; igitur unicus appetitus internus, nam potentia appetitiva cognitioné ſequitur; ſic enim quia unicus eſt in homine intellectus, una eſt voluntas; quia tamen diverſa munera obit diverſa nomina habet, nam ut verſatur circa bona ſenſibilia comparanda, dicitur concupiſcibilis, quatenus circa arduũ ſuperandũ, iraſcibilis. Vnde probatur ſecundo, nam iſta duo obiecta propter quæ duos appetitus realiter diſtinguunt aliqui, ſunt connexa, ergo unica potentia. Ex actibus appetitus, qui à Philoſophis paſsiones vocantur, alij feruntur in bonum proſequendum, alij in malum fugiendum. At bonum, aut malum dupliciter ſumi poſſunt: Primo, ſecundum ſe. Secundo quatenus habent rationem ardui, & difficilis, ſive ad conſequendum, ſive ad fugiendum. Circa bonum & malum primo modo, verſantur paſsiones appetitus dicti cõcupiſcibilis, quæ ſunt ſex, amor, & odium; deſiderium, & fuga; delectatio, & triſtitia. Bonum enim & malum ſecundum ſe, & abſtrahẽdo à ratione abſentis, aut præſentis, excitant amorem boni, odium mali. Bonum vero ut abſens movet deſiderium ſui. Malum ut abſens, & immineus, fugam, & abominationem: bonum autem præſens & poſſeſſum delectationem parit, circa malum præſens triſtitia verſatur.

Circa bonum & malum ſecundo modo verſantur paſsiones appetitus iraſcibilis, quæ ſemper ſupponunt aliquem actum ex præcedentibus, iraſcibilis enim eſt, quaſi propugnatrix concupiſcibilis, vincens difficultates, quæ con ſecutionem boni impediunt, & fugam mali. Hinc oriuntur quinque paſsiones, ſpes, & deſperatio; audatia, & timor, atque ira. Si bonum abſens ſit, & difficile ad conſequendum, atque arduum oritur ſpes; ſi vero apprehendatur tale bonum ut impoſsibile, oritur deſperatio. Circa malum fugiendum difficile & arduum, verſatur timor, & audacia. Tandem circa malum præſens, & difficile ad pellendum, verſatur ira, quæ eſt triſtitia mali ardui.

Dico quinto. Appetitus iſte in corde eſt. Ita Ariſtoteles, & Galenus. Negat Hurtadus ſupra ſect. 11. ubi ei ſicut imaginationi ſedem aſsignat in cerebro. Probatur tamen ſimili argumento, quo Hurtadus cum aliis ſedem imaginationis in cerebro probat: nã ſicut ex nimio conatu ad actum imaginationis incaleſcit caput, & dolet, ita ex vehementi affectu amoris & iræ cor æſtuat, & langueſcit, & nonnunquam uſque ad interitum hominis alteratur; ergo ſicut illinc deducitur ſedes imaginationis in cerebro, ita hinc ſedes appetitus in corde. Firmatur: quia homini prænimio affectu æſtuanti, pectori, non capiti medicamenta applicantur.

Dico ſexto. In animantibus imperfectis, quæ ſecti vivunt appetitus fuſus eſt toto corpore ſicut imaginatio. Oſtẽditur eadem ratione qua ſupra de imaginatione: quia nimirum animalia iſta

poſt

poſt ſectionem motu animali moventur, & ſi pungantur, non ſolum contrahi, ſed indignari videntur;id autem ab appetitu pendet; ergo ſignum eſt ipſum in partibus diviſis fuiſſe relictum.

Non omittam hic quod Hurtadus diſputat.17. ſect.11. probabiliter opinatur, nimirum diverſis ſenſibus externis diverſos quoque appetitus externos reſpondere, quia ratio boni eo modo, quo cognoſcitur eſt appetibilis à cognoſcente;ſic enim quia ab homine bonum delectabile cognoſcitur intellectu,interno appetitu rationali & ſenſitivo interno appetitur. Vnde cum detur bonum, verbi gratia, viſibile, quod ſenſu peculiari externo cognoſcitur, alio appetitu externo peculiari ei reſpondente appeti debebit. Itaque ſicut lux viſu percipitur, deinde ſenſu communi, & poſtea intellectu,ita etiā appetitu viſuali,deinde cōmuni interno, poſtea intellectuali amabitur. Quod ſi hoc verum eſſet, forte non oporteret ſenſum communem, & appetitum internum eſſe diſperſum toto corpore in animalibus, quæ ſecta vivunt, nam motus quos in eorum partibus cernimus,ſenſibus & appetitibus externis poſſet aſcribi. Non arridet primo, quia potentia viſiva non apprehendit ſuum obiectum ut bonum & conveniens,ergo non eſt ſufficiens ad movendum appetitum. Conſequentia eſt bona, quia iſte non movetur niſi à bono ut ſic cognito. Secundo,quia ad omnes illos effectus ſufficit idem appetitus internus, nō multiplicatus, ergo fruſtra multiplicabitur appetitus pro numero ſenſuum externorū. Deinde quia appetitus ſenſitivus neceſſario comitatur rationem animalis, quæ etiam in homine reperitur,& coniungitur cum rationali, ergo ſicut unus rationalis eſt ſufficiens ad omnē illam varietatem affectuum, ita & appetitus ſenſitivus ad varietatem obiectorum,quæ à ſenſibus externis percipiuntur.

DVBIVM VLT.

De potentia loco motiva.

Potentiam motivam dari compertum eſt, de ea hîc agimus, ut omnia, quæ ad animam ſenſitivam ſpectant, pertractemus.

Dico primo. Potentia locomotiva animalis realiter diſtinguitur ab eius ſubſtantia,& ab appetitu,& imaginatione,eſt quæ virtus effectiva motus. Diſtingui à ſubſtantia animalis patet ex dictis ſupra de cæteris potentiis. Et inſtatur in virtutibus motivis rerum inanimatarum,gravitate, levitate, & impulſu, quæ realiter differunt à formis ſubſtantialibus,atque ita Ariſtoteles dum lib. 2.cap.3. numerat quinque genera potentiarum animæ,exprimit loco motivam. Differre ab appetitu,& imaginatione probatur,tum experientia;videmus enim in nobis aliud cogitantibus & appetentibus,fieri aliquos motus, ut cum quis non advertens movet digitos: tum ex diverſitate organorum virtutis motivæ ab aliis. Denique,quia extra appetitum exercetur motus progreſſivus a ſ imaginatis,ergo talis motus non eſt operatio appetitus.Conſequentia patet, nam actus appetitus eſt immanens,ergo non habet effectum extra

Ita Suarez diſputat.18. Met. ſect.3. nu. 41. Conimbr. c.13. q.5.art.3.

extra organum facultatis à qua oritur. Demum hanc potentiam eſſe qualitatem activam & effectivam motus, inde probatur, nam hęc eſt vitalis facultas, utpote animæ ſentientis, at de ratione potentiæ vitalis eſt eſſe activam ſui actus: tum etiam quia hæc virtus perfectior eſt virtutibus motivis non viventium, quæ tamen ſunt effectivæ motus localis. Cum vero Ariſtoteles docuit principium motus animalis eſſe imaginationem & appetitum, non intendit excludere potentiam iſtam motricem.

Dico ſecundo. Actus huius potentiæ, nempe motus localis, productivus eſt pręſentiæ localis. Liquet ex ſæpe dictis tam in Logica, quam in Phyſica. Eſt etiam vitalis, ut probatum diſput. 3. huius tractatus, dubio 6.

Dico tertio. Voluntas applicare poteſt potētiam motricem ad motum etiam contradicente appetitu: Appetitus item poteſt applicare potētiam motricem, tametſi voluntas non applicet illam, dummodo non repugnet efficaciter. Prima pars ſuadetur: quia ſæpe repugnante appetitu, & appetente oppoſitum, voluntas intellectum ſecuta movet membra externa ad motum. Ratio ſumitur ex natura voluntatis, quæ in homine eſt movens ſupremum & potentiſsimum. Secunda pars oſtenditur, nam appetitus non ſemper actum voltātatis ſequitur, nec ſemper ei ad nutū obedit, ſed poteſt voluntate intēta alicui actui habere actum circa aliud obiectū, ad quem actum, nec movet voluntas, nec eidem contradicit; ergo poterit appetitus per iſtum actum applicare potētiam locomotivam ad motum: & ſic forte accidit dum quis dormiens ſurgit, ambulat, aliaſque actiones exercet. Addidi, dummodo voluntas nō repugnet efficaciter, quia voluntas eſt in homine primum & ſupremū movens ſubordinans ſibi appetitum, & non è converſo; ergo ipſa contradicente efficaciter, non poterit fieri motus, quantumvis appetitum illum appetat.

Dico ultimo. Huius potentiæ organum reſidet in muſculis. Docet enim experientia, motum fieri dum muſculi dilatantur, vel comprimuntur. Porro ad idoneum inſtrumentum motus duæ requiruntur conditiones, ut docent Medici, una u ſentiat, altera ut impulſum edat. Prima mollitudinē exigit, ſecunda firmitatem: ideoque natura provide cōiunxit ligamētum durum cum molli nervo, & utrumque carne, nervis, arteriiſque veſtivit, & hæc coacervatio dicitur muſculus inſtrumentum virtutis motivæ, quæ diffuſa eſt per omnia membra, quæ moveri poſſunt motu ipſo arbitrario. Ad quod opus eſt ut animalis membra perenni ſpirituum animalium influxu foveantur; atque hinc eſt ut in animi deliquio, vel timore vehemēti nequeamus corpus ſuſtinere, quia ſcilicet ſpiritus illi, qui membra fovebant ex toto corpore confluunt ad cerebrum. Ideo qui in gyrum ſe agitant, concidunt, quia ſpiritus per nervos deducendi rectà, ex illo flexu circulari aberrant à nervorum initiis, & aliò diſtrahuntur. Ex dictis definio hanc potentiam: *Facultas animalis cauſans vitalem eius motum localem.*

Ita Galenus lib. 20. de uſu par. Ariſtot. lib. de gen. animalium, cap. 6.

***

DISPV-

DISPVTATIO VLTIMA,
De intellectu agente, & patiente.

HOC unum deerat perfectæ animaſticæ controverſiæ indagationi: vidimus etenim in ſuperioribus quî oculus videat, videatur obiectum, quî externus ſenſus cognoſcat, quî cognoſcat internus. Non hic ſiſtit cognitionis efformatio, ulterius tendit, ad intellectum uſque agentem progreditur, ſiſtit in patibili, quæ omnia hac ultima diſputatione claudemus.

DVBIVM I.

Eſſentiam, obiectum, & ſubiectum intellectivæ potentiæ.

DIco primo. Intellectus eſt, *Potentia vitalis cognoſcitiva immaterialis*. *Potentia* ſecernit intellectum noſtrum, quem hic definimus à divino, qui non eſt potentia activa, & receptiva, ſed purus actus. *Vitalis* ab habitu fidei, ſcientiæ infuſæ, luminis gloriæ; quâvis enim quilibet ſit quaſi compotentis per ſe infuſa ad cognoſcendum, non tamen vitalis. *Cognoſcitiva* ab utroque appetitu. *Immaterialis* à ſenſu interno, & externo, & ſi velis diſtinguere ab Angelico, addere poteris *per diſcurſum*.

Dico ſecundo. Obiectum adæquatum materiale intellectus eſt omne ens, quia omne ſive materiale, ſive immateriale, ſive poſitivum, ſive negativum, ſive reale, ſive fictum percipere poteſt. Formale eſt verum prout idem eſt quod intelligibile, alias cum quidam actus ſint veri, alij falſi, non recte aſsignaretur obiectum intellectus. Probatur, quia ſicut in voluntate bonitas eſt ſpecificativum actus proſecutionis, & malitia actus fugæ ſeu nolitionis, ita in intellectu veritas eſt ſpecificativum actus veri, & falſitas actus falſi, & ſicut bonitas movet voluntatem ad actum proſecutionis, & malitia ad actum fugæ, ita veritas ad aſſenſum, & falſitas ad diſſenſum; ergo ſicut obiectum formale voluntatis adæquatũ non eſt ſola bonitas, ſed aliquid à bonitate & malitia præciſum, quod eſt amabilitas; ita obiectum formale adæquatum intellectus non erit ſola veritas, ſed aliquid à veritate & falſitate abſtractum, quod eſt intelligibile.

Dico tertio. Intellectus unus eſt, ſicut ſenſus communis, habet tamen varia munera, & nomina. Primo enim dicitur intellectus agens, quia medio concurſu phantaſmatis ſibi efficit ſpecies impreſſas. Hurtadus infra negat intellectui ſpecies ibi producere, ſed accipere à Deo, & conſequenter tollit intellectum agentem in eo ſenſu communi, & relinquit tantum in alio, quatenus agit intellectiones, ſed ſine urgenti ratione.

tione. Secundo dicitur patiens, vel patibilis, quia ſpecie impreſſa inſtructus effingit expreſſam, & in ſe recipit. Tertio, potentia practica & ſpeculativa, quia elicit tales notitias. Quarto, Memoria, qui reſervat ſpecies impreſſas rerum quas ſemel percipit.

Dico quarto. Intellectus recipitur in anima prout eſt in toto corpore. Ratio eſt, quia intellectus eſt potentia pure ſpiritalis, & in ſua entitate indepēdens à corpore, eiuſque organo corporeo, ergo conſequitur animam ſecundum ſe, ut eſt ſpiritalis & rationalis, ergo in ipſa, ubicumque ſit, recipietur. Antecedens probatur: nam anima prius natura quā corpori uniatur, producit, & in ſe recipit intellectum, & ſeparata à corpore eundam retinet. Nec refert, quod non eliciat intellectionem in toto corpore, ſed in capite; id enim eſt, quia ibi à ſenſu communi, ei ſpecies ſub miniſtrantur.

Ita communis ſententia. Dico ultimo. Intellectus inter potentias animæ rationalis princeps eſt; quia intellectus eſt perfectior voluntate, quæ cum ipſo contendere poteſt, ergo, &c. Antecedens probatur, nam cum potentia capiat ſpeciem, & perfectionem ex actu adæquato, tunc una deprehenditur perfectior altera, quando in cumulo omnium actuum quos elicere poteſt, reperitur aliquis perfectior actu perfectiſsimo reperto in cumulo omnium actuū alterius; ſed in cumulo actuū intellectus reperitur viſio beata perfectior actu perfectiſsimo, qui eſt in cumulo actuū voluntatis, nempe amore ſupernaturali Dei; ergo intellectus eſt perfectior. Firmatur, quia intellectus eſt prima naturæ rationalis perfectio, & perfectiori modo tendit in obiectum, quam voluntas, nam penetrat rerum naturas, & dirigit actiones volūtatis, quæ ſine rationis lumine cæca eſt. Demum quia trahit ad ſe obiectum, eius imaginem in ſe formando; at voluntas ab obiecto trahitur. Lege Vazquez 1. 2. diſputat. 11. cap. 8.

DVBIVM II.

De ſpeciebus impreſſis intellectus.

Difficultas prima, An & quales ſpecies impreſſas intellectus requirat.

Dico primo. Requirit ſpecies impreſſas ad actus cognitionis. *Eſt communis ſentētia.* Primo ex Auguſtino dicente, *Ab obiecto, & potentia paritur notitia, plerumque autem nequit obiectum per ſe concurrere cum intellectu ad eum partum*, ergo per ſpeciem. Secundo, quia intellectus licet ſit potentia nobilior, tam indifferens eſt ad exprimendam ſimilitudinem formalem cuiuſvis obiecti, quod intra latitudinem ſuæ facultatis cohibet, quam ſenſus; ergo eget ſpecie impreſſa, ſicuti ſenſus ut determinetur. Tandem: intellectus animæ ſeparatæ, & Angelicus ſpecies obiectorum requirunt, ut cōmuniter Theologi; ergo intellectus eiuſdem animæ corpori unitæ. Occurrebat hic difficultas quædam, ſed inferius oportunius.

Dico ſecundo. Requirit ſpecies impreſſas ſpiritales. Primo, quia actus ad quem ſpecies determinat intellectum eſt ſpiritalis, ergo ſpecies eſt ſpiritalis, ſicut & habitus

qui

qui ad eundem actum inclinat. Secundo. Iſtæ ſpecies educuntur de potentia intellectus, vel animæ, & ibidem recipiuntur; ſed nequit accidens corporeũ eo modo recipi in ſubiecto ſpiritali; ergo, &c. Maior probatur, nam, ut dicemus infra, anima in ſtatu ſeparationis ſecum defert ſpecies intelligibiles, quibus uſæ in corpore, & recordatur rerum, quas in hoc ſtatu percepit.

Difficultas ſecunda. Vnde habeat intellectus eiuſmodi ſpecies? Dicendum eſt intellectum agentem eas ſibi producere cum concurſu phãtaſmatis. Ratio eſt, quia ſicut idem quod percipit ſenſus externus percipit phantaſia, ita idem quod percipit hæc, cognoſcit intellectus; ſed ſenſatio externa producit ſpeciem ſui obiecti impreſſam in phantaſia, qua formetur phantaſma; ergo & phantaſma ſpeciem ſui obiecti in intellectu, qua formetur intellectio; elevatum tamẽ cum concurſu intellectus agentis, quia cum ſpecies intelligibilis ſit ſpiritalis, & phantaſma corporeum, per ſe ſolum nequit illam efficere. Itaque cauſa principalis erit intellectus agens, inſtrumentalis vero phantaſma. Nec obſtat quod phantaſma ſit vitalis, & ſpecies intelligibilis non; ſatis enim eſt, ut iſta ſit ordinis ſuperioris ut ſit illo ſimpliciter perfectior. Siquidem propter ſimilem rationem ſubſtantia inanimata, qualitate vitali ſimpliciter perfectior habetur. Aliter ſentit Hurtadus diſputat. 5. ſect. 1. ait enim, intellectũ phantaſmate tactum à Deo ſpeciem recipere, ac proinde illi vim omnem eas agendi tollit. Primo, quia ſpecies cum ſit vicaria obiecti, debet ab obiecto produci, vel ab aliquo eius vices gerente; ſed intellectus neque eſt obiectum ipſum, neque eius vices gerit; ergo non producit ſpecies ab ipſo. Secundo, quia obiectum dat cognitioni formalitatem, quæ non reſpondet formaliter potentiæ, ſed obiecto, nimirum eſſe ſimilitudinem huius obiecti, vel alterius; ergo potentia non efficit ſpecies. Antecedens certum, conſecutio probatur, nam illa formalitas reſpondet immediate ſpeciei impreſſæ, & remotę principio activo ipſius, ergo ſi fiat à potentia, illi, & non obiecto formaliter reſpondebit. Tertio probari poteſt, quia nulli potentiæ ſenſitivæ indita eſt à natura facultas activa ſpecierũ ſenſibilium, ergo neque intellectivæ intelligibilium. Ad primum dices, phantaſma ipſum gerens vicem obiecti, ſpeciem intelligibilem producere, quia tamen ex ſe eſt improportionatum ad productionem ſpeciei ſpiritalis, indiget auxillo ſpiritalis potentiæ, ideoque elevatur ab intellectu agente. Hinc ad ſecundum, ſiquidem formalitas illa cognitionis ſufficienter reſpondet ipſi phantaſmati, quod vice obiecti, quod repręſentat, & cum ope intellectus imprimit ſpeciem illam ſpiritalem aptam ad cognitionem eiuſdem obiecti, ſicut viſio coloris gerens vicem ſui obiecti, ut communiter admittitur, imprimit eiuſdem ſpeciẽ aliam in phantaſia, aptam ad eiuſmodi obiecti phãtaſma expreſſum. Ad tertium, dato antecedenti, neganda conſecutio. Ratio eſt, quia aliis potentiis ſenſitivis internis & externis ſufficienter aliunde à natura proviſum ut ex dictis eſt manifeſtum, non vero intellectui, niſi præfata virtus fuerit attributa,

quia petit ſpecies ſpiritales, quas neque ab obiectis ſenſibilibus, neque à ſenſibus tantum poteſt accipere. Nec dicas eas accipere à prima cauſa, cuius eſt ſupplere defectus particularium; eſt enim minus philoſophicum ad primam concurrere, cum adſit ſecunda, cui tribui poſsit effectus.

Emicat iam difficultas ſuperius inſinuata, nam ſi intellectus agẽs cum concurſu inſtrumentali phãtaſmatis poteſt ſibi elicere ſpeciem impreſſam intelligibilem, ergo & intellectus patiens cum concurſu eiuſdem phantaſmatis poterit elicere immediate ſpeciem expreſſam intellectionis, atque adeo non requiret ſpecies ſpiritales impreſſas. Reſpondent aliqui, phantaſma, quia eſt ſimilitudo formalis ſui obiecti, non ordinari ad aliam formalem expreſſam producendã. Verum cum ordinetur ad impreſſam illius producendam in alia potentia, cur non ad expreſſam? Alij admittunt phantaſma concurrere ad primam cognitionem cum intellectu, ad alias vero ſpeciem impreſſam intelligibilem. Sed ſi in eodem inſtanti in quo primũ exſiſtit phantaſma producit ſpeciem intelligibilem ſui obiecti cum auxilio intellectus, cur non in eodem inſtanti ſpecies ipſa concurret ad cognitionem, ſicut deinceps? & ſi primo illo inſtanti concurrit ſolum phantaſma, cur non poſtea, maxime cum ſemper adſit? ſiquidem, ut communis tenet opinio, intellectus pro hoc ſtatu intelligit per converſionem ad phantaſma. Reſpondetur expeditius. Primo, licet phantaſma poſsit immediate concurrere cum intellectu ad cognitionem, nihilominus nõ eſſe univerſim tollendas ſpecies intelligibiles impreſſas. Ratio eſt, quia intellectus percipit multa obiecta, quorum nõ datur proprium phãtaſma expreſſum, actus nimirum ſuos præteritos & voluntatis. Secundo, licet rerũ quas intelligit adſit proprium phantaſma, eas tamen ſpecies eſſe admittendas. Ratio eſt, quia potentia vitalis connaturalius operatur utens principio iuvante interno, quam externo & aſsiſtente, maxime quando hoc eſt minus proportionatum, ut phantaſma ad intellectionem ſpiritalem. Ideo enim licet intellectus & voluntas poſsint operari actus ſupernaturales cum auxilio ſupernaturali ſolius Dei ut cauſa extrinſeca, adhuc habitus ſupernaturales intrinſeci illis attribuuntur tanquam neceſſarij, ut illos actus connaturalius eliciat; idem ergo accidit in præſenti.

Difficultas tertia. An intellectus cognoſcat ſuos actus & voluntatis per ſpecies impreſſas. Cognoſcit actus ſuos exſiſtentes, ſicut & voluntatis ſine ſpecie impreſſa; præteritos vero per ſpeciẽ ab ipſis relictam. Prima pars probatur, quia iſti actus ſunt præſentes intellectui, & maxime proportionati, ergo non egent ſui ſpecie ut ab eo percipiantur. Confirmatur, quia iſti ſunt activi; producunt enim habitus, ergo poterunt efficienter concurrere cum potentia ad ſui notitiam generandam. Secunda pars, quia iidem actus iam abſentes percipiuntur ab intellectu; ſæpe enim ipſorum diſtinctẽ recordatur, ergo per ſpeciem ab illis relictam. Confirmatur. Actus ſenſus externi habent vim producendi ſui ſpeciem in ſenſu interno, actus ſenſus interni in intellectu, nam eorum iam

non

non exſiſtentium, ſæpe recordatur, ergo & actus intellectus & voluntatis, ergo. Atque hæc ſecunda pars, quoad actus voluntatis, quę maiorem habet difficultatem, traditur à Molina 1. par. quæſt. 57. artic. 4. à D. Thoma quæſt. 88. artic. 4. Ratio autem cur intellectus non clare percipiat eos actus ut ſunt in ſe, cum illos, vel per ipſoſmet exſiſtentes, vel per propriam ſpeciē ab iiſdem relictam attingat, ſumitur partim ex imperfectione huius ſtatus; cū enim animus ſit corpori immerſus, intellectus vix quidquam percipere poteſt clare, niſi per comparationem ad obiecta ſenſibilia, vel per ſpeciē obiecti prius ſenſibus percepti, tum ex imperfectione ſpeciei, quam illi actus relinquunt, quia intellectus pro hoc ſtatu nō eſt capax claræ & perfectæ ſpeciei, niſi obiecti ſenſati, quorum experientia eſt certa probatio.

Difficultas ultima. An intellectus in uſu ſpecierum intelligibilium pendeat à phantaſmate. Hoc aliter quæri ſolet, an ſcilicet intellectus intelligat per converſionem ad phantaſma? Affirmat communis & vera ſententia cum Divo Thoma 1. par. quæſt. 84. art. 7. & cum Ariſtotele hic cap. 8. aſſerente *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Probatur primo. Intellectus nunc pendet a phantaſmate, ut ſpeciem impreſſam obiecti acquirat, ergo & ut illam exerceat. Secundo, quia experimur aſſidua contemplatione caput fatigari, cuius cauſa eſt, quod ſpiritus animales operationi phātaſiæ ſervientes diuturno labore abſumūtur. Tertio, quia hinc oritur, ut dum in ſomno omnis ceſſat phantaſię operatio, intellectus nullam exerceat cognitionem, licet magna ſpecierum intelligibiliū copia abundet. Atque indidem provenit, ut licet ſpecies impreſſæ intelligibiles immortales ſint, ut tenet communis ſententia, reddantur tamen inutiles, ſpeciebus corporeis in phantaſia intereuntibus.

Monet Hurtadus diſputat. 12. §. 76. non eſſe tantam dependentiam intellectus ab operatione phantaſiæ, ut omnia obiecta, quæ intelligit neceſſario debeant repræſentari in phātaſia; ſatis enim, ait, eſt ut repræſentetur unum ex cuius imaginatione variæ excitētur ſpecies intelligibiles & cognitiones. Si autem ceſſet omnis phantaſiæ operatio, cæterę quoque cognitiones ceſſabunt ab illa dependentes. Ex quibus colliges, intellectum per converſionem ad phantaſma intelligere, nihil eſſe aliud, quā cum intelligit aliquod obiectum, phantaſiam circa idem, vel ſimile comitanter, aut certe antecedenter verſari. De mirabili ſpecierum excitatione, & ordine ad res præteritas memorandas Conimbricenſes.

DVBIVM III.

An ſingularia repræſententur per ſpeciem propriam, vel per alienam.

MEmini me dixiſſe in Logica tractat. 1. diſputat. 2. dub. 12. intellectum agentem non poſſe univerſum metaphyſicum efformare, quia ſpecies intelligibilis ab illo producta non repræſentat naturam in communi, nudam à differētiis individualibus,

ſed illis quaſi veſtitam, cum primo & per ſe repræſentet rem ſingularem & individuam, & in ea gradus univerſales, non abſtractos, ſed potius ſingularitate affectos, cuius probationem in præſenté locum, ut magis proprium, diſtulimus. Controvertitur ergo hîc, an ſpecies intelligibilis ab intellectu agente producta per ſe & directe repræſentet naturã ſingularem, an univerſalem.

Sit aſſertio prima. Intellectus agens à phantaſmate determinatus ſpeciem producit rei ſingularis in phantaſmate repræſentati, imo illius ſolum, & non univerſalis ſpeciem intelligibilem producit. Suadetur prima pars. Primo, quia phantaſma repræſentans hoc ſingulare materiale determinat intellectum agentem ad productionem ſpeciei intelligibilis, & cum eo efficienter concurrit, ergo intellectus agens ſic determinatus ſpeciem producit rei ſingularis. Probatur conſequentia, quia producit ſpeciem rei ad quã determinatur, & quam phantaſma repræſentat; ſed determinatur ad rem ſingularem, cum hanc dũtaxat phantaſma expreſſum, & nõ univerſalem repræſentet, quia eſt cognitio ſenſibilis & rei tantum ſingularis; ergo, &c. Secundo, quia ſi non daretur ſpecies intelligibilis, per ſe & directe repræſentans ſingulare materiale, quod percipitur per ſenſum, vel id eſſet, quia ſingulare non eſt per ſe cognoſcibile ab intellectu, vel quia eſt materiale, vel quia eſt ſingulare & materiale ſimul, ſed nihil horũ obſtat. Non primum, quia obiectum intellectus eſt omne ens, & ſingulare ut ſic eſt ens: Neque ſecundum, quia natura univerſalis rerum materialium, qualis eſt natura leonis, directe cognoſcitur & repræſentabilis eſt per ſpeciem; non enim requiritur ſimile eſſe in ſpecie ac in obiecto eſt, ut per ſe liquet, quia ſpecies ſemper eſt qualitas ſpiritalis. Nec demum tertium, quia perfectior eſt ſpecies expreſſa, & tamen illa repræſentat ſingulare materiale ſimul; tum quia in Angelis de facto datur ſpecies rei materialis ſingularis; ergo nihil horum trium impedit; ergo intellectus agens ſpeciem intelligibilem rei ſingularis materialis producet; hoc enim eſt magis conſentaneum, & variis experiẽtiis, & naturali ordine cognoſcendi, & fini, & activitati naturali ipſius intellectus agentis, qui ad hoc datur, ut media actione ſpiritali ſpeciem intelligibilem producat ſimilem repræſentationi phantaſmatis.

Ita Suarez diſp. 6. ſect. 6. n. 7. Tolet. hic q. 12. Plaſa. 1. Phyſ. diſp. 1. q. 3. Mur. diſp. 3. q. 7. Rub. hic q. 3. & communiter recentiores, cõtra Themiſt. Fonſecam 1. Met. c. 2. q. 3. ſect. 5. & Conimbr. 1. Phyſ. c. 1. q. 4. art. 2. & hic lib. 3. c. 5. q. 4. ar. 3.

Poſtrema pars oſtenditur, nam non poteſt intellectus agens producere ſpeciem intelligibilem, niſi iuxta exigentiam phantaſmatis, & obiecti per ipſum repræſentati; ſed phantaſma non repræſentat naturam univerſalem, ſed ſingularem & determinatam per tales conditiones materiales; ergo non poteſt cõcurrere, niſi ad productionem ſpeciei, quæ illas conditiones ſingulares repræſentet. Firmatur. Intellectus agẽs & phãtaſma ſunt agentia naturalia; ergo operantur ex determinatione ad unum, & conſequenter eodem modo; ſed phantaſma concurrit quatenus repræſentat obiectum, & ſemper repræſentat obiectum ſingulare; ergo ſemper concurret ad productionem ſpeciei rei ſingularis.

Dices, inde fieri nullam dari in intellectu ſpeciẽ rei univerſalis. Plaça citatus, & Murcia quæſt. 8. dicunt

dicunt, perpetuo cognoſci univerſale per ſpecies rerũ ſingularium, in quibus naturæ univerſales relucent.

Sit aſſertio ſecunda, cum communiori, quam Rubius citatus ſequitur. Res univerſalis non cognoſcitur primo per propriã ſpeciem repræſentantẽ naturam cõmunem abſtractam à conditionibus individuantibus, ita ut productis ſpeciebus ſingularium ab intellectu agente per eas intellectus paſsibilis cognoſcat primo & per ſe ſingularia. Deinde ex ſimilitudine & diſsimilitudine eorũdem ſingularium abſtrahat, id in quo conveniunt ab his in quibus differunt, & ſic conſiderat naturam in qua conveniunt, non conceptis differentiis ſingularibus, quam cognitionem habet ſine ulla ſpecie impreſſa, quæ ſolam naturam univerſalem repræſentet. Ex illa tamen cognitione expreſſa naturæ univerſalis imprimit ſibi intellectus aliam ſpeciem intelligibilem repræſentantem ſolam naturam univerſalem, qua deinceps utatur.

Inde fit ut prima cognitio univerſalis difficilior multo ſit cognitione ſingularium, ut experiẽtia conſtat: quare licet non dentur in intellectu ſpecies rerum univerſalium ab intellectu agente productæ ſine conſortio phantaſmatis, dari tamen alias, quæ modo prædicto producantur, maxime probabile eſt.

Argumenta quæ obiicere ſolent Thomiſtę, libens prętereo, quia ex dictis de univerſalibus in Logica, & hic, facile dilui poſſunt.

***

DVBIVM IIII.

An ſingulare ab intellectu cognoſcatur, & an ſit primum cognitum.

Circa primum dico primo. Singulare directe & per ſe cognoſcitur à noſtro intellectu. Probatur primo à priori, quia illud per ſe & directe intellectus cognoſcit, quod ei per propriam ſpeciem intelligibilem, ut obiectum proportionatum repræſentatur; ſed ſingulare materiale ei per ſpeciẽ intelligibilem proponitur, ut probatum dubio tranſacto, ergo, &c. Confirmatur, quia intellectus eſt potentia indifferens, ergo debet determinari ad cognoſcendum hoc potius, quam illud obiectum; ſed non poteſt à phantaſmate determinari ad univerſale, ſed ſolum ad ſingulare ſenſibile; ergo. Secũdo, quia quod directe cognoſcit potentia inferior, poteſt etiam ſuperior, nam cum hæc ſit perfectior, non poteſt dari in inferiori, quod in ſuperiori non contineatur; ſed ſenſus, qui eſt inferior intellectu cognoſcit per ſe ſingulare; ergo intellectus etiam id præſtabit. Tertio, quia univerſalis natura non magis excitaret ad cognoſcendum hoc potius quam illud ſingulare, quia omnia æque reſpicit; ergo cum intellectus hoc potius ſingulare, quam aliud cognoſcat, directe, & immediate attinget per proprias ſpecies. *Ita communiter contra Thomiſt. quã probat Hurt. diſp. 5. ſect. 6.*

Obiicis cum Salas 1.2. tomo 1. tract. 1. diſputat. 7. ſect. 2. num. 19. ſenſus externos non percipere, niſi rationes univerſales, & non ſin-

ſingulares, & ſpecies impreſſas ſenſuum non repręſentare res ſecũdum rationes individuales. Et probatur inductione primo. Oculus non percipit differentiam individuam coloris; ergo ſolò percipit rationem univerſalem. Probatur antecedens, quia ſi oculus perciperet differentiam individuam, cognoſceret diſcrimen inter duas albedines eiuſdem intentionis, quod tamen falſum eſt. Secũdo, ſi loco huius albedinis ſubſtitueretur alia æque intenſa, non perciperet oculus, neque diſtingueret mutationem, ergo non attingit differentiam individualẽ. Tertio, cognitio univerſalis eſt notitia ita confuſa obiecti, ut nõ diſcernantur differentiæ contrahentes, ut differentiæ ſunt: quare cum ſic ſe habeat cognitio oculi, illa erit univerſalis.

Non placet; quia inde fieret ſingulare neque directe, neque indirecte percipi poſſe; ſed ad ſummum ſecundum rationem communem ſingularis Probatur, quia intellectus, neque indirecte diſtinguit hanc numero albedinem ab alia, etſi loco unius altera ſubſtituatur non diſtinguetur. Pręterea impugnatur; quia non poſſe diſcerni, & diſtingui unum ab alio, non eſt ſufficiens indicium, non attingi, tum quia plura attingit intellectus, quæ non poſſunt diſcernere; attingit enim naturalitatem & ſupernaturalitatem ſui actus, quam tamen nequit affirmare hanc, vel illam eſſe. Certum eſt etiam oculum, & intellectum attingere rationem qualitatis ſui obiecti, nec tamen videmus illud eſſe qualitatem, nec certo ſcimus, & alia huiuſmodi. Secundo, quia eadem res cognoſci poteſt clare & confuſe, & ſimiliter videri per ſpeciem claram & confuſam; ergo ſimiliter eadem differentia individualis videri poterit clare & confuſe; at quando videbitur confuſe non diſcernetur ab aliis; ergo videri poteſt differentia individualis, etſi ab aliis non diſtinguatur. Firmatur, quia obiectum nimis diſtans non recte percipitur, at per continuam approximationem clarius perſpectatur, ergo poteſt idem obiectum clare, & confuſe cognoſci, & videri, ergo idem continget in differentia individuali; confuſe enim videtur à nobis, & ita diſcerni non poteſt. Tertio, non minus eſt colorata differentia individualis albedinis, quam ſpecifica, ergo non minus eſt viſibilis. Quarto, quia tactus diſcernit inter gradus caloris, ergo attingit differentias illorum; ſed differentiæ ſunt individuales, ut ſupra dictum; ergo ſenſus diſtinguit aliqua individua. Quare

Ad argumenta reſpondeo, cognitionem individui ut ſic, eſſe confuſam, ideoque inſufficientem ad illa diſtinguenda: inde tamen non fit, non cognoſci à potentia externa; tum quia ſenſus valde materialiter feruntur ad obiecta, id eſt ad entitatem obiecti realem materialiter acceptam; differẽtia vero individualis aliquãdo formaliter conſiſtit in aliquo reſpectu individuo ad aliud, & ita valde materialiter; & imperfecte attingitur à viſu, & conſequenter ab intellectu. Quod inde confirmatur, quia viſio cognoſcit accidens coloris, non tamen inhęrentiam, neque ordinem ad ſubſtantiam. Item, qui videt colorem, videt ens creatum, nec tamen percipit dependentiam à cauſis, vel ordinem ad Deum, quia iſtę ſunt for-

formalitates, quæ à viſu non diſtinguntur, ſed mere materialiter percipiuntur. Præterea, quis ſenſus percipit diſcrimen inter intenſionem colorum, verbi gratia, quæ eſt differentia individualis; cognitio vero univerſi non eſt ſola cognitio ita cōfuſa, ut nequeat unum ab alio ita diſcerni, ſed etiam quæ nullo modo attingat individuationem.

Circa ſecundum dico ſecundo: Primum cognitum noſtri intellectus eſt ſingulare ſenſibile, non vero univerſale. Ratio à priori eſt, quia cognitio intellectiva fit mediante ſpecie intelligibili, ſed hæc ſolum ſingulare repræſentat, ergo, &c. Secundo, quia intellectus pro hoc ſtatu pendet à ſenſibus in cognitione, & habet neceſſariam connexionem cum phātaſis, ergo cum hæc verſetur circa ſingulare ſenſibile, hoc primo cognoſcet intellectus. Probatur conſequentia, quia in potentiis ſubordinatis ſuperior incipit ubi inferior terminatur; ſed ſenſus internus terminatur ad ſenſibile ſingulare; ergo ab hoc primo incipiet intellectus. Firmatur experientia, nam cum videmus Petrum, in eodem inſtanti percipimus illum per ſenſum & intellectum, nihil cogitando de natura univerſali, quod in ruſticis & pueris videtur evidens, qui nequeūt diſcernere univerſalia, maxime quando unicum eſt ſingulare; quis enim credat ruſticum viſo ſole prius apprehendere ſolem in communi, quam hunc ſingularem, quem videt? Firmatur ſecundo, nam cognitio univerſalis oritur ex cognitione aliquorum individuorum, in quibus cognoſcit intellectus aliquam diſsimilitudinem & ſimilitudinem; ergo ante cognitionem horum ſingularium, nequit intellectus cognoſcere univerſale; ergo ſingulare & non univerſale erit primum cognitum. Quale ſit iſtud, mox videbimus eſſe ſingulare accidentis ſenſibilis.

Dices, Ariſtoteles aſſerere hîc pueros prius vocare omnes viros patres antequam diſtincte cognoſcāt proprium patrem, ergo prius cognoſcunt univerſale. Nego conſequentiam; illud enim non provenit eo quod prius cognoſcat rationem univerſalem viri quā ſingularem, quia etiam agni qui nullo pacto cognoſcunt univerſale, antequā diſtincte cognoſcāt propriam matrem quamcūque ovem ſequuntur. Provenit ergo, quia accidentia in quibus aſsimilantur individui homines, ſunt multo plura & magis manifeſta, quam illa in quibus differunt, atque ita ſimilitudine decepti omnes viros patres appellant; poſtmodum cognitione m perfectiorem aſſecuti diſtingunt accidentia quibus verus pater ab aliis differt.

DVBIVM V.

An magis univerſale prius cognoſcatur, quam minus univerſale cognitione confuſa totius actualis.

Aſſero primo. Cognitione diſtincta totius eſſentialis notius eſt magis univerſale, quā minus univerſale, & è converſo cognitione diſtincta totius univerſalis notius eſt minus univerſale. Ratio utriuſque partis eſt, quia

Ita Conimbric. q.2.ar. 4. in c.1. lib. 1. Phyſ. cum multis.

quia ea ſunt notiora, quorum cognitio ad aliorum cognitionem requiritur, non è converſo; ſed minus univerſale ut eſt totum actuale, nequit diſtincte cognoſci, quin magis univerſale, quod illius ingreditur eſſentiam cognoſcatur; poteſt vero cognoſci magis univerſale, ut eſt totū actuale ſine minus univerſali, & è contra magis univerſale, ut eſt totum potentiale & univerſale, non poteſt diſtincte cognoſci, non cognito minus univerſali, quod eſt illius pars ſubiectiva; ergo, &c. Difficultas eſt de cognitione confuſa totius eſſentialis.

Ita Fonſeca 1. Met. c. 1. q. 1. ſect. 6. Conimbr. in c. 1. q. 3. art. 3. 1. Phyſic. Toletus ibid. q. 3. Plaça & Murtia ad eundem locum.

Aſſero ſecundo. Minus univerſalia ſunt nobis, abſolute loquendo, cognitione confuſa totius actualis magis nota, niſi ob aliquod impedimentū potentiæ ſenſitivæ, vel ob defectum alicuius requiſiti ad ſenſationem intellectus impediatur à cognitione minus univerſalium. Probatur primum ex Ariſtotele 1. Metaph. cap. 2. aſſerente univerſaliora eſſe nobis minus nota. & 1. Poſt. text. 1. ait, viciniora ſenſibus eſſe nobis notiora: & ſubd t, univerſaliora à ſenſibus longius diſtare. Probatur deinde experientia, quia quando videmus aliquem hominem è propinquo, & in debita diſtantia, prius cognoſcimus eſſe hominē, quam animalis vel entis recordemur: nam ſi præſente obiecto, & remotis impedimentis deberent attributa ſuperiora prius cognoſci longo admodum tēpore, opus eſſet infimæ ſpeciei apprehenſionem. Secundo, quia ſenſus applicato ſibi ſufficiēter ſenſibile prius concipit individuum ſpeciei, & ſi ſit impedimentum, individuum generi; ergo intellectus remotis impedimentis prius concipit ſpeciem quam genus, quia illa eſt vicinior ſenſibili obiecto; & ſi impedimentum ſit, prius concipit genus quam ſpeciem. Ratio cur exiſtente impedimento prius concipiatur magis univerſale, quam minus, ea eſt, quia obiectum non poteſt producere ſui ſpeciē æque perfectam in potentia magis diſtanti ac minus diſpoſita, ut poteſt in potentia ſibi magis propinqua & melius diſpoſita; imperfectior autem ſpecies obiectum ſub imperfectiore ratione repræſentat, perfectior vero ſub ratione perfectiore.

Moneo, non ſemper opus eſſe, ut omnia minus univerſalia prædicata cognoſcantur prius quam magis univerſalia, quia ſæpe inter ſuperiora genera, & ſpecies infimas dantur media quædam prædicata nobis valde ignota, eo quod ſint principium accidentiū minus ſenſibilium, quo fit ut non ſint nobis notiora, quam ſuperiora prędicata, eo quod eorum accidentia propria parum, aut nihil ſenſum movent, hac de cauſa in aliqua planta poteſt prius cognoſci ratio corporis, quam ratio viventis.

Rogas, An eadem ſint nobis & natura magis nota. Reſpondeo, plerumque ita cōtingere, aliquando vero non. Ratio eſt, quia contingit, ut id quod eſt prius alio ordine generationis, & naturę, ſit remotius à ſenſu, ut liquet in ſubſtantia, & accidentibus: nam hęc propinquiora ſunt ſenſibus, & ita notiora nobis; illa vero cum horum ſit cauſa, prior eſt ordine generationis, & ſecūdum naturam. Secundum tradit Pererius 3. Phyſ. cap. 8. & defenditur à Conimbricenſibus 1. Phyſic. quæſt. 1. quia de facto non repugnat aliquid eſſe

prius

prius alio ordine generationis, & conſequẽter ſecundum naturam; & ſimul eſſe ſenſibus viciniua, & conſequenter notiua nobis, ut videre eſt in obiectis ſenſuum externorum reſpectu ſpecierum intentionalium, quas ex ſe producunt, nam primum ſunt notiora illis ſecundum naturam, cum ſint illarum cauſæ, & deinde etiam quoad nos, nam obiecta per ſe primo ſenſibus percipiuntur, non vero ſpecies. Confirmatur in quibuſdam principiis per ſe notiſsimis, quæ cum ſint notiora natura concluſionibus, quæ ex illis deducuntur, ſimul à nobis facilius multo cognoſcuntur, quam concluſiones.

DVBIVM VI.

Quomodo cognoſcat intellectus ſubſtantiam materialem, & accidentia non ſenſibilia.

COmpertum eſt, accidentia ſenſibilia externis ſenſibus percipi ab intellectu per ſe, & per proprias ſpecies: controverſia eſt de ſubſtantia & accidentibus, quæ ſub ſenſum non cadunt, ut ſunt plures virtutes occultæ.

Conimbricenſes in cap. 5. quæſt. 5. art. 1. Fonſeca 2. Metaph. cap. 1. quæſt. 2. ſect. 6. & alij arbitrantur cognoſci per ſpecies proprias ab intellectu agente productas, & ſubſtantiam prius cognoſci, quam accidens. Toletus vero hic quæſt. 6. autumat ſpeciem productam ab intellectu repræſentare per modum unius aggregatum ex accidente & ſubſtantia, & ſic primo utrumque percipi.

Sit tamen concluſio. Intellectus agens non producit ſpeciem ſubſtantiæ materialis, nec aggregati ex illa & accidente. Probatur prima pars, quia intellectus agẽs ſolum producit ſpeciem eius quod repræſentatur à phantaſmate, ab eo enim uti à cauſa particulari, & inſtrumentali determinatur; ſed in phantaſmate non repræſentatur ſubſtantia; ergo, &c. Probatur minor. Subſtantia, quia ſubſtantia nullam habet per ſe ſenſibilitatem ratione cuius repræſentetur per ſpeciem ſenſibilem; eſt enim ſenſibilis per accidens, ut cum Ariſtotele fatentur omnes; ſenſibile autem per accidens dicitur, quod coniungitur ei, quod eſt per ſe ſenſibile. Si dicas, ſubſtantiam, licet non ſit ſenſibilis, per ſenſus externos, eſſe ſenſibilem per internos ad eum modũ quo plures dicunt dari ſpecies inſenſatas in æſtimativa, licet non exiſterint in ſenſibus externis, quod nos ex parte ſecuti ſumus. Contra, nam adhuc eo admiſſo eſt ratio diſpar: quia non admittitur ſpecies inſenſata, niſi accidentis per ſe ſenſibilis, licet ſpecies inſenſata illud repræſentet æſtimativæ ſub ratione convenientiæ, vel diſconvenientiæ, quam ſenſus externi non perciperet; at ſubſtantia nullo pacto eſt ſenſibilis. Firmatur eadem pars concluſionis experientia, qua comperimus concipere nos ſubſtantiam materialem inſtar cuiuſdam formæ ſenſibilis, quod non fieret, ſi propriã illius haberemus ſpeciem. Secunda pars ſuadetur: quia ſubſtantia nullam habet per ſe ſenſibilitatem; ergo non poteſt repræſentari in phantaſmate una cum accidente ſenſibili, ita ut utrumque

Ita Scot. & alij relati à Rubr. tract. de intellectu patibi. quæſt. 4. Murcia diſput. 3. q. 9. & indicat Suar. to. 1. in 3. p. diſp. 13. ſect. 1. §. 2.

repræſentetur, ergo cum intellectus agens in productione ſpeciei intelligibilis determinetur ab eo quod phantaſma repræſentat, & hoc non repræſentet coniunctum ex ſubſtantia & accidente, non producet ſpeciem talis aggregati. Firmatur ex myſterio Euchariſtiæ, ubi accidentia panis eodem modo percipiuntur à ſenſibus ante & poſt conſecrationem; ſed poſt illam non determinatur intellectus agens ad producendam ſpeciem ſubſtantię panis, quia ibi nulla eſt; ergo nec ante determinabatur.

De quantitate & aliis accidentibus nullo modo ſenſibilibus idem dicendum eſt, quod de ſubſtantia materiali propter eandem rationem: unde ſi albedo extenſa eſſet ſine quantitate, eodem modo videretur.

Ex dictis fit, nec ſubſtantiam, nec aggregatum ex illa & ex accidente eſſe id quod primo intellectus noſter cognoſcit, ſed accidēs ſingulare & ſenſibile, quia illud per ſpeciē intelligibilē ab intellectu cognoſcitur primo, quod ab illa repræſentatur, ſed hoc eſt accidens ſingulare ſenſibile, ergo. Deinde per ſpecies accidentium ſenſibilium in cognitionem ſubſtantiæ per diſcurſum devenimus; cognitis enim accidentibus materialibus & ſenſibilibus per ſpecies proprias, ex ipſis, & ex eorum mutua tranſmutatione deducit intellectus latere ſub illis entitatem per ſe exſiſtentem, quæ ſit eorum ſubiectum, & ſic primo cognoſcit ſubſtantiā. Habito conceptu ſubſtantiæ, poſtea per ſpecies, quas iſte relinquit, immediate ſubſtantiam attingit, ut de univerſali dictum. Favent Conimbricenſes in cap. 5. quæſt. 5. art. 2. aſſertione 9. eaſdem ſpecies tribuentes actibus intellectus patibilis.

Dices, accidens cognoſci non valet ſine ordine ad ſubſtantiam, ergo etiam à nobis prius debet cognoſci ſubſtantia. Reſpōdetur, accidens cognitione perfecta definitiva, aut comprehēſiva nequire cognoſci ſine ordine ad ſubſtantiam, imperfecta tamen, aut confuſa cognitione recte poſſe, quia tunc nō cognoſcitur formaliter ſub ratione accidentis, id eſt ſub ratione inhærentis alicui, ſed ſolum ſub ratione huius ſenſibilis & materialis entis, ſicut percipitur per ſenſum internum, qui nec cognoſcit inhærentiam, nec ordinem ad ſubſtantiam.

DVBIVM VII.

Qua ratione intellectus pro hoc ſtatu cognoſcat ſubſtantias ſpiritales & animam rationalem.

Circa primum dicendum primo. Intellectus noſter pro hoc ſtatu non cognoſcit per ſpecies proprias ſubſtantias ſeparatas, Deū ſcilicet, & Angelos; format tamen earundem proprios conceptus illis dumtaxat competentes per ſpecies rerum corporearum. Suadetur prima pars: quia intellectus agens nullam producit ſpeciem intelligibilem quin à phantaſmate determinetur; ſed ab hoc non determinatur ad producēdam ſpeciem rei ſpiritalis propriam, cum eam non repræſentet, utpote in ſenſibilem; ergo, &c. Idem deducitur à poſteriori ex ipſa

ipſa experientia, qua experimur apprehendere nos ſubſtátias prędictas ad ſimilitudinem corporearum rerum & ſenſibilium. Poſterior pars demonſtratur, quia per ſpecies rerú ſenſibilium conceptum formamus, qui ſoli Deo competit, & ſimiliter Angelo tantum, ergo, &c.

Circa ſecundum dicendum ſecundo. Pro hoc ſtatu animus rationalis cognoſcitur à noſtro intellectu, vel per ſpecies rerum ſenſibilium, ut Deus, & Angelus, vel cognoſcẽdo proprium actum. Probatur primum ex Ariſtotele cap.4.text.8. loquente de intellectu conſtituto in actu primo ad intelligendum per ſpecies, *tunc*, ait, *non ſolum alia à ſe, ſed etiã ſeipſum intelligere*, ergo ſentit, nec alia, nec ſeipſum intelligere antequã ſpecies recipiat. Secundo, quia experimur cognoſcere nos animam rationalem ad ſimilitudinem rerum ſenſibilium, ut alias ſubſtantias ſpirituales. Ratio à priori ſuppoſita experientia ſumi poteſt ex propria conditione noſtri intellectus, qui pro hoc ſtatu in quo anima eſt immerſa corpori corruptibili, eſt quaſi alligata ſenſibus, ita ut nequeat intelligere intellectione clara & perfecta, niſi per ſpeciem à phantaſmate habitam.

Dices. Anima rationalis non eſt minus intime præſens per ſeipſam intellectui proprio, quam Angelus ſuo, ergo ſicut Angelus ſeipſum intelligit ſine ſpecie, ita intellectus animam cui ineſt. Nego conſequentiam. Anima enim rationalis tametſi ſit pręſens proprio intellectui, nõ eſt tamen pro hoc ſtatu æque proportionata, illi in eſſe intelligibili, ſicut ſubſtantia Angeli proprio intellectui, quia pro hoc ſtatu in quo pertinet ad ordinem formarum, quæ in operando á ſenſibus pendent, non poteſt intelligere perfecte, niſi prius obiectum ei per ſpeciem phantaſię repræſentetur, idque cognitione clara & perfecta, nam cognitione confuſa probabile iudicant recentiores cognoſci per ſpeciem imperfectam, vel per ſe ipſam immediate approximatam.

DVBIVM VIII.

De Actu intellectus.

Actus vitalis proprius intellectus eſt intellectio, qui dicitur verbum mentis. Hæc & alia nota ſunt, ex diſp.3.á dub.5. huius tractatus quare ſolũ hic tres difficultates ſunt exagitandæ.

Prima eſt, in quo conſiſtat dictio mentalis, & quomodo ſe habeat ad intellectionem. Dicendum ſolum conſiſtere in productione verbi mentis in ipſa intellectione incluſi. Eſt communis ſententia, & Suarij primo de Trinitate, cap.6. Probatur primo ex Divo Thoma 1.par.quæſt.34.art. 1. ad 3. dicente, dictio importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, nihil enim eſt aliud dicere, quam proferre verbum, atque ita ex Divo Thoma dictio eſt prolatio verbi, quæ eſt eiuſdem productio. Secundo, Verbum eſt terminus productus, ergo per aliquam actionem; nulla apparet niſi dictio. Confirmatur, quia verbum vocale producitur per actionem dicendi. Demum, quia Theologi ita hac voce utuntur, quorũ uſui ſtandum eſt. Quare immerito Vazquez 1. parte,

diſput. 41. cap. 4. Durandum adhærens receſsit ab hoc Theologorum uſu, & conſtituit rationem dictionis in ſola qualitate verbi producti, maxime cum ipſe ſoleat magnā vim facere in communi uſu vocum. Conſtat iam dictionem ſe habere ad intellectionem ut incluſum ad includens.

Secunda difficultas. An per omnem intellectionem, ſeu actionem intelligendi producatur verbum mentis. Negant Thomiſtæ. Primo, quia verbum ſolum requiritur, ut fiat præſens intellectui obiectum abſens, ergo cum Angelus ſuam ſubſtantiam, & Beatus eſſentiam Dei intime præſentem intuentur, non producent verbū. Contra tamen, quid enim præſentius, quam eſſentia divina Deo Patri, & tamen quando illam cognoſcit producit Verbum Divinum? Inſuper licet obiectum ſit præſens localiter, non tamen eo ipſo eſt præſens intentionaliter, ſeu in eſſe intelligibili & actu repræſentato intellectui, ergo ut ſit præſens hoc modo requiritur verbū mentis, quod eſt ſimilitudo formalis & repræſentatio obiecti, eſto ſit loco indiſtans. Secundo, quia verbum eſt formalis ſimilitudo manifeſtativa obiecti; ſed nulla poteſt dari formalis ſimilitudo Dei; ergo nec verbum in Beato Deum vidente. Sed contra, nam verbum non exigit perfectā ſimilitudinem cum obiecto, ſed quæ ſufficiat ad illud manifeſtandum, ut liquet in verbo vocali; ſed per viſionē beatam perfectiſſime manifeſtatur eſſentia Dei; ergo in illa reperitur ſimilitudo ſufficiens ad rationem Verbi mentis.

Aſſerendum itaque cum communiori Theologorum pronuntiato per omnem actionem intelligendi, ſeu dictionem produci verbum. Ratio eſt, quia in omni intellectione reperitur vera actio prædicamentalis, hæc autem neceſſario producit terminū in mente, & nullus alius apparet, niſi verbum. Confirmatur: nam verbum, ut ait S. Thomas, nihil aliud eſt, quam emanatio ab intellectu per modum manifeſtantis; ſed in omni intellectione creata datur talis emanatio; ergo verbum. Minor patet, etiam in ipſa viſione beatifica; ea enim voluntati repræſentat Deum in ſe, ut ſumme amandum, ergo manifeſtat ipſum obiectum voluntati. Quid enim eſt voluntati obiectum manifeſtare, niſi ille proponere obiecti bonitatem! ergo eadem viſio beata manifeſtabit ipſum obiectum intellectui, atque adeo erit emanatio ab ipſo per modum manifeſtantis.

Tertia difficultas. An intellectio recipiatur in animo prout eſt in toto corpore. Negandum cum communi ſententia, quia ſolum recipitur in illo prout eſt in cerebro. Ratio eſt, quia non exercetur quælibet actio vitalis ab animo prout eſt formaliter in toto corpore, ſed prout eſt in illa parte, ubi adſunt organa, & diſpoſitiones à quibus illa pendet; ſic enim ab ipſo, nec ſentitur, nec videtur formaliter in oſſe, atqui intellectio pendet ſaltem indirecte à ſenſu communi, & organo corporeo exiſtente in cerebro, ergo ibi ſolum ab animo fiet, & recipietur. Sed ais. Intellectio eſt intime unita animo, animus eſt in toto corpore, ergo intellectio eſt in illo prout in toto corpore exiſtit. Verum hæc conſecutio ſimilis eſt illi erroneæ Vbiquiſtarum

rum ita arguentium, Humanitas Chriſti eſt intime unita verbo: verbum eſt ubique: ergo & humanitas; & huic alteri plane falſæ: Vnio qua unitur caput animæ eſt in anima intrinſece terminante, ſed anima eſt in pede, ergo & illa unio. Immo quamvis eadem unio reciperetur in anima, ut in vero ſubiecto, non eſſet in pede. Cuius ratio eſt, quia poteſt ſubiectum, vel terminus propter ſuam excellentiam locum ampliorem vendicare, quam aliquis eius actus, vel forma, maxime ſi pendeant ab aliquo in certo loco exſiſtente, ut hic contingit.

DVBIVM IX.

Quid ſit actus practicus, & ſpeculativus, & qui differant.

QVæ hic de practico & ſpeculativo, Animaſtici in controverſiã vocare conſueverunt, ſciens, prudenſque omitto, ne actum imprudentius agam. Diſſeram tantum, quæ in hunc locum diſceptanda reliqueram, naturam ſcilicet actus practici, & ſpeculativi, eorumque diſcrimen, ut eorum quidditas penitius inſpiciatur.

Communis ſententia hæc profert: Actus practicus verſatur circa rem operabilem, non vero ſpeculativus. Difficile tamen explicatu eſt, quid ſit verſari circa operabilem. Nam vel eſt cognoſcere rem ut operabilem ab habente ſcientiam, & ſic eſſe practicum, & ſpeculativum, erunt differentiæ accidentales; vel eſt cognoſcere eſſentiam rei operabilis, ſicque non videtur, quo differat notitia practica ab ſpeculativa: nam notitia practica domus, verbi gratia, ideo verſatur circa rem operabilem, quia eſt cognitio omniũ, quibus conſtruenda eſt domus: ſed id ipſum attingit cognitio ſpeculativa eſſentiæ domus, non enim eſſet eſſentiæ illius cognitio, niſi partes omnes ex quibus poteſt conflari attingeret: ergo.

Molina 1. par. quæſt. 1. artic. 4. diſtinct. 2. Scotus, Maior, Baſſolis, Conradus, &c. apud Gillium infra citãdum. Hurtado etiam diſp. 11. de anima ſect. 4. §. 24. aſſerunt differre accidentario, & dici practicum denominatione deſumpta à potentia potente operari illud, quod cognitione repræſentatur. Ideoque aſſerit Hurtad. eundem actum poſſe eſſe ſucceſsive ſpeculativum, & practicum; nam cognitio eſſentiæ hominis in Angelo, nũc eſt ſpeculativa eo quod non ſit de ſe ab Angelo operabili, ſi vero Deus Angelum elevaret ad hominem producendum, poſſet dirigi ab eo actu, eſſetque practicus. Hæc ſententia inde probari poteſt, quod non ſuperſit alius modus aptior ad hanc difficultatem expediẽdam. In hac vero ſententia concedendum eſſet, actum practicum requirere, ut opus ſit ab eo agente factibile, per accidens autem eſſe, ſi aliquando illa potentia lædatur.

Probabilis eſt; inde tamen colligitur omnem cognitionem de obiecto poſitivo creato practicam eſſe, nec ullam ſpeculativam. Probatur ſequela; nam nullum datur ens creatum ad quod non habeat potentiam obedientialem agens creatũ intellectuale: ergo ab hac potentia denominabitur practica

quævis cognitio. Dices, non deſumi hanc denominationem à potentia obedientiali quaſi remota, ſed tàtum à proxima, & iam actu imperata ad opus. Contra primo. Quia potẽtia obediẽtialis quã habet Angelus ad producẽdã animã rationalem, non requirit ad opus aliam potentiam ſuperadditam; ergo in ſuo ordine eſt proxima. Confirmatur, quia ad actu producendum hominem ſolum deeſt Angelo concurſus actualis cauſæ principalis: nec Deus aliter, ſi vellet, elevaret Angelum, niſi tribuendo concurſum actualem: ergo in ratione agentis obedientialis eſt completus in actu primo: at denominatio practici debet deſumi à potentia cõpleta in actu primo, & non ab ipſo concurſu actuali, ut per ſe patet: ergo cognitio illa Angeli de facto denominabitur practica.

Contra ſecundo. Quia non eſſe potentiam expeditam non tollit quominus cognitionem practicã denominet, ut patet in artibus artificis impediti, & concedunt adverſarij: ergo potentiam etiam obedientialem non eſſe expeditam, non officiet cognitioni practicæ.

Poſſet adhuc aliquis dicere, hãc denominationem practici, non deſumi à potentia obedientiali, ſed à ſola naturali. Hoc tamen libere dicitur, quia, ut dictum eſt, non minus dirigitur agens obedientiale ad ſuum effectum per eam cognitionem, ac naturale. Saltem ex hoc ſequeretur omnem cognitionẽ divinam obiecti creati practicam eſſe, & nullam ſpeculativam, atque adeo nec Metaphyſica in Deo ſpeculativa erit, nec ſcientia viſionis. Sequela patet manifeſto, quia quævis cognitio entis creati connotat in Deo potentiam naturalem.

Alius modus addi poſſet, qui mihi probabilior videtur, aſſerens cum communi ſententia, practicum, & ſpeculativum eſſentialiter diſtingui, ita ut cognitio practica tunc dicatur reſpicere obiectum ut operabile, quando præter eſſentiam obiecti, cognoſcit illud ut factibile, id eſt ut fieri poteſt, vel ut poteſt terminare actionem. Actum vero non attingentem hãc factibilitatem ſpeculativum eſſe. Hic modus ſic explicatus probatur primo. Quia iuxta omnium locutionem notitia practica verſatur circa obiectum operabile, ut operabile: ergo debet attingere in obiecto hanc formalitatem, nempe eſſe operabile: atqui operabile ut ſic nihil eſt aliud, quam entitas obiecti potens terminare actionem: ergo hanc rationem intuetur in obiecto, & ab ea ſpecificatur notitia practica. Prima cõſequẽtia eſt conſpicua, nam circa illud verſatur actus, quod attingit: ergo ſi verſatur, circa obiectum ut operabile, hanc rationem attinget.

Probatur ſecundo. Notitia practica talis eſſe debet, quæ poſſit voluntatem movere, & inſtruere agens ad executionem: ſed ad id non eſt ſatis, niſi attingat obiectum ut factibile, & illud tale eſſe oſtendat: ergo notitia practica attingere debet illam factibilitatem. Minor oſtenditur: nam ad illud, quod cognoſcitur, ut impoſſibile, nemo conatur.

Sed obiectabit aliquis ex noſtra ſententia ſequi, omnem cognitionem de obiecto creato eſſe practicam, quia terminatur ad obiectum creatum, quod idem eſt ac factibile. Reſpondeo, verum eſſe omnem notitiam entis creati ter-

terminari materialiter ad ens factibile, non vero formaliter, non enim omnis actus eſt cognitio huius formalitatis. Fateor hinc ſequi nullam poſſe dari ſcientiam de obiecto creato pure ſpeculativam, id eſt, quæ in ſua latitudine claudere non poſſit aliquẽ actum practicum: nam ſi obiectum alicuius ſcientiæ creatum ſit, illud poterit attingi, & concipiendo rationem factibilitatis, & ſine illa. Et iuxta hunc modum philoſophandi exiſtimo, hanc notitiam practicam non requiri in ſubiecto potentiam ad patrandum illud obiectum, quod per notitiam practicam attingitur. Ita plurimi, quos citat, ſequiturque Gillius 1. par. lib. 1. tract. 5. cap. 6. num. 7.

DVBIVM X.

De natura, obiecto, & actu voluntatis.

Admitti debere in nobis potentiam ſpiritalem, quæ ſit volũtas, recte deducitur, quia appetimus res univerſales, & ſpiritales, in quas nequit facultas corporea ferri; hæc enim ſolum in ea fertur, quæ à phantaſia proponuntur, quæ nec univerſalia ſunt, nec ſpiritalia.

Dico primo. Voluntas definiri poteſt, *Potentia impulſiva in bonum, vitalis, & incorporea*, vel *potentia affectiva ſpiritalis*. Nota ſunt omnia ex dictis de appetitu ſenſitivo.

Dico ſecundo. Voluntas eſt potentia natura ſua libera. Ratio eſt, quia illa potentia eſt libera natura ſua, quæ poſitis omnibus requiſitis ex parte potentiæ ad operandum ex ſe poteſt operari, vel non operari, ſed talis eſt voluntas, ergo, &c.

Duplex libertas in ea ſpectantur, altera quoad ſpecificationem actus, altera quoad exercitium: utraque eſt ex dictis tractat. ult. Logicæ diſputat. 2. dubio 4. nota, & neutram obtinet voluntas circa bonum neceſſarium & infinitum clare repræſentatum; in eius amorem enim naturali neceſſitate rapitur, quin poſſit affectum cohibere; ſicut neque intellectus poteſt voluntatis imperio cohibere aſſenſum vero neceſſario, clare propoſito, ut dictum in Logica loco proximè memorato. Hinc amor Dei in patria omni ex parte neceſſarius.

Dico tertio. Munus eſt voluntatis, ſicut & appetitus ſenſitivi cæteras potẽtias ſubordinatas movere, & ad actus cuique proprios applicare, quod perſpicuum eſt. Illud obſcurum, quo pacto moveat potẽtias à ſe loco diſtantes, exempli cauſa, potentiam motricem pedis ad ambulandum. Probabile videtur cuidam recentiori, ab appetitu per nervos, & venas diffundi qualitates motivas potentiarum in quam partem libuerit. Hoc tamen non probatur: quia ſæpe appetitus movet partem externam diſtantem, ut digitum media immota; ſed ſi moveret per diffuſas qualitates, moveret quoque neceſſario partem intermediam, quia tales qualitates naturaliter, atque adeo neceſſario cauſant effectum ubi recipiuntur, ergo non ita movet. Nec dicas magnetem & torpedem qualitate diffuſa movere ſubiecta diſtantia mediis immotis, quia tunc media ſunt omnino diverſæ naturæ, & proinde incapacia effectus, quem per illam qualitatem extrema & di-

diſtantia recipiunt, at hîc para extrema, & media æque ſubordinantur appetitui, & eadem qualitate ab ipſo moveri poſſunt. Quare dicendum voluntatem movere reliquas potentias ſine efficientia per ſolam ſympathiam, ſcilicet connexionem, & conſenſionem earum potentiarum cum voluntate, qua impetante excitantur, illæ connaturaliter ad ſuas operationes. Probatur, quia ſine efficientia intelligitur recte motio appetitus à cognitione ſenſus interni, & voluntatis ab intellectu, ut ſtatim fiet perſpicuum, ergo per ſympathiam ſine efficientia ſufficienter declaratur hæc motio.

Ita Salas to. 1. 1. 2. tract. 5 diſput. 1. à ſect. 1.

Circa ſecundum de obiecto dico, obiectum adæquatum voluntatis eſſe omne ens poſitivum, vel negativum, reale, aut rationis, &c. ut dictum ſupra de intellectus formale vero amabilitas, vel ens quatenus attingi poteſt à voluntate. Liquet, nam ut dictum in Phyſica diſputat. de fine, dubio 3. bonitas eſt ſpecificativum actuum proſecutionis, & malitia actuum fugæ, ergo obiectum adæquatum voluntatis non eſt ſola bonitas, ſed aliquid à bonitate & malitia præciſum, quod eſt amabilitas.

Hinc colliges veram eſſe communem ſententiam, quæ contra Durandum in 1. quæſt. 3. voluntatem realiter & eſſentialiter diſtinguit ab intellectu; habent enim illæ potentiæ longe diverſa obiecta formalia, & diverſam rationem tendendi in illa; intellectus enim obiectum eſt intelligibilitas, voluntatis amabilitas. Intellectus tendit in ſuum obiectum per modum aſſimilationis, unde eius actus imaginationes ſunt: voluntas in ſuum per modum inclinationis vel averſionis.

Circa tertium de actu dico, voluntatis actus eſt volitio: quæ complectitur ut intellectio, actionem, paſſionem, & terminum: hic terminus in voluntate eſt qualitas quædam, quæ dicitur impulſus voluntatis, ſicut terminus in intellectu verbum mentis, & ſicut verbum mentis ab intellectu producitur per actionem diſtinctam, quæ dictio appellatur, ita impulſus voluntatis per aliam diverſam actionem, quæ dici poteſt ſpiratio, maxime quando amatur obiectum. Eſt nunc non levis inter graves Doctores controverſia, an ad actum voluntatis præter voluntatem ipſam actus intellectus repræſentans obiectum concurrat efficienter. Non ita concurrere Suarij, Vazquez, Hurtadi, & recentium univerſorum placitum eſt, & acquieſco. Primo, quia ſicut gravitas eſt ſufficiens principium quo lapis fertur in centrum, ita voluntas eſt ſufficiens principium ſui actus in obiectum, ergo ſicut gravitas eſt principium activum adæquatum motus in centrum, ita & voluntas motus, vel impetus in obiectum. Quare cognitio ſolum erit applicatio obiecti, in quod voluntas moveatur. Secundo cognitio ſenſus interni non influit efficienter in actus appetitus ſenſitivi; diſtant enim inter ſe loco, illa enim eſt in cerebro, iſte vero in corde; ergo neque cognitio intellectus in actum voluntatis; eadem enim utrobique ratio. Quocirca cognitio intellectus per ſolam ſympathiam movebit voluntatē ad ſuū actum, ſicut cognitio ſenſus interni appetitum. Tertio, probari poteſt contra Caietanum, nam viſio beata non influit efficienter in amorē Dei; quia cum ex ipſius

Suar. diſput. 18 ſect. 8. n. 40. Vazq. 1. 2. diſp. 16. c. 3. Hurtad. diſp. 14. ſect. 5.

ſen-

ſententia, nec ſit verbum, nec illud producat ſolum eſt actio, quæ non eſt principium agendi, ut quod; ergo ſicut ſola voluntas concurrit ad illum actum amoris, poterit quoque ſola ad cæteros.

Contrarium tenet Molina 1. par. artic. 2. diſputat. 3. Caietanus, Conradus, aliique apud Vazquez ſupra. Primo, nam Verbum Divinum quaſi efficienter producit Spiritum Sanctum, qui procedit formaliter, ut amor; ergo & Verbum creatum efficienter producit amorem. Negatur conſecutio, tum quia Verbum Divinum, ideo producit Spiritum Sanctum, quia ei natura Divina fœcunda ad ſpirandum, ita eſt communicata à Patre in illo ſigno, in quo intelligitur primo ſpiratio Spiritus Sãcti: quare cum ipſi iam ſit commune principium ſpirandi cum Patre, neceſſe eſt, ſit communis ipſa ſpiratio, at facultas amandi, quæ eſt in voluntate, non communicatur Verbo creato, neque eſt eius attributum, neque habet identitatem realem cum ipſo ſicut cum Verbo Divino. Tum etiam, quia Verbum non eſt principium Spiritus Sancti formaliter per intellectum, ſed per voluntatem. At iſti autores influxum activum in amorem tribuunt Verbo creato, ut eſt formaliter Verbum & cognitio non ſatis apte ut patet.

Secundo. Sicut notitia pendet ab intellectu, & obiecto, ita & amor à voluntate & obiecto; ſed ſpecies impreſſa, quæ ſe tenet ex parte obiecti intelligibilis concurrit efficienter cum intellectu ad notitiam; ergo & cognitio, quę ſe tenet ex parte obiecti amabilis, eius enim eſt intentionalis ſimilitudo expreſſa; efficienter concurret cum volũtate ad amorem. Ratio plane non invalida, ſed ei optima eſt ſolutio: nã ſpecies impreſſa cum ſolum ſit virtualis ſimilitudo, nequit determinare intellectum ad ſuum actum, niſi efficienter, ut ſupra; poteſt autem cognitio ſine efficientia determinare voluntatem, quia eſt ſimilitudo formalis & expreſſa obiecti, qua poſita volũtas propter ſympathiã excitatur ad ſuũ actum & obiectum. Deinde non eodem omnino modo ſe tenet cognitio ex parte obiecti voluntatis, ſicut ſpecies impreſſa ex parte obiecti intellectus, nam ſpecies tantum eſt vicaria obiecti, & eo præſente non influit, ſed ſuperfluit, quia per ſe tunc obiectum efficienter concurrit, at cognitio eſt omnino neceſſaria, & ſi obiectum voluntati ſit intime præſens, & proportionatum, quod nec tunc quidem influit efficienter in actum amoris: quare mirum non eſt ſi nec cognitio, quæ ex parte talis obiecti ſe tenet influat efficienter. Ultimo, & erit præcedentium ratio. Intellectus requirit concurſum obiecti, vel alicuius vicem obiecti gerentis, quia eius exprimit ſimilitudinẽ formalem, alioqui non eſſet proportio, & ſimilitudo inter principium activum proximum, & eius effectum, at volũtas ſolum efficit actum, quia eſt impetus in obiectum ad quod ipſa per ſe ſufficit, ſicut gravitas lapidis ad motum in centrum. Quæ plane etiam concludunt nullum appetitum ſpeciebus impreſſis ad ſuos actus indigere, ut ſupra. Cæteræ rationes adverſariorum alibi ſunt profligatæ.

DVBIVM XI.

An voluntas ferri poſſit in incognitum.

DVplex eſt difficultas. Prima, de facto. Secunda, de poſsibili. Circa primam affirmarunt aliqui, de facto voluntatem amare ſine cognitione. Tribuitur hæc ſententia Bonaventuræ 2. to. opuſcul. quæſtione quadam, quæ habetur in fine libri de myſtica Theologia, & in Itinerario mentis ad Deum, c. 7 Gregorio, Gerſoni, Dionyſio, & aliis apud citandos.

Ita Suar. to. 1. Met. diſp. 23. ſect. 7. Vazq. 1. 1. diſp. 35. c. 2. & 3. Salas 1. 2. tract. 1. diſp. 5. ſect. 1. & alij antiqui, & moderni apud iſtos.

Negandum tamen cenſeo de facto dari ſine cognitione aliquẽ actum voluntatis, quãtumvis ferventiſsimum, etiam in raptu, & extaſi. Probatur primo, ex communi adagio Philoſophorum, Nihil volitum quin præcognitum. Secundo, quia voluntas eſt indifferens ad varia obiecta amanda & infinita, ergo indiget aliquo proponente obiectum: At nullum eſt ei proponens obiectum niſi ſola cognitio: ergo voluntas de facto connaturaliter indiget cognitione. Confirmo, quia ob indifferentiam, quam habet intellectus ex parte obiecti, indiget aliquo ex parte eius, ergo voluntas ratione indifferentiæ ad infinita obiecta amabilia, indiget aliquo ex parte obiecti: hoc nullũ aliud reperitur niſi cognitio obiectum repræſentans, ergo cognitio eſt neceſſaria ad voluntatem. Tertio, quia ſi nulla daretur obiecti cognitio, nulla eſſet ratio cur voluntas idem omnino obiectum, nunc odio, nunc amore proſequatur, ergo requiritur cognitio repræſentans bonitatem, & malitiam obiecti, ut voluntas illud modo amplecti, modo poſsit averſari. Quarto, Omnis actus voluntatis non minus poſtulat eſſe voluntarius, quam actus intellectus intellectivus; ſed actus voluntarius, ex communi Theologorum omnium conſenſu ad quæſtionẽ 6. 1. 2. eſt à principio intrinſeco cũ cognitione; ergo omnis actus volũtatis eſt cũ cognitione. Quinto, nullum eſt indicium, nulla experientia exiſtentiæ actus voluntatis ſine cognitione; ergo fruſtra confingitur. Antecedens probo contra eos contemplativos, qui ſe amorem ſine cognitione experiri dictitant: nam vel id experiuntur cum ſunt in extaſi, & raptu, vel extra. Si primum, ergo iã tunc habent aliquam cognitionẽ: quomodo enim experiuntur, niſi cognoſcẽdo per intellectum amorem? maxime, quia experientia cognitio quędam eſt, ergo non recte aiunt eos omni eſſe tunc cognitione deſtitutos. Si ſecundum, ergo habent memoriam eorum, quę ſibi in extaſi contigerunt: at memoria ſupponit cognitionẽ præteritam, rei enim nuſquam notæ nullus meminit; ergo. Vltimo, bonitas movet voluntatem, at nõ movet exiſtens à parte rei, ſed in apprehenſione & cognitione, ergo hæc ſemper neceſſaria eſt.

Obiiciuntur primo aliqua verba D. Dionyſ. Areopag. nam epiſt. 5 ad Dorot. docet, eum qui per extaſim unitur Deo, non cognoſcere, neque videre: item amorem unitivum vacare omni ſcientia. Hæc tamen intellige de ſcientia,

& co

& cognitione rerum creatarum, tunc enim ſolum attenditur cognitioni Dei, rerumque divinarum.

Obiicitur ſecundo. Poteſt homo velle ſcire aliquam artem, aut ſcientiam quam ignorat, ergo poteſt velle ignotum. Nego conſequentiam: qui enim vult addiſcere, licet non præſupponat eam ſcientiam quam optat, ſupponit tamen eius ſcientiæ cognitionem confuſam, ſaltem quoad an eſt.

Obiicitur tertio. Sequi inde proceſſum infinitum, nam ut dicimus omnis volitio ſupponit cognitionem; ſed etiam omnis cognitio ſupponit aliquam volitionem, cum cognitio imperetur à voluntate; ergo. Reſpondeo, non ſequi eum proceſſum, quia non omnis cognitio eſt mota, & imperata à voluntate: prima enim cognitio non eſt à voluntate, ſed vel à Deo, vel ab Angelo, vel à cauſa extrinſeca applicata ſenſibus.

Circa ſecundam partem duplex eſt oppoſita ſententia, neſcio an æque probabilis, utraque ſaltem ſatis firmata; utriuſque expendam momenta, & diſſolvam, ut quiſque pro libito, quam viderit probabiliorem, tuto poſsit amplecti.

Ita Salm. cit. & Hurtad. diſp. 14. de anima, ſect. 4. & alij apud iſtos. Prima ergo, & communior negat etiam de potentia abſoluta ferri poſſe voluntatem in ignotum, Varie probatur. Primo dicto illo cõmuni, Nihil volitum quin præcognitum. Reſpondeo, capiendum eſſe de lege ordinaria.

Secũdo, quia Deus amat pręcedẽte cognitione, ergo & nos neceſſario. Diſtingue conſequẽs, ex natura rei, cõcedo; divinitus, nego. Diſcrimen vero apertiſsimum eſt, modus enim amandi Dei, ſicut & Deus immutabilis eſt, noſter vero actus amoris cum actione producatur, produci poterit & actione ſupponente cognitionem, & alia non ſupponente.

Tertio. Omnis actus voluntatis eſt voluntarius, ergo omnis eſt à voluntate cum cognitione, quæ eſt voluntarij definitio. Reſpondeo, negando conſequentiã, quia voluntarium eſt à cognitione connaturaliter tantum, vel poſtulat eſſe à cognitione.

Quarto, Amor formaliter includit actionem; ſed actio, nec divinitus eſſe poteſt ſine cognitione, quia eſt voluntaria; ergo neque amor. De maiori dixi ſupra. Nunc ad præſens inſtitutum non multum refert eam cõcedere, vel negare. Tranſeat ergo maior. Nego tamen minorem, quia actio voluntaria ſolum connaturaliter poſtulat cognitionem, ut dixi de actu: cum enim actio non procedat tanquã à principio à cognitione, ſolum poſtulat illam tanquam conditionem, quam Deum ſupplere nihil obſtat.

Quinto, Talis actus vel eſſet liber, vel neceſſarius: neutrum dici poteſt. Non primum, quia ad libertatem requiritur indifferentia voluntatis, quę ſine cognitione non eſt. Non ſecundum, quia voluntas in via circa nullum obiectum neceſsitatur quoad exercitium per ſe loquendo, ergo. Reſpondeo, fore neceſſarium. Eius impugnatio ſolum probat de facto, non de poſsibili.

Sexto, Sive ille actus eſſet finis, ſive mediorum, præquireret motionem metaphoricam finis, ſed hæc ſita eſt in eo quod finis cognitus moveat volũtatem,

ergo requiritur cognitio. Nego maiorem de poſsibili.

Septimo. Impoſsibilis eſt appetitus naturalis qui non ſequatur aliquam formam naturalem, ergo impoſsibilis eſt appetitus elicitus qui non ſequatur formam apprehenſam. Patet conſequentia, quia appetitus elicitus ſequitur formam cognitam, ſicut naturalis naturalem. Hoc argumentum aptiſsimum eſt ad probandum de facto; de poſsibili vero nequaquã: immo retorqueri poſſet, nam ſi appetitus naturalis ſit realiter ſaltem ut res, diſtincta à forma, eodemq; pacto poterit ſeparari à forma, quam connaturaliter poſtulat; ſic ſi gravitas re differat à ſubſtantia corporis, poterit à ſolo Deo produci; idem dico de motu deorſum; quid enim implicat, ut in corpore gravi à ſolo Deo producatur? ergo cum actus voluntatis ſolum re differat à cognitione, & ab ea ſolum uti à cõditione pẽdeat, poterit à ſolo Deo producente eius defectus suppleri. Vnde maior, ſi intelligatur de appetitu re diſtincto, falſa eſt de poſsibili.

Septimo. Tam repugnat voluntatem exercere actum ſuũ ſine obiecto prius cognito, quam ſine ullo obiecto, ſed hoc repugnat etiam divinitus; ergo & illud. Probo maiorem: nam ut dixi in Phyſica obiectum non repræſentatũ, v. g. ut bonum, perinde eſt reſpectu voluntatis, ac ſi non eſſet, quemadmodum obiectum in ſe malum repræſentatum ut bonum perinde eſt, ac ſi eſſet bonum. Vnde cognitio eſt quędam conditio, quodammodo faciens obiectum voluntatis. Reſpondeo, negando maiorem. Amor enim cum eſſentialiter ſit tendentia in obiectum, nequit eſſe ſine illo, ſive in re exſiſtat obiectum, ſive ſolum terminative in actu voluntatis. Cognitio autem & repræſentatio obiecti ſolum eſt conditio antecedens ad tollendam indifferentiam voluntatis, quam Deus tollere etiã poteſt efficienter per ſuum concurſum producendo actum. Ea autem quæ in Phyſicis dixi intelligenda ſunt de voluntate connaturaliter operante, quo pacto tendere debet in obiectum factum, vel repręſentatum per intellectum. Hæc autem fictio intellectus non requiritur eſſentialiter, cum poſsit Deus producere amorem extra ſubiectum, qui ſine cognitione antecedente reperiretur, non vero ſine obiecto terminante.

Octavo. Deus ſupplere nequit conditionẽ indiſtantiæ inter materiam & formam; ergo neque conditionem cognitionis ad volitionem. Nego conſequentiam; effectus enim formæ in materiam non eſt in genere cauſæ efficientis, ideoque indiſtantiam requiſitam non valet Deus efficienter ſupplere.

Secunda ſententia affirmat, poſſe voluntatem ferri in ignotum. Probatur primo, quia actus volũtatis ſolum pendet à cognitione, ut à proponente: ſed poteſt Deus effective ſupplere proponentem: ergo. Minor probatur, quia poteſt Deus effective ſupplere concurſum phantaſmatis ad ſpecies intellectus, & idem eſt in aliis; poteſt enim ſolus producere ſpecies intellectus, ut contingit in viſione beatifica. Reſpondeo negando minorem. Ad eius probationem dico, quando proponens eſt

Citãtur pro hac ſententia Paluda. Ferrari. Durand. & alij apud citatos.

re-

requiſitum, ut applicet obiectum formale actu per repræſentationem, non poſſe ſuppleri effective à Deo. Sic cum cognitio ad voluntatem requiratur, ut applicet illi obiectum formale & motivum, exprimendo rationem formalem amandi, non poterit ſuppleri effective à Deo, quia nulla efficientia, niſi ſit cognitio, erit expreſsio rationis formalis, & motivi amandi. Hoc non contingit in phantaſmate, & aliis exemplis, nam phantaſma non requiritur, ut proponat per repræſentationem obiectum intellectui, ſed ut tollat indifferentiam eius ad varias ſpecies, & actus, quod recte fit per concurſum effectivum, & ideo ſuppleri poteſt à Deo.

Vrgebis inde, proponens ſolum requiritur ad tollendam indifferentiam voluntatis circa obiecta varia, alias nõ eſſet neceſſaria propoſitio obiecti, ut liquet in apprehenſione noſtra, & iudicio Angeli, quod poſita ſpecie non requirit aliam determinationem, aut proponens: ſed indifferentia tolli poteſt ad effective, ſi nempe concurſus divinus applicetur determinate ad hoc dumtaxat obiectum: ergo non requiritur cognitio. Nego maiorem, quia etiam requiritur ad applicandum obiectum motivũ potentiæ, quæ cæca eſt, quod niſi fiat per cognitionem & repræſentationem, nuſquam erit obiectum potentiæ cææ applicatum.

Secundo, aliæ conditiones formales (v. c. approximatio ignis vel alterius cauſæ ad operandum) ſupplentur à Deo effective, ergo & cognitio, quæ ſolum eſt conditio. Sed huic occurrendum eſt eodem pacto; alias conditiones non eſſe applicativas obiecti formalis & motivi, qualis eſt conditio requiſita ad voluntatem, quæ non requiritur ad ſolam indifferentiã tollendam, ſed ad applicandum obiectum potentiæ cæcæ, ut dixi, & ideo inter hanc conditionem, & alias, longum intercedit, latumque diſcrimen.

DVBIVM XII. & ultimum.

Clauſula huius tractatus.

DVbitatio prima. Qualis ſit ſtatus animæ ſeparatæ.

Dico primo. Actus ſeparationis in fieri non eſt naturalis animæ; ſed potius violentus. Ratio eſt, quia anima natura ſua nõ inclinat in ſeparationem, imo ei per ſuas qualitates, & diſpoſitiones pro viribus ei reluctatur, & potius propendet in unionem cum corpore; ergo ſtatus ſeparationis in fieri violentus eſt. Quod magis ex ſequentibus fiet perſpicuum.

Ita Sal. to. 1. in 1. 2. tra. 3. diſput. 2. ſect. 5. Hur. diſp. 8. de anima ſeparata, ſect. 3. & Conimbric.

Dico ſecundo. Status ſeparationis in facto eſſe, etiam eſt animo violentus. Ratio eſt, quia anima ut compars eſſentialiter incompleta petit naturaliter aliam comparem, & ut forma petit naturaliter informationem & unionem tanquam ſui perfectionem intrinſecam & complementum ſubſtantiale; atqui carentia complementi ſubſtantialis, & intrinſecæ perfectionis eſt animæ violenta, ut iſti authores fatentur; ergo ſeparatio etiam in facto eſſe eſt violenta cum per eam anima privetur eiuſmodi perfectione.

Contra authores citatos.

Salas citatus num. 38. ait, poſtquam ſemel eſt ſeparata anima, eam iam non habere potentiam, neque appetitum naturalem, ut iterum via naturali informet corpus, quia non eſt agens naturale, quod poſsit inducere diſpoſitiones requiſitas in materia ad illius informationem, atque adeo tunc illam carentiam informationis non eſſe proprie ab extrinſeco, ſed conſequi naturaliter ex ipſa ſeparatione, & propterea non eſſe violẽta. Contra tamẽ, & confirmatur primo, quia ut fatetur Salas, in primo inſtanti ſeparatio à corpore eſt violenta animæ, ergo & poſtea. Patet conſecutio, quia in illo primo inſtanti non ſunt diſpoſitiones in materia requiſitæ ad unionem & informationem, quia periere, ideo enim tunc ſeparatur anima, & conſequenter iam non ſunt producibiles via naturali quia ſemel corruptæ, ergo non habet tunc potentiam naturalem, ut informet materiam, & ei uniatur; atqui nihilominus carentia informationis tunc eſt violenta animæ; ergo & poſtea, quãvis non habeat via naturali potentiam ad informationem ob defectum diſpoſitionum.

Alij concedunt neque in inſtanti ſeparationis, nec poſtea pati violentiam, quia anima non appetit informationem & unionem cum corpore, niſi dum ſunt diſpoſitiones neceſſariæ in materiam, cumque nec ſint in primo inſtanti ſeparationis, nec poſtea, nec vi agentia naturalia poſsint induci. Inde concludi aiunt, ut neque in primo inſtanti, nec poſtea ſuſtineat violentiam. Contra tamen, & confirmatur ſecundo, nam homo cæcus ob carentiam viſus ſibi debiti, ut communiter cenſetur, patitur violentiam, licet in illo non ſint diſpoſitiones naturales ad viſus conſervationem, ergo & anima erit violenta ob carẽtiam informationis propter eandem rationem.

Hurtadus §. 15. ideo tenet animam tunc non paſſuram violentiam, quia darentur illi cognitiones perfectiſsimę, quę ſupplerent defectum compartis & unionis. Sed contra, quia illæ cognitiones non ſupplerent talem defectum, neque enim præſtarent, quod illæ erant præſtituræ, &c.

Opponit Hurtadus, tunc animam habere modum exiſtendi & cognoſcendi perfectiſsimum naturalem, ergo non eſt in ſtatu violento. Nego antecedens abſolute, quia iſte modus naturalis requirit, ut anima ſit unita corpori, & utatur ſenſuum miniſterio. Eſt naturalis reduplicative, id eſt animæ poſitæ in ſtatu ſeparationis concedo. Vel etiam illum ſtatum eſſe naturalem, vel non violentum animæ ſpectata ratione cognoſcendi, eſſe tamen propter carentiam complementi ſubſtantialis violentum, quæ non ſuppletur, vel compenſatur præfato modo cognoſcendi, ut bene Conimbricenſes hic diſputatione 2. articulo 2. §. ad 3. neque id novum videatur, nam motus progreſsivus animalis ſæpe eſt illi violentus quatenus conſtat corpore gravi, & eſt alioqui naturalis quatenus conſentaneũs præcipuæ inclinationi naturæ animalis. Ita S. Tho. … a. 6. Caiet.

Dico ultimo. Si loquamur de animis Beatorum in ſtatu ſeparationis patiuntur non ſimpliciter, ſed ſecundum quid violentiam

tiam contra appetitum elicitum. Prima pars probatur, quia carentia unionis pro illo tempore à Deo ſtatuta eſt illi ſimpliciter voluntaria, quia abſolute divino Decreto conformantur. Secunda vero conſtat, quia ſaltem ſimplici affectu vellent uniri ſuis corporibus. Addidi contra appetitum elicitum, quia quæ in ſuperioribus dictis pronuntiata, intelligenda ſunt de appetitu innato.

Dubitatio ſecunda, de potentiis rationalibus animæ ſeparatæ, & earum actibus.

Dico primo. Anima rationalis ſeparata à corpore retinet omnes potentias rationales. Eſt certum, nam ideo nullus ſenſus manet in illa poſt ſeparationē, quia ſenſus pendet à corpore ut ſubiecto; ſed tales potentiæ ſolum pendent ab anima in emanatione & receptione; ergo, &c.

Ita S. Tho. 1. par. q. 88. ar. 6. Caiet. ibidem. Dico ſecundo. Intellectus animæ ſeparatæ retinet omnes ſpecies impreſſas, quas in corpore acquiſivit, ſicut & habitus intellectuales, & exercet cognitiones ſimiles his, quas in corpore exercebat. Primum conſtat, quia, ut ſuperius dicebamus, ſpecies impreſſæ intelligibiles in corpore acquiſitæ ſunt incorruptibiles, quia in ſua entitate ſemel comparatæ non pendent à corpore, idemque eſt de habitibus. Secundum vero inde ſequitur, quia intellectus in eo ſtatu retinet principia cognitionum quas in corpore exercebat, ergo extra ipſum poterit ſimiles exercere: unde bene Caietanus ad ſcientias cohortatur, quia earum fructus etiam poſt obitum perſeverant.

Dico tertio. Habet etiam diverſas ſpecies ab acquiſitis immediate à Deo acceptas. Primum patet, quia animis puerorum excedentium priuſquam aliquas rerum ſpecies colligant, nequeunt aliquæ ſpecies ad cognitionem in eo ſtatu negari, tum quia animus in eo ſtatu habet modum eſſendi independentem à corpore, & habiliorem ad res cognoſcendas, ergo illi debitæ ſunt aliquæ ſaltem ſpecies diverſæ ab his, quæ in via acquiruntur. Secunda pars probatur ex communi Theologorum ſententia aſſerente, Angelos ſpecies immediate à Deo accipere, ergo idem de anima in eo ſtatu.

Dico quarto. Species animæ ſeparatæ à Deo impreſſę non ſunt diſcurſivæ. Ratio eſt, quia in eo ſtatu maxime imitatur modum eſſendi & intelligendi angelicum; ſed ſpecies angelicæ non ſunt diſcurſivæ, ſed uno actu attingunt cauſam & effectum; ergo & anima vendicabit ſpecies ſimiles, quoad modum operandi ſine diſcurſu, eſto ſint imperfectiores angelicis, ſicut & inter Angelos inæqualitas ſua admittitur. Nec dicas diſcrimen eſſe cum natura ſua intellectus animæ ſit diſcurſivus, ſecus vero angelicus: nam ideo intellectus animæ eſt natura ſua diſcurſivus, quia habet eum modum cognoſcendi prout eſt in corpore, quem ſtatus nunquam habet angelicus: at in ſtatu ſimili angelico, & cum ſpeciebus angelicis perſimilibus ſine diſcurſu cognoſcit ut angelicus; nonnunquam utitur diſcurſu, quando verſatur circa obiecta, cuius non habet proprias ſpecies, ut Molina docet.

Dico quinto. Anima ſeparata

ta cognoſcit ſe immediate prout eſt in ſe, tum omnes ſuas potentias, & actus, ſicut & cæteras animas. Suadetur primum, quia anima eſt obiectum proportionatum proprio intellectui, neque cognitio immediata ex modo cognoſcendi eius ſuperat facultatem. Confirmatur. Angelus ſe immediate cognoſcit, ut communiter Theologi cum Divo Thoma; ergo & anima. Hinc vero ſequitur ſecundum.

Dico ſexto. Anima ſeparata naturali ac clara cognitione Angelos intuetur cum eorum naturalibus proprietatibus, & operationibus, exceptis cordium, ut vocant, cogitationibus. Oſtenditur, quia ſicut Angelus inferior poteſt clare, & immediate cognoſcere ſuperiorem, ita & anima Angelum, licet ſe ſuperiorem in natura, cum ei lege naturali, ut ait Divus Thomas in ſtatu ſeparationis tribuantur ſpecies perfecte repræſentantes rem ut eſt in ſe. Confirmatur primo, nam finis ob quem Deus tribuit animę ſpecies repręſentatrices Angelorum, eſt ut ait Divus Thomas quæſt. unica de anima, artic. 16. ut cum illis in communi ſocietate vivat; atqui iſta ſocietas poſtulat diſtinctam cognitionem ſingularũ perſonarum, niſi forte velis animam inſtar hominis cæci in tam illuſtri cœtu verſari; ergo. Confirmatur ſecundo. Anima eſt valde affinis tunc Angelis in gradu & modo eſſendi. Imo exiſtimo valde probabile, Angelos ab anima comprehendi, eo modo quo Angeli ſuperiores comprehendũtur ab inferioribus.

Dico ſeptimo. Cognoſcit etiam clare, & per proprias ſpecies ſubſtantias corporeas & ipſarum accidentia. Ratio eſt, quia in modo eſſendi eſt iſtis obiectis ſuperior; ergo & in perſpicacia intelligendi, ita ut ea clare percipiat. Confirmatur, nam ut dictum eſt, ipſa anima ſeparata valet ſubſtantias ſpiritales, & earum affectiones diſtincte perſpicere; ergo multo facilius ſubſtantias corporeas & earum accidentia.

Dico ultimo. In eo ſtatu retinet intellectum qua eſt facultas memorandi, quia anima non ſemper verſatur in cognitione omniũ rerum, quarum habet ſpecies, ergo poſtquam ſemel rem cognovit, poſtea eiuſdem cognitionem intermiſſam poterit repetere, in quo ratio memoriæ poſita eſt, ut ſupra diximus. Hac enim ratione memoriam præteritorum Angelis conceditur, non tamen Deo, quia eum numquam ceſſet à cognitione obiecti ſemel cogniti, numquam repetit cognitionẽ intermiſſam. Vnde per metaphoram ſolum dicitur meminiſſe ſicut obliviſci. Tandem certum eſt retinere quoque voluntatem, eamque multo melius in eo ſtatu, & vehementius poſſe obiectum averſari, vel diligere, quia clarius illi proponitur illius malitia, vel bonitas. Cętera Ethico, vel Theologo relinquo.

Dubitatio tertia. De potentia loco motiva animæ ſeparatæ.

Aſſero primo. Anima ſeparata inſtructa eſt potentia loco motiva ſpiritali, qua poteſt ſeipſam, & alia corpora movere. Ita communiter recentiores cum Abulenſi in 8. c. Matth. q. 114. & aliis. Primum ſuadetur primo: quævis ſubſtantia gaudens vita ſolũ ſenſitiva prædita eſt virtute ſui loco

mo-

motiva, ergo & anima ſeparata, quæ gaudet vita excellentiori. Secundo, Angelis ea potentia conceditur; ergo neganda non eſt animæ ſeparatæ, quæ in eo ſtatu æmula eſt conditionis Angelicæ. Confirmo. Omnem ſubſtantiam creatam cognoſcitivam & appetitivam conſequitur potentia loco motiva, ut liquet inductione; ergo & anima ſeparata, cum tunc ſit actu perfectiſsime cognoſcitiva & appetitiva. Quare immerito aliqui eam volunt eſſe immobilem, ſolumque vel à Deo, vel ab Angelis poſſe ex uno loco in alium transferri. Secundum conſtat: nam eadem virtus loco motiva qua ſe movet anima cũ corpore, poteſt movere alia corpora, ergo & eadem qua anima ſeparata movet ſe, poteſt movere alia corpora.

Aſſero ſecundo. Ea potentia loco motiva diſtinguitur re & eſſentia ab intellectu & voluntate animæ. Oſtenditur primo. Non minus differunt actus volitionis & intellectionis à motu locali animæ quam inter ſe; ſed propter differentiam qua inter ſe diſtant requirunt in anima duas potentias re, & eſſentia adæquate diverſas; ergo & propter differentiam, qua ab illis diſtat motus localis, requiret potentiam tertiam ſimiliter diverſam.

Dices, Motum localem ſubordinari actui voluntatis à quo imperatur, ac proinde ab ipſa poſſe oriri. Contra tamen, nam etiam actus voluntatis ſubordinatur actui intellectus à quo dirigitur, nec tamen fit ab intellectu.

Secundo oſtenditur: nam potentia motiva ſolum verſatur circa obiectum præſens & exſiſtens, intellectus autem & voluntas, etiam circa obiectum abſens, vel nullibi exſiſtens, & habent diverſum omnino modum tendendi; ergo ſunt facultates omnino diverſæ. Favet communior doctrina Theologorum cum Divo Thoma diſtinguens, etiam in Angelo potentiam loco motivam ab ipſius intellectu & voluntate: unde iam conſtat deciſio illius controverſiæ, quæ adducitur in libris de Cœlo, an ſcilicet intelligentia per intellectum ſolum & voluntatem moveat cœlos, vel per potentiam motricem diverſam.

Oppones, Ariſtoteles libro 3. de anima, capite 3. explicans potentiam motricem animæ ait. Hæc igitur ambo intellectus & appetitus principia ſunt movendi ſecundum locum. Vnde Vazquez 1. parte, diſputatione 218. capit. 3. colligit, potentiam motivam animæ ſeparatæ non eſſe ab intellectu, & voluntate diverſam, licet in homine ponatur in corpore potentia motiva materialis diſtincta. Confirmatur. In naturis ſuperioribus uniri debent perfectiones, quæ in inferioribus ſunt diverſæ; ergo licet in aliis viventibus appetitus & virtus motiva ſint diverſæ, in anima ſeparata erunt eadem entitas. Verum Ariſtoteles intellectum & appetitum vocat principia motus, quia ille dirigit, iſte imperat & applicat motum, ulterius tamen requiritur potentia exequens, ut cernere licet in operationibus aliarũ potentiarum, quæ intellectui & voluntati ſubordinãtur. Aſſumptum autem illud in confirmatione verum eſt in potentia ſuperiori, quæ radicatur in eadem eſſentia cum inferiori illi ſubordinata, ut pa-

tet in intellectu cõparatione ſenſuum, non in potentia, quæ eſt ſuperior, quia radicatur in natura nobiliori; non enim eſt neceſſarium, ut omnes potentiæ inferiores in ea uniantur, & inter ſe habeant realem idemptitatem, cæteroqui intellectus & appetitus in Angelo non diſtinguerentur: imo neque in homine ponenda eſſet potentia materialis motiva diſtincta ab intellectu, & voluntate, quæ omnia Vazquez reſpuit.

Rogas, an potentia loco motiva ſpiritalis, quæ tribuitur animæ ſeparatæ, inſit ipſi etiam corpori unita. Alij negant, quia per eandem potentiam loco motivam materialem, qua movet corpus, movet ſeipſam neceſſario, quia eſt corpori alligata, ſicut & quæ movet hoſtiam conſecratam, movet quoque Chriſtum Dominum, quia habet connexionem cum illa. Alij affirmant, aiuntque animam ea uti dum contemplationis vi extaſim patitur, eius enim potentiæ auxilio in altum corpus rapit, quia tunc agit ac ſi eſſet à corpore ſeparata. Vtrique parti ſua eſt probabilitas, neutri ratio maxime urgens.

Dubitatio ultima, de præſentia locali animæ ſeparatæ.

Autumo primo. Præſentia per quam anima eſt in hoc loco, non eſt operatio, ſed modus intrinſecus, per quem eſt præſens in ſpatio. Liquet ex tract. 5. Phyſico, diſputatione 1. dubio 9. ubi docuimus, omnem rem per modum realem intrinſecum præſentiæ exſiſtere in loco.

Autumo ſecundo. Iſta præſentia eſt in ſua entitate ſpiritalis. Ratio eſt, quia educitur, & recipitur in ſubiecto ſpiritali cuius eſt actus, atque ideo ei debet in entitate proportionari. Firmatur. Præſentia rei corporeæ eſt neceſſario corporea; ergo præſentia rei ſpiritalis neceſſario eſt ſpiritalis.

Autumo tertio. Præſentia qua anima reſpondet ſpatio, etiam diviſibili, eſt in ſua entitate indiviſibilis, id eſt carens partibus extenſivis diſtantibus, & inter ſe phyſice unitis. Ita docebit conſequenter Vazquez, quia 1. parte, diſputatione 188. capit. 7. num. 3. licet tribuat Angelorum præſentiæ diviſibilitatem & extenſionem virtualem, ut reſpondeat ſpatio extenſo, negat tamen conſtare partibus inter ſe diſtãtibus, quæ reſpiciant diverſas partes ſpatij, in qua ſententia etiam eſt Hurtadus, & alij. Oſtenditur primo. Iſta præſentia eſt forma ſpiritalis, ſed omnis entitas ſpiritalis eſt eſſentialiter indiviſibilis, tam enim ei repugnat eſſe diviſibilem, ac eſſe corpoream, ut ex inſtituto diſp. 2. dub. 3. oſtenſum; ergo & præſentia animæ qua reſpondet diviſibili ſpatio. Firmatur primo, quia omnis præſentia rei corporeę & diviſibilis eſt corporea, & diviſibilis; ergo omnis præſentia rei incorporeæ & indiviſibilis, qualis anima, erit incorporea & indiviſibilis. Firmatur ſecundo. Ideo unio animæ cum corpore eſt corporea & diviſibilis, quia educitur & recipitur in ſubiecto corporeo & diviſibili; ſed præſentia animæ etiam in loco diviſibili educitur & recipitur in ſubiecto incorporeo, & indiviſibili, ergo, &c.

Secundo. Præſentia qua corpus Chriſti Domini eſt in puncto hoſtiæ

ſtiæ conſecratæ eſt in entitate diviſibilis, quia ſubiectum quod ſufficit eſt diviſibile, licet ſpatium ſit indiviſibile, ergo & præſentia qua anima eſt in ſpatio extenſo erit indiviſibilis in entitate, licet in ſpatio diviſibili.

Tertio. Vt ſubſtantia animę poſſit reſpondere ſpatio diviſibili, nō requirit in ſe formalem extenſionem, ſed virtualem, ergo idem dicendum de præſentia ipſius.

Contra tamen argues ratione qua præſentia indiviſibilis Angeli in ſpatio diviſibili impugnatur communiter. Anima ſicut & Angelus poteſt moveri latione continua, ſed non poteſt intelligi hæc continuitas motus ſine continuitate termini, ergo terminus huius motus, qui eſt ubicatio, eſt diviſibilis in partes continuas. Probatur minor, quia ſi præſentia animæ eſt indiviſibilis; ergo quando anima movetur, tota ſimul deperditur; ergo non continuatur una præſentia cum alia, neque unus motus cum alio, & cum anima moveatur per partes proportionales in qualibet illarum mutat unam integram præſentiam non continuam cum aliis; ergo cum partes proportionales ſint infinitę, etiam præſentiæ totales erunt infinitæ; ſed non poteſt dari infinitudo rerum inter ſe non communicantiū; ergo non poteſt dari tale genus pręſentię indiviſibilis.

Reſpondeo, motum animæ non eſſe continuum formaliter, quia non habet formaliter extrema, quæ uno communi termino copulentur, eſſe tamen cōtinuum virtualiter & ex parte ſpatij, quia eo ſic anima continue deſerit locum, ac ſi ille motus eſſet diviſibilis in partes, quæ formaliter eſſent continuæ. Ad probationem reſpondeo, commune eſſe cuilibet mobili totam ſimul ubicationem mutare, ut liquet in cera rareſcente, quia omnes illius partes ſimul moventur: diſcrimen autem eſt, quia omnes illæ ubicationes corporeæ continuantur formaliter, non vero ſpirituales. Hinc autem non ſequitur illas ubicationes eſſe infinitas ſimpliciter: quia ſicut in ubicatione corporea dātur plures ubicationes partiales unitæ, quæ diverſæ partes proportionales unæ includuntur in aliis, ita in ubicationibus ſpiritualibus dantur ſuæ partes proportionales. Ad quod adverte, locum unum poſſe deſeri, aut occupari continue totum ſimul, ut cum Deus primum elementa produxit; vel ſucceſsive per partes proportionales, ita ut nulla tam parva poſsit aſsignari, quin alia minor prius ſit deſerta, aut occupata. Tot igitur erunt ubicationes partiales determinatæ, quot ſunt partes determinatæ loci: & tot erunt partes proportionales ubicationis, quot partes proportionales loci. Itaque partium ubicationis multitudo reſpondet multitudini partium loci, quia ubicatio eſt modus determinans ad locum. Hinc eſt ubicationes animæ eſſe ſimpliciter finitas, quia partes ſpatij, quibus reſpondent ſucceſsive, ſunt ſimpliciter finitæ: & quia partes proportionales ſpatij ſunt infinitæ ſecundum quid, ita illæ ubicationes ſecundum quid ſunt infinitæ: & ſicut nulla datur prima pars proportionalis loci, ita nec prima ubicatio illi reſpondens: & ſicut in ubicatione materiali partes proportionales reſpondentes partibus proportionalibus

APPENDIX AD LIBROS DE COELO, ET de Anima, de Meteorologicis impreſsionibus, & de Parvis naturalibus.

PROOEMIVM.

DIſputationibus Philoſophicis, quaſdam non inutiles, non iniucundas, non ineptas inſero concertationes de Meteorologicis impreſsionibus, & de Parvis naturalibus. Quas eo graviores, eoque aptiores arbitror, quo apud noſtrates Philoſophos rariores. Multi namque noviores Philoſophi eas ferè, ut annoſas, & ſeniles, ideoque illepidas, inutileſque in Scholas admittere, ſed nec vocare conſueſcunt: ſiquidem renovatam omnes, à devexa, priſtinaque ſenectute Dialecticam, in ætatis flore, totam pulchellulam, totam picturatam, variiſque coloribus variegatam videre percupiunt. Quæ una princeps ratio invitavit (potius dicerem coegit) ut meis monumentis, & Phyſicis elucubrationibus has diſceptationes in-

ſererem; hancque illis ornatiſſimam ſedem, & domicilium conſignarem, maiorum, doctiorumque recentiorum inſiſtens veſtigiis, ut quadrata omni ex parte, non trunca, aut dilacerata appareret Philoſophia. Philoſophum namque nihil naturæ proprium latere debet, quippe illius explorator ſollicitus communi ſæculorum omnium calculo, & ſuffragio nuncupatur. Et quidem nihil felicius, nihil beatius antiquis Philoſophis viſum eſt, quam communis matricis naturæ receſſus inveſtigare, luſtrare abdita, retruſaque aquilino pluſquam ingenio penetrare; & tanta, tamque prodigioſa naturæ miracula reliquis mortalibus propalare. Qua de cauſa non eſſe humanam poſſeſſionem Philoſophiam veteres dictitabant; & rurſus eam à ſolo Deo poſſideri; ferri enim ſupra id omne quod pluitur, & ningitur, non alarum expanſo remigio, ſed velocitate mentis, non humanum, ſed divinum exiſtimabant. Quod totius Philoſophiæ Coriphæum Ariſtotelem non præteriit, ſicut neque aliquod naturæ arcanum, etſi abditiſſimum. Cuius ego ſi diſcipulus eſſe velim, ſequar veſtigia, eaque quantulacumque lucidabo.

DISPVTATIO PRIMA,

DE METEREOLOGICIS impreſſionibus.

METEORA ideo quaſi ſublimia nuncupantur à nomine Græco, Meteoron, quod ſublime ſonat; ſcilicet quod hic agitentur naturæ rerum quæ in ſublimiori mundi ſublunaris regione oriuntur. Verum cum Ariſtoteles hoc loco non tantum de ſublimioribus impreſsionibus, ſed præcipue de locis ſubterraneis, & de rebus quæ in eiſdem, & terræ gremio foventur, tractet, merito ſciſcitabitur quiſpiam, cur ab iis tantum, quæ in ſublimi fiunt, nomen acceperit tractatio tota. Non vna afferri ſolet ratio. Nempe quia hæc latiorem, & nobiliorem diſputationis ſedem occupant, quam ſubterranea; quamvis enim metallorum, & lapidum multiplex ſit natura, Ariſtoteles tamen in hoc opere non fuit abſolutam doctrinam proſecutus. Tum quia ea quæ in ſublime conſpiciuntur, maiorem cernentibus ingenerant admirabilitatem. Demum, quia quæ hic fere aguntur, pro materia habent vaporem & exhalationem, quæ propria vi feruntur in ſublime.

DVBIVM I.

Meteora ex qua materia generentur.

Meteora, ut manifeſtius fiet ex iis quæ dicenda ſunt, mixta ſunt imperfecta, in viſceribus terræ, in aquis, & in aëris regione facta.

Nunc igitur dicendum cum Ariſtotele capite 4. libri 1. huius operis; Meteororum materiam proximam eſſe duplicem, ſcilicet vaporem, & exhalationem, ita ut proxime fiant, vel ex vaporibus, vel ex exhalationibus, vel ex utriſque. Eſt autem vapor tenuiſsima quędam ſubſtantia, quę ſeparatur ab aqua, & attollitur vi caloris, Solis, & Aſtrorum. Exhalatio vero ſimiliter eſt tenuis quædam ſubſtantia, quæ ſecernitur ex partibus terræ, & eodem modo attollitur, de quibus dubio

ſe,

ſequenti. Quod vero dentur tales expirationes, & halitus ex terra & aqua ortum habentes, videtur experientia manifeſtum, quia oculis ipſis videmus aſcendere ad regionem ſuperiorem inſtar fumi tenues illas ſubſtantias. Sic in olla aqua plena ad ignem poſita videmus aſcendere vapores aqueos, & ſimiliter calore ſolis ſubtiliores partes aquæ & terræ ſurſum attolluntur.

Nunc vero dico, generatim loquẽdo, ex vaporibus elevatis fiũt nebulæ, rores, nubes, pluviæ, nives, grandines, & his cognata. Exhalationes vero terræ miniſtrant materiam ignitis impreſſionibus, ut cometis, & fulminibus, & aliis, de quibus infra agetur ſpeciatim.

DVBIVM II.

Quid ſit vapor, quid exhalatio.

MOneo primo, ne vocibus offendamus, licet aliquando quidquid expiratur à terra, vel ab aqua, vel ab alia quacumque re dicatur vapor, vel exhalatio, nihilominus ſpeciatim loquendo, vaporem dici proprie id quod ex aqua ſecernitur tanquam ſubtilius: exhalationẽ vero id, quod è terra. Duo poſſumus inveſtigare de iis, ſcilicet quænam ſint eorum accidentia, & qualis ſubſtantia.

Circa accidentia. Primo videtur compertum vaporem, & exhalationem eſſe calida, ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco, quod infra fiet perſpicuum. Ratio eſt, quia alioqui nõ attollerentur ſurſum, niſi vi caloris ſecernerentur ab aliis partibus, & levitatem acciperent. Vnde nulla expiratio Meteorologica, ut docent Conimbricenſes, frigida eſſe poteſt.

Secundo compertum eſt, vaporem eſſe humidum, & exhalationem ſiccam, ſic enim non omnino diſcrepant ab elementis à quibus extrahuntur: unde vapor erit calidus & humidus, exhalatio vero calida & ſicca.

Monent Conimbricenſes hic tract. 1. cap. 1. ſæpe ex terra oriri vapores & exhalationes mixtas, non quia ex ſola terra vapores extrahantur, ſed quia terra ſæpe cum aqua permixta eſt.

Circa ſubſtantiam poſtulabis, an vapor diſcrepet ſpecie ab aqua, & exhalatio à terra. Sunt qui affirment. Melius vero negant Lovanienſes, & Conimbricenſes citati: quia non apparet ſufficiẽs indicium eſſentialis & ſubſtantialis diſcriminis. Probatur, quia vi caloris ipſæmet partes aquæ ſubtiliores poſſunt elevari, & ſimiliter partes terræ ſubtiliores; ſed vapor & exhalatio nihil aliud ſunt quã partes ſubtiliores aquæ & terræ; ergo non differunt eſſentialiter ab illis elementis. Secundo, quia vapores ipſi eo ipſo quo coniunguntur & conſtipantur amittendo aliquid caloris extranei, apparent vera aqua, ſicut ea unde ſunt elevati, ergo ſignum eſt mutationem ſolum fuiſſe accidentalem quando ex aqua fit vapor, & ex vapore aqua. Hoc ipſum de exhalatione non ita clare conſtat, ſed nec oppoſitum habet aliquod fundamentum probabilius: unde cum de diſcri-

mine

mine non conſtet eſſentiali, non eſt cur ponatur.

Dices, ex variis rebus extrahuntur liquores diverſæ ſpeciei, ut conſtat ex diverſitate accidentium, quam poſtea retinent perpetuo tanquam naturalem. Deinde ex corporibus expirantur partes alterius rationis & ſpeciei, ut ex animalibus & fructibus; unde ſolent extenuari propter id quod amiſerunt: ergo etiam quod ex aqua, & terra extrahitur erit diverſæ ſpeciei. Nego conſequentiam propter diverſam rationem iſtorum & aliorum: alia enim habent accidentia diuturna & permanentia, ut liquores ex floribus vel herbis extracti, & quia ab illis non datur immediatus reditus ad ſubſtantiam unde prodierunt, ſicut datur in vapore & exhalatione. Vnde argētum vivum cum incaleſcit vertitur in fumū, qui poſtea concreſcens redit ad primum eſſe, & ideo credibile eſt ſolum paſſum fuiſſe accidentariam mutationem aliquarū qualitatum, & idem dicendum eſt de aliis ſimilibus iuxta indicia ſimilia.

Rogas, an vaporis ſubſtantia ſit ſola aqua, & ſubſtantia exhalationis ſola terra. Pro parte negativa eſt, quia ſi vapores eſſent ſola aqua ſemper eſſent eiuſdem rationis, & ſi exhalatio eſſet pura terra, ſemper ſe haberet eodem modo, quod tamen falſum eſt; quia ex vaporibus eodem tempore variæ impreſsiones conflātur, & ſimiliter ex ipſis exhalationibus. Deinde exhalatio ut ignem concipiat, & aliquandiu retineat debet eſſe pinguis: pinguedo vero iſta ſine aliquo humido non videtur eſſe poſſe. Reſpondeo ita quidem eſſe, nec aliquid occurrit in contrarium alicuius momenti; nam cum vapores ab aqua elevantur aliquid eſt cum aquę ſubſtantia permixtum, & ſimiliter cum exhalatione terræ alij halitus permiſcentur: unde contingit aliquam exhalationem eſſe pinguem & idoneam inflammationi cometæ, aliam vero omnibus idoneam. Et idem cum proportione dicimus de vaporibus. Ratio iſtorum omnium eſt, quia elementa ſunt permixta variis corporibus diverſæ rationis, & fortaſſe nunquam in totum ſecernuntur ita ut pura maneant elementa: hęc autem permixtio efficit ut cum elevantur expirationes, ſecum etiam ferant aliquid corporis extranei, quatenus etiā calorem melius concipit & extenuatur. Providit ergo Deus hanc permixtionem variorum corpuſculorum diverſæ naturæ, quæ facile in varias res permutantur ad commodum univerſi & ad generationem multarum rerum, & ſimiliter ad efformationem variorum Meteororum. Vnde cum terra potiſsime inveniuntur multa corpora permixta diverſarum affectionum, & in aliis elementis aliquid ſimile; quæ corpora diſtincta ſpecie exiſtimo tam à terra & aqua, quam à vapore aqueo & exhalatione ſolius terræ.

Collige ex dictis primo, vaporem, & exhalationem multa habere in quibus conveniunt, & multa in quibus differunt. In primis conveniunt, quia ſpeciem fumi habent. Secundo, quia licet frigiditatem expetant ex ſua natura, non enim exuuntur natura terræ & aquæ; tamen ſolis & ſyderum virtute caliditatem recipiunt. Differunt primo per formas proprias ſubſtantiales & na-

turas. Secundo ratione loci; nam exhalatio à loco ſicco, vapor vero à loco humido attollitur. Tertio, nam exhalatio eſt calida & ſicca, vapor humidus & frigidus; atque ita Ariſtoteles 1. lib. Meteororum, cap. 3. docuit exhalationem eſſe ignem virtute, vaporem vero eſſe aërem. Quartò differunt, nam exhalatio elevatur ad ſupremam aëris regionem, vapor autem non ita elevatur.

Obiicies, è terra tepefacta vi ſolis & ſyderum exhalationes & vapores elevari, ergo ratione loci nulla ratione differre dicendum eſt. Reſpondetur, ideo hoc contingere, quia cum ſimul ſint terra & aqua, vapor & exhalatio ſimul efferuntur, at cum mediam attingunt regionem aëris, exhalatio in ſublimiorem locum elevatur, vapor in loco inferiori remanet.

Collige ſecundo, cauſam efficientem Meteorologicarum impreſsionum eſſe cęleſtia corpora, & præcipue ſolem, qui propria virtute educit è terra & aqua exhalationes, & vapores, & poſtea convertit illas in Meteoras impreſsiones. Vnde Orbes cœleſtes cauſæ principales iſtorum effectuum ſunt, calor vero inſtrumentalis dumtaxat.

DVBIVM III.

In quo loco generentur.

TRiplicem aſsignant Doctores locum Meteoris, ſcilicet terram, aquam, & aërem. Terra ſummam habet ſiccitatem, in remiſſo frigiditatem; quæ variis impreſsionibus alteratur; invenitur enim ſolida, ſpongioſa, cavernoſa, bituminoſa, ſulphuroſa, & aliis eiuſmodi affectionibus imbuta. Aqua ſumme eſt frigida, in remiſſo humida, quæ varias obtinet qualitates extraneas, ut ſalſedinem, amarorem, calorem, &c. Aër in quo elementares impreſſiones proprie appellantur Meteora, ex ſua natura eſt humidus in ſummo, in remiſſo calidus. Tres ſortitur regiones, infimam, mediam, ſummam. Infima quà nos circuimur, & per reflexionem ad eam perveniunt radij ſolis. Suprema eſt, quæ proximior eſt igni in concavo Lunæ exſiſtenti. Media quę inter utramque conſtituitur, ad quam elevantur plures montes, inter quos Olympus referri ſolet in Theſſalia, cuius in cacumine cineres nec ventis ſparguntur, nec ſcriptæ in pulvere litteræ delentur.

Suprema regio eſt valde calida, & propter exhalationes, quæ non eo pertingerent, niſi magnum haberent calorem, & propter ignis viciniam. Infima regio etiam eſt calida, licet minus quam ſuprema, propter exhalationes & vapores quos è terra & aqua promanantes excipit, & potiſsime propter reflexionem radiorum ſolis. Regio media eſt valde frigida, quia vapores eo delati, & conglobati facilius ſe reducunt ad priſtinam frigiditatem, præſertim cum maxime diſtent ab extremis calidioribus aliarum regionum.

Oppones primo. Aër natura ſua eſt calidus, ergo calore ſuo impediet vapores ſecundæ regionis, ne ſe reducant ad nativam frigiditatem. Nego conſequentiam, quia cum vapores aliquantulum craſsiores ſint, & ſua craſ-

ſitis aëris actionem retardent; cum item ex ſe plus frigoris requirant quam aër caloris, ſiquidem ſunt aqueæ naturæ, cui ſummum frigus debetur, habent maiorem efficacitatem ad pariendam frigiditatem per naturalem emanationem, quam habeat aër ad calefaciendum vaporem, fluxumque illum nativi frigoris inhibendum.

Opponis ſecundo. Ex Ariſtotele 1. de Cœlo, cap. 3. textu 18. nullum violentum eſt perpetuum, ergo cum aër natura ſua depoſcat calorem, non erit in ſua regione perpetuo frigidus. Reſpondeo, ex ſe, & ex natura ſua nullum violentum eſſe perpetuum, poſſe vero eſſe ab extrinſeco perſeverante cauſa efficiente, & ſufficiente.

Opponis tertio. Si media aëris regio tantopere algeret, eſſet gravior aëre infimæ regionis, cum frigiditas addenſet, gravitatemque inducat, ergo perenni reciprocatione ſubſideret aër mediæ regionis ſuo pondere, & aër infimæ regionis certatim aſcenderet, quod videtur à ratione alienum. Reſpondeo cum Conimbricenſibus, quia infima regio valde plena eſt vaporibus & exhalationibus aſcendentibus, impediri deſcenſum illarum quæ ſunt in ſecunda regione quouſque ita concreſcant, ut iam ruant ſuo pondere, & in imbres, nivem, grandinem ſolvantur. Vnde cum omnes vapores, & exhalationes, quæ attolluntur per primam regionem tranſeant, inde eſt ut infima regio multis vaporibus, exhalationibus, aliiſque corporibus craſſeſcat, & infimum locum aëris teneat.

Rogas in fine, ad quam aëris regionem aſcendant vapores, & exhalationes? Cõmuniter reſpondent ad ſupremam pervenire ſolas exhalationes, ad mediam vero vapores, & non amplius; quia in ſuprema regione nihil conſpicitur, quod ex vaporibus conflectur; in media autem ſunt nubes, nix, & ſimilia, quæ ex vaporibus fiunt. Hoc dictum licet ſatis commune temperandum eſt, ita ut nõ nihil vaporis poſsit ad ſupremã regionẽ pervenire mixtum cum exhalatione, & ſimiliter aliquid exhalationis remanebit in media & infima regione mixtum cum vaporibus: hoc enim nec videtur negari poſſe, nec ratio negationis reddi, ut ex dictis dubio præcedenti deduci poteſt. Exhalationes vero in quacumque ex tribus regionibus aliquando conſpiciuntur, & inflammantur, ut infra conſtabit.

Obiicies. Terra eſt gravior aqua, ergo exhalatio terræ non aſcendet ſuperius quam vapor aquæ. Negatur conſequentia, quia cum aqua ſit frigidior natura ſua quam terra, & terra ſit capacior ad calorem recipiendum & retinendum, hinc eſt, ut ratione maioris caloris levior fiat, & magis aſcendat.

In fine noto: in locis elementorum, præſertim in aëre, aliquando apparuiſſe quædam portenta, ut cataphractos milites inter ſe decertantes, & alia ſimiliter prodigioſa, quæ ad naturales cauſas referri non poſſunt, ſed ad ſpecialem Dei voluntatem, miniſterio Angelorum, vel aliarum creaturarum; quibus prodigiis ſolet Deus aliquid denuntiare hominibus, & metum incutere, vel penam infligere, de quibus non eſt cur ſpecialiter tractemus, cum

tranſcendant vires cauſarum naturalium, ut cum pluit ignem, vel cinerem, vel ſanguinem. De ſimilibus prodigiis ſcribunt Divus Auguſtinus lib.1. de civitate Dei,c.23. Plin.lib.1.c.25. & alij.

DVBIVM IIII.

Communia ignitis Meteoris.

INter elementarias impreſsiones, quæ Meteora potiori ratione vocantur, occurrunt primo ignita, quæ multa ſunt, plus, minuſve inter ſe diverſa: potiora vero & quæ magis cognoſci, & communi aliquo nomine à Phyſicis notari potuerunt, ſunt iſta, *flamma, capræ ſaltantes, lancea, ſydera diſcurrentia, ſtellæ cadentes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, draco volans, caſtor, pollux, helena, ſulgura, fulmina, cometa*, quibus addi poteſt *ſtella*, quæ apparuit in Chriſti Domini nativitate, & Magos duxit ad præſepe, licet hæc extra naturalium rerum ſenſum ſeponenda ſit.

Circa materiam harum impreſſionum Conimbricenſes tractatu 2.cap.1. dicunt remotam quidem eſſe corpus terreſtre, proximam vero eſſe exhalationem. Intelligunt autem nomine exhalationis eam ſpirationem, quæ è ſola terra emittitur, ut ex aliis illorum placitis colligitur. Cæterum ſi volunt ſolum eam exhalationem eſſe proximam materiam iſtarum omnium impreſsionum, non poſſum illis aſſentiri, quia ut ſupra attigi, dubio ſecundo, iſtæ ſpirationes permiſcentur inter ſe, ſicut ipſa corpora à quibus extrahuntur. Vnde cum terra ſit permixta aliis corporibus, etiam exhalationes terræ cum exhalationibus aliorum corporum permiſceri poſſunt; imo ex iſta permixtione & varietate materiæ oritur varietas iſtarum impreſsionum, etiam quæ eodem tempore fiunt, & in locis propinquis. Demum, quia ut fiet perſpicuum ex dicendis de his Meteoris in particulari, materia unius eſt denſior, alterius rarior & levior; unius materia eſt pinguis & humida, alterius ſicca & male cohęrens: quæ varietas non ſatis poteſt intelligi in ſola terræ ſpiratione, præſertim cum nulla ſit neceſsitas ad id aſſerendum. Vnde licet plus ſit ſpirationis terræ in iſtis impreſsionibus, tamen aliæ ſpirationes interveniunt; imo aliquid vaporis miſceri poteſt.

Cauſa efficiens communis iſtis impreſsionibus cõmuniter ſunt calor, aſtrorum lux & influxus: iuvat etiam ad inflammationem iſtarum inflammationum antiperiſtaſis frigoris circunſtantis; à quo fugientes exhalationes calidæ uniuntur inter ſe, & vehementius agunt in materiam proximam. Confert demum ad iſtam inflammationem motus & colliſio exhalationum.

Si autem quęramus finé, quem habet autor univerſi in talium exhalationum inflammatione, finis eſt conſumptio illarum ne noceant viventibus, ſi nimium multiplicentur; atque ita hac via proſpicitur utilitati univerſi, licet alij fines particulares eſſe poſſint ut ex dicendis conſtabit.

Poſtremo adverte iſtas impreſſiones variis modis differre, ſcilicet magnitudine, figura, colore, motu, loco, & tempore quo fiant, vel durent, ut ex

progreſſu etiam cognoſci poterit.

DVBIVM V.

De aliquibus Meteoris ignitis in particulari.

PRima igitur impreſsio inter ignitas ſit *Flamma*, vel ut alij volunt *Fax*, quæ tunc efficitur, cũ ęque lata ac longa protrahitur exhalatio, & reddita ſubtilis tota ab igne affici poteſt. *Hac fax*, vel *Flamma* ita ſplendentibus quaſi radiis effulgere videtur, ut nox diem exæquare velit.

Secunda dicitur *Capra ſaltantes*, quæ tunc fiunt, cum exhalatio in longum magis quam in latũ protẽſa ſimiliter diſpoſita ſicut præcedens habet per intervalla partes valde tenues, unde fit ut cum ex una parte incipit accendi, communicetur flamma ab una parte in aliam viciniorem; & cum materia non ſit æqualis, videtur flãma quaſi per ſaltum tranſire ab una parte maiori ad aliam maiorem per medium tenue, quod eſt quaſi filum, & ideo dicuntur *Capra ſaltantes*; ſicut etiam Medici pulſum arteriarum ſalientem vocant caprinum. Alij alio modo declarant impoſitionẽ huius nominis, ſcilicet ut à ſimilitudine barbæ, & villorum capræ, quia quid ſimile apparet quaſi pendens in materia huius impreſſionis.

Tertia impreſsio eſt *Lancea*, quam alij vocant *Trabem* vel *Iaculum*, & fit quando materia in longum æqualiter protenſa, cum inflammatur iaculi vel haſtæ figuram ſumit.

Quarta ſunt *Sydera volantia*, quæ gignuntur quando exhalatio ita eſt diſpoſita, ut ex variis partibus ab una ad aliam flamma communicetur; ut contingit quando lucerna recens extincta ponitur ſub alia accenſa, & videtur flamma deſcendere à ſuperiori ad inferiorem, ſcilicet per medium fumum. Accidit etiam *Sydus volans*, quando exhalatio accenſa levitate ſua ſurſum attolitur, vel etiam deſcendit alicuius nubis frigidæ impulſu, & ita videtur *Sydus volans*. Tales exhalationes videntur in terra vel in mare cadere nonnunquam. Quando autem magna copia ſtellarum diſcurrentium apparet, truces denuntiant ventos, quia ſcilicet indicant materiam copioſam ad ventum idoneam aſcendere: quando vero ex diverſis mundi regionibus emicant, diverſi etiam venti ſubſequi ſolent, qui aërem turbant.

Quinta eſt *Ignis perpendicularis*, quia ſcilicet apparet exhalatio inflammata quaſi perpẽdiculum, vel pyramis habens in parte inferiori baſsim in ſuperiori cuſpidem, eo quod exhalatio licet cohærentes habeat partes, aliæ tamen ſunt aliis craſsiores, & ita magis craſſæ deprimuntur, & leviores elevantur, & ideo efficiũt prædictam figuram perpendiculariter pendentem.

Sexta eſt *Draco volans*, conficitur exhalatione, nec multum denſa, nec multum calida, quæ ſublimis cum feratur attingit frigidam nubẽ, cuius contactu deiicitur, & ſtatim incurvatur in gyrum, ita ut ſpeciem ferat draconis; atque inde nomen duxit.

Septima eſt *Ignis fatuus*, qui ſolet apparere iuxta homines, & iuxta cadavera, & aliquando iuxta capita, & movetur ſæpe ad mo-

motum talium corporum. Conimbricenſes dicunt moveri tunc ad motum aëris, qui movetur iuxta hominem verbi gratia, & ita videtur inſequi hominem. Exiſtimo tamen cauſam talis motus eſſe, quia illa flamma adhæret tali corpori, exhalatio enim eſt viſcoſa, ut ipſi Conimbricenſes fatentur, & ita ſicut mota lucerna, movetur flamma adhærens, & coniuncta oleo & favillæ, ita moto homine, movetur ille ignis tanquã ſequẽs illum. Talis ignis accenditur noctu propter nocturni frigoris antiperiſtaſin: dicitur vero *Fatuus*, quia non habet vim comburendi, eo quod eſt valde languidus. Solet autem apparere ſupra cæmeteria, & ſupra capita pendẽtium in patibulis, quia inde miniſtrantur exhalationes accommodatæ ad talem impreſſionem, quæ contingit in hac infima regione aëris.

Octava valde ſimilis, vel eiuſdem rationis cum præcedenti, dicitur *Ignis lambens*, qui nihil aliud eſt quam flamma genita ex rara ſubtilique exhalatione, quæ per aërem diſperſa conſpicitur aliquando quaſi inhærens hominũ, vel equorũ crinibus: crediturq; oriri ex ſudore, vel ex halitu, qui ſimul cum ſudore expiratur ab aliquibus corporibus craſsitudine, & calore nimio affectis.

Nona eſt, quam vocant *Caſtor, Pollux*, aut *Helena*, quæ ſolent apparere navigantibus tempore tẽpeſtatis, atque indicãt ventorum flatus plus, minuſve propter exhalationum copiam, quæ tunc vigere dicitur cum talia conſpiciũtur. Quando inflammationes iſtæ apparẽt binæ vocantur Caſtor, & Pollux; quando vero una tantum conſpicitur, vocatur Helena.

Demum hic addere poſſumus Stellam, illam quæ nato Chriſto apparuit Magis in Oriente, id eſt in ea regione, quæ reſpectu Paleſtinæ erat Orientalis. Fatentur omnes hanc ſtellam non fuiſſe unam ex fixis firmamenti, neque ex Planetis, quia iſtæ oriuntur, & occidunt, illa vero ſemper videbatur, licet aliquando ſe occultaret, cum Magi Hieroſolymam ingreſsi ſunt; illæ maxime à terris diſtant, hæc vero minimum diſtabat, & ſupra Chriſti cunabula ſubſtitit. Vnde etiam colligitur non fuiſſe cometam, quia cometæ magis diſtant, ut infra conſtabit. Fuit ergo ea ſtella, ut docent Conimbricenſes, novum quoddam atque inſolitum corpus luminoſum, Dei voluntate tunc conflatum. Divus Chryſoſtomus, Fulgentius, & Gregorius Niſſenus dicunt fuiſſe Angelum ea figura apparentem. Credibile eſt Angelum motorem fuiſſe eius ſtellæ; ſtella vero ſine dubio Chriſtum repræſentabat. Quo pacto occultaretur aliquando, & rurſus quaſi de novo manifeſtaretur, inquirunt nonnulli. Multis modis id fieri poterat, vel Deo illi lucem tunc adimente quando occultabatur, vel impediente traiectum ſpecierum ad viſum, quod multis videtur facilius & probabilius. Dixerunt aliqui, eam ſtellam primo apparuiſſe Magis in Oriẽte, & ſtatim evanuiſſe; Deinde egreſsis Magis Hieroſolyma iterum apparuiſſe, eoſque ad præſepe ubi Chriſtus iacebat duxiſſe. Communior tamen ſententia docet Stellam Magis adfuiſſe totius itineris comitem, Magos vero, id eſt aſtronomia peritos voluit Deus per aſtrum movere; uti enim ſolet Deus communiter

medüs

medijs accommodatis perſonis, ac finibus intentis.

De ſupradictis impreſsionibus communiter poteſt dici inflammari, vel per motum & colliſionem, vel per antiperiſtaſim.

DVBIVM VI.

De Fulgure, Fulmine, & Tonitru.

HAEC ſunt valde affinia, & frequenter ſimul accidunt, ideoque melius ſimul prælibabuntur.

Fulgur eſt exhalatio in nube incenſa, & igneo affecta colore, quæ incenſio potiſsimum fit ex vehementi colliſione exhalationis cum nube. Non ſemper autem hæc deflagratio contingit, quia non ſemper apta & idonea reperitur materia ad ardorẽ concipiendum; quare nec ſemper ante tonitruum nubes fulgurant. Quando vero ex colliſione nubiũ inflammatio reſultat, illa videtur antecedere tonitruum, licet iſta anteceſsio in re ſit nulla, vel minima. Sed rogabis, cur prius videatur flamma fulgoris, quam audiatur tonitruum? Reſpondeo cauſam eſſe, quia ſpecies ad viſum in inſtanti feruntur, ſpecies vero ſoni non perveniunt ad aures in eo inſtanti, quo fit ſonus, ſed poſtquam corpus in quo eſt ſonus appropinquat magis auditui. Accidit tamen nonnunquam ut inſpectio fulguris non antecedat tonitrui auditum, quia poteſt edi tonitruum multo antequam exhalatio inflammetur; ſicut quãdo enim exhalatio primo nubem cõcutit, & poſt intervallum inflammatur; ſicut quãdo aliquis percutit ſilicem, & ad priores ictus non elicit ignem, ſed ad poſteriores. Variis ergo modis poteſt fulgur emicare, & ſine tonitruo, & ſimul cum tonitruo, & ante tonitruum, & poſt illum.

Vulgus putavit, ut teſtatur Ariſtoteles libro 3. cap. 1. *Fulmen* eſſe productum lapidem in nubibus & inde deiectum. Sed certum eſt eſſe exhalationem ignitam derivatam à nube, magna ac vehementi vi; quæ niſi igneſceret hac ratione, nequiret ſcindere, & corpora ita acriter penetrare. Quod quamvis certum ſit negare nemo audeat aliquando hanc exhalationem condenſari, & in lapidem converti intra nubem, qui ſimul cum fulmine non ſecus ac glans ænea à ſulphureo tormento diſploſa, deiicitur. Quod manifeſtè oſtenditur cum dividuntur res à fulmine tactæ, quas quidem fulmen ſolum, non dividere, ſed comburere ſolet.

Diſtinguitur *Fulgur* à *Fulmine* primo, nam exhalatio ex qua conficitur *Fulgur* eſt rarior & minus concreta. Secundo, quia exhalatio ex qua fit *Fulgur* paulatim & per partes accenditur, at ea ex qua fulmen uno ictu. Tertio demum, quia *Fulmen*, flamma, vel ignis eſt à nube vibratus, *Fulgur* flamma vel ignis in nube incluſus.

Rogas, cur aliquando fulmen producat odorem ſulphuris. Reſpondeo provenire, quia illa exhalatio habet multum materiæ ſulphureæ, ſicut enim nubis exhalatio per compreſsionem converti poteſt in lapidem, ita & in ſulphur; tum etiam aliquando exhalatio, ex qua fit fulmen, fuit elevata à terra habente ſulphur,

& ob

& ob id fulmen producit odorem ſulphuris.

Tonitruus generatur cum exhalatio ſicca & calida includitur in nube denſa, cuius per cauitatem magis fit exhalatio calida, atque ita rareſit & extenditur, & accenditur, & ignis ille aditum quæritans magno fragore & impetu ſcindit nubem, & ille editur ſonus vehemens, qui vocatur *Tonitruus*. Nec nobis ignotum & inexpertum eſt, cum in ligno quod comburitur quotidie experiamur exhalationem ſiccam foris exire, quæ in poris ligni occludebatur, & ſtrepitum magnum mouere.

DVBIVM VII.

De Cometis.

Variæ extiterunt ſententiæ de *Cometis*, quidam dixerût eſſe ſtellas quaſdam errantes, ſiue planetas à ſeptem notis diſtinctas: alij eſſe unum ex planetis ſeptem. Sententia Ariſtotelis 1. libro, cap. 7. & vera tenet cometam non eſſe ſtellam aliquam ex his, quæ apparent in corpore cœleſti; nec conſtare natura cœleſti, ſed eſſe exhalationem copioſam, pinguem, & bene cohærentem, in qua flamma accenſa diu conſeruari poteſt; ſicut lucerna accêſa durat dum oleum flammæ ſuggeritur. Hæc ſententia ſuadetur, quia experientia côpertum eſt, tûc eſſe cometas, cum magna exſiſtit exhalationum copia: & ideo ſolent ſequi turbulenti ventorum flatus, & alij effectus copioſæ exhalationis. Secundo, quia aliquando cometæ apparent minoris quantitatis, poſtea maioris, & tandem euaneſcunt, quæ mutationes neutiquã in ſubſtantias cœleſtes, quæ ab omni noxæ labe exemptæ ſunt, cadere poſſunt.

Cometarum locus eſt ſuprema aëria regio, ut teſtatur in primis eorum motus ab Oriente in Occaſum, quo una cum aëre voluuntur, qui motus non pertingit ad mediam regionem: idem oſtendit eorundem altitudo, quia valde diſtant à terra, & nullę exhalationes inflammatæ altius attolluntur, ut eſt communis Philoſophorum ſententia. Incenduntur vero cometæ varlis modis, ſicut aliæ exhalationes, & ut dicunt Conimbricenſes, incendi poſſunt aliquando ab aliquo fulmine ex inferiori parte aeris in ſuperiorem vibrato. Addunt, incendi etiam poſſe ex motu quo ignis, ſphæra, & aer cum cœlis circumvoluuntur; vel etiam decidentibus flãmis ab ſphęra ignis in regionem aeris. Sed hęc deuinationes potius, videntur, quã ſententiæ firmo aliquo fundamẽto nixæ. Tempus quo apparent cometæ non eſt certum, autumno tamen frequentius conſpiciuntur, propter maiorem tunc copiã concretæ & viſcoſæ exhalationis. Tempus etiam quo durant eſt varium: ex relatione vero ſcriptorum videtur colligi, fere nunquam minus quam ſeptem dies, nec plus quam ſex menſes permanere; licet Ioſephus, libro 7. de bello Iudaico, cap. 44 ſcribat, integrum annum impendiſſe cometam Hieroſolymæ, ante illius excidium.

De colore, magnitudine, & figura cometarum non eſt aliquid fixum: aliquando enim apparent colore

colore claro, & argenteo, aliquādo rubenti, aliquando ſanguineo, & quandoque ſuboſcuro, & quaſi fumeo. Figura illorum aliquando apparet globoſa, ſparſis undique fibris, & quaſi capillis, & tunc vocant cometam crinitum: apparet etiam in longitudinem extenſus, qui ſi brevior ſit, dicitur barbatus, ſi longior, caudatus. Alij aliis modis cometas dividunt, quod videtur exigui momenti.

Denique ſolent cometæ accipi tanquam portenta magnum aliquid indicantia: poſſunt autem à Deo exhiberi ad prænuntiandam alicuius gentis pernitiem, civitatis aut regni everſionem, vel mortem alicuius magni Principis, quod eventu ipſo ſæpe manifeſtatum eſt. Omiſsis effectibus, quos prænuntiant, ex peculiari Dei ordinatione, naturales ſolent eſſe aeris intemperies, propter copiam exhalationum, ventorum flatus, ſiccitas, ſterilitas, terræ motus, & præterea morbi aliqui, præſertim in his hominibus, qui cenſentur delicatæ complexionis, aduſtæ, & bilioſæ; tales inveniūtur plures Principes, in quos propter humorum maiorem ſubtilitatem plus agere poſſunt, & illos lædere cauſæ illæ, quæ calorem & ſiccitatem augent, quales ſunt cometæ.

DVBIVM VIII.

De coloribus in aere viſis, Iride, & via Lactea.

NON eſt ſermo de veris coloribus, qui ex mixtione quatuor qualitatum oriuntur; ſed de coloribus in aere apparentibus ob irradiationem alicuius corporis luminoſi: itaque horum colorum cauſa formalis eſt lux varie modificata, efficiens corpus ipſum luminoſum vario modo ſuam cōmunicans lucē; cauſa vero materialis eſt aer magis vel minus denſatus, & etiam ſæpius exhalationes ipſæ.

Defectus potentiæ, & impotentia organorum, & diſpoſitio diverſa materiæ, diverſus corporis luminoſi aſpectus, diverſa etiam diſpoſitio medij, ſunt in cauſa ut colores appareāt varij; quę varietates diſpoſitionum cum infinitæ fere eſſe poſſint, ideo varij & fere infiniti queunt apparere colores. Ita quando vapor eſt craſſus & humidus, color cærulus apparet; quando aeris cōcretio rarior eſt, purpureus; quando corpus quod coloratur denſum eſt, obſcurus color viſitur; qui colores præcipue in ortu & ſolis occaſu conſpiciuntur, quia tunc in medio exhalationum & vaporum copia frequentior eſt.

Iridis, ſive *Arcus cæleſtis*, cauſa efficiens eſt Sol medio ſplendore; materialis, nubes, quæ aquea eſſe debet, ac pellucida, ſaltem iuxta partes illas, in quibus fit Angulus radiorum Solis pervenientium ad nubem per reflexionem. Quare Iridem recte definies: Arcus variis diſtinctus coloribus ex reflexione radiorum in nube concava & opaca. Si videnda ſit Iris, debet aſpiciens cōſtitui aliquo modo inter ſolem, & nubem in qua efficitur Iris. Colores frequentiores Iridis tres ſunt in tribus ſemicirculis, ſuperior puniceus, medius viridis, inferior purpureus. Et ratio ex dictis elucescit, nam in parte, in qua habet nubes raritatem, purpura-

ſcit; ex qua opaca, viridis videtur; ex qua demum exigua, ideo ex reflexione radiorum punicea apparet.

Dupliciter ſignificare poteſt *Iris*. Primo naturaliter, ſecundo divinitus ex divina inſtitutione. Quãdo ſignificat naturaliter pluviam, imbremque portendit præteriiſſe, aut exiguum futurum: quia materia Iridis eſt nubes cõcava. Etiam prædicit ſerenitatem, quia materia Iridis nubes eſt ex vaporibus confecta, & quia ad hoc ut fiat *reflexio* radiorum ſolarium in nube, & ad nos perveniat; aër debet omni carere exhalatione ex qua venti generantur: & ob id cauſat ſerenitatem. Quando divinitus ſignificat, ſignum eſt Iris à diluvij communis tempore, ad finem ipſius mũdi nunquam iam in poſterum terram aquis inundandam, ut ætate Noë cõtigit Geneſis 9. verba Scripturæ rem aperte demonſtrant (*Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum inter me, & inter terram, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima vivente, & non erunt ultra aquæ diluvij ad delendam univerſam terram*) vides quid ex divina inſtitutione ſignificet Iris?

Via lactea eſt congeries ſyderum minutiſsimorum in ſtellato cœlo, quæ conſpici per ſe nequeunt, ſimul tamen & coniunctim apparent. Quæ cœli pars ob hanc multitudinem exiguorum aſtrorum, ſeu ſtellularum, & ob reflexionem ſolis ſplendeſcit, & candeſcit inſtar lactis, hæcque cauſa eſt, ut via lactea dicatur. Ariſtoteles tamen 1. lib. cap. 8. non audiendus, volens exhalationem eſſe ignitam, non ſtabilem & fixam cœli partem, & ideo ab omnibus deſeritur & impugnatur. Quis enim credat per tot ſæcula, tam firmam & fixam exhalationem eſſe, nec diminui, nec immutari? Adde, veroſimilius eſſe Ariſtotelem non ex proprio, ſed ex alieno locutũ fuiſſe ſenſu.

DVBIVM IX.

De terræ motibus, & igne ſubterraneo.

NVlla eget confutatione ſententia illorum, vel error dicentium, animatam eſſe terram, cumque movetur ſpiritus illius, tunc terræ motum fieri. Neque verior eſt ſenſus volentium terram ſuper aquas inſtar navis enatare, tuncque circumferri, & moveri, cum procellarum & undarum ictibus iactatur, & agitatur. Adeatur Ariſtoteles lib. 2. cap. 7.

Vera ſententia eſt Ariſtotelis, & omnium, qui exiſtimant, & docent ſpiritum, ſeu halitum occludi in viſceribus & terræ meatibus, qui halitus cum ſpiraculum quærat, nec inveniat, & conetur erumpere, neque poſsit facili negotio, hæc eſt cauſa ut cõmoveat partem illam terræ ſub qua includitur, & tanta illi vis & efficacia eſt, ut ſæpe domos & montium iuga diſrumpat. Recte colligit Ariſtoteles loca mari viciniora hos frequenter pati motus, & temporibus autumni fere ſæpius contingere. Et eſt ratio, quia illa loca cavernoſa ſunt, & concava, eaque tempora generant crebriores exhalationes. Vnde ut plures fodiantur putei, apte cõſulunt experti, per quos exhalatio,

latio, & ſpiritus impeditus erumpat.

Neque ſolum ab ſpiritu & halitu, ſeu exhalatione, oriuntur terræ motus, ſed pariter à vento occluſo, & etiam ab igne ſubterraneo. Adiunge terram ob frigiditatem conſtipari ſolere, ideoque expellere exhalationē ex uno loco in alium, & ita fieri terræ motum.

Species terræ motus, ſi Ariſtotelem ſequamur, gemina eſt, ſimilis tremori alia, alia pulſus inſtar, quo ſurſum & deorſum concitatur. Si tamen alios non ignobiles audiamus, quadruplex eſt. Prima eſt exhalatio vibrās terrā, & dicitur tremor Secunda, vapores ſurſum deorſumque terrā deferentes, & eſt concuſsio. Tertia, cum contrariis agitatur, & concutitur terra. Quarta, cum terra ad modum triremis apparet fluctuare, & dicitur inclinatio.

Terræ motus ſigna ſunt plura. Primum ſit, quando aquæ puteorum ſine nova cauſa turbidę redduntur, & grave olentes. Secundum, cum aquæ etiam puteorum, inſtar aquæ in olla admota igni, efferveſcentes ebulliunt. Tertiū, adhibet Seneca lib. 5. naturaliū, cap. 12. intempeſtiva, & repentina ſedatio ventorum, & aëris pacatio. Quartum, quando tumet mare ſubito, nec flante vento. Quintum, cum tenuis linea nubeculæ protenditur in longum ſolis occaſu, & ſereno cœlo. Quod adhibet Ariſtoteles lib. 2. cap. 7.

Subterraneos eſſe ignes pervium eſt; quo pabulo ſuſtententur, impervium; ſed cum frequēs ſit materia ſulphuris multis in locis, & bituminis oleoſi, & pinguis teſte Plinio lib. 35. nat. hiſt. cap. 15. his rebus paſci ignem nemini dubium erit. Incenditur tamen iſte ignis vehementi illo motu quo circumrotatur ſpiritus ille, quem diximus in viſceribus terræ includi: nam ut communiter dicitur, motus eſt cauſa caloris, ut in lignis lauri, & oſsibus leonis experientia manifeſtat. Nā ſi hæ laurus vel oſſa leonis fricentur aſsidue inter ſe, adhibito ſulphure, gignitur ignis. Hacque induſtria utebatur Cæſar in bello. Quare motu ſpiritu illo per terræ anfractus & viſcera inceuditur, & in ſulphure, & oleoſo bitumine paſcitur. Et ſi locum aditumque nanciſcatur non ſine damno erumpit ingenti flammarum & cinerum globo, ut in Sicilia, & Neapoli, Aetna, aliique montes ignem vomentes quotidie aſpicimus.

DUBIUM X.

De metallis, & lapidibus.

METalla ſunt mixta quædam ad humanæ vitę utilitatem in terræ viſceribus nata, atque inde exquiſita diligentia erui ſolita. Idē fere de lapidibus ferto iudicium, præſertim de illis, qui prætioſi habentur.

Septem cōmuniter numerantur metalla, aliis reiectis, quæ metallorum naturam ſolum ſimulant, vel emendicant per aliquam mixtionem. *Auro* primus locus concedendus, ſecundus *Argento*, *Æri* tertius, *Plumbo* quartus, *Ferro* quintus, *Argento vivo* ſextus, ſeptimus demum *Stanno*. Legatur Plinius lib. 33. & 34. Divus Albertus Magnus in libello de mineralibus, & Gregorius Agricola

in libello de cauſis ſubterraneorum.

Cauſa materialis horum metallorum, ut pluribus arridet, eſt halitus ex vapore & exhalatione conſtans, congelatus in terræ viſceribus propter terræ frigiditatem, & etiam lapidum. Quemadmodum enim ros & pruina ex humore elevato fiunt, qui ob frigiditatem concreſcit in aëre, eodem modo fiunt metalla in viſceribus terræ, & ex vapore, exhalatione, & frigiditate concreſcũt. Et ratio eſt. Nam eadem poteſt eſſe materia concretionis rerum, quæ fiunt in aëre, & quæ in terra: ſed res quæ concreſcunt in aëre fiunt ex humore & exhalatione: ergo etiam ea, quæ fiunt in terra.

Dices cum Alchimiſtis. Argentum vivum, & ſulphur reperiuntur in venis metallorũ, & ad conficiendum aurum utuntur argento vivo & ſulphure, ergo materia metallorum erit ſulphur & argentum vivum. Reſpondeo, nõ ſemper in venis metallorum reperiri ſulphur & argentum vivum: unde licet metalla igne liquentur, non ex eo fit humorem pinguem eſſe illorum materiam: liquantur enim igne, quia habent metalla humorem aqueum.

Credibile eſt ab initio mundi in terræ viſceribus in magna copia condita fuiſſe à Deo metalla tanquam venas terræ, licet poſtea decurſu tẽporis cauſæ naturales, ſcilicet Sol, & cœleſtia corpora aliquid produxerint: nam cõpertum eſt in ſuis matricibus augeri metalla. Initio igitur metalla Deus condidit tanquã aliquid ſpectans ad ornatum univerſi, & cõplemento rerũ initio creatarum: poſtea vero cum plurimum extractũ ſit, oportuit per cauſas naturales id paulatim reparari, quæ mediis primis qualitatibus materiam metallorum excoquunt, & ad metalli ſtatum deducunt.

Gemmarum generatio & materia eadem ferme eſt, quę metallorum: margaritæ & uniones in Oſtreis marinis inveniuntur, & alicubi copioſiſsime capiuntur, de quibus ſpeciatim agere, & differentias omnium notare nõ pertinet ad Philoſophum. Sufficit materiam & generationis modum indicaſſe. De illarum pretio lapidarij & aurifices, de virtutibus vero mirabilibus gemmarum, quia in uſu Medicinæ valde celebrantur, Medici ſæpe diſputant, ſicut etiam de quibuſdam calculis, qui in aliquibus animalibus inveniuntur, & vulgo appellantur *piedras Beſares*, quorum vis medicinalis ad morbos peſtilentes arcendos mire commendatur.

DVBIVM XI.

De Ventis

PRima ſententia tenet, ventum eſſe aerem agitatum. Ratio, quia ex communi ſenſu ventus eſt aer agitatus, & cum quis flabello aerem agitat, dicitur ventum facere. Deinde ſi aer naturali vi agitetur, & impellatur in varias partes, nemo negabit eſſe ventum.

Ita multi Philoſophi & graves Doctores, inter quos Hippoc. Anaximander, D. Iſidorus, D. Damaſcenus, & Aſtrologi plurimi.

Secunda ſententia docet ventum eſſe exhalationem calidam & ſiccam commotam. Probatur primo, quia quando plures ſunt exhalationes, frequentiores ſunt venti

Ita Ariſtoteles & cõmuniter Peripatetici.

venti, ut vere, & aūtūmno. Secundo, quia ideo oriente Sole ſæpius venti cōmoventur, quia tunc plurimum exhalationis vi Solis attollitur. Tertio, quia ideo poſtquā nix liquefacta eſt ſolēt venti exſiſtere, quia exhalatio ſicca, quę nivi permixta erat, calore Solis excernitur. Quarto, quia ideo calor igneus in aere ventos denunciat, quia ſunt exhalationes torridæ frequentes tunc, & eadem de cauſa cometæ, ventos portendūt, quia cum apparent, magna copia exſiſtit exhalationum. Denique quia venti communiter plurimū exſiccant, ſcilicet quia conſtant ſicca exhalatione.

Conimbricenſes tract. 6. c. 2. ſuperiorem ſententiam temperandam putant, ita ut non ſola exhalatio ſicca ventus ſit, ſed interdū ac frequenter vapores ſimul cum exhalationibus. Moventur quia aliquando per integros menſes ſpirant venti è mari, licet autem mare multum habeat exhalationum, quam indicat ſalſedo aquæ, ut poſtea dicetur: tamen videtur incredibile ſolam exhalationem tantam eſſe, ut ad ventos illos ſufficiat; ergo erit permixtio vaporum. Secundo, quia ideo venti è mari ſpirantes humidi ſunt ut experimur, quia vaporibus etiam conſtant.

Quælibet ex his opinionibus verum dicit, ſed male negat quod aliæ affirmant; autumo ergo, ventum, proprie loquendo, eſſe aerem commune variis reſperſum corpuſculis naturali aliqua vi cauſarum agitatum. Suadetur, quia ventum, ſi materiam commotam conſideremus, non poſſumus negare includere magna ex parte aerem; hic autem aer reſperſus eſt vaporibus, exhalationibus, aliiſque corpuſculis plus, minuſve; quia nunquam aer exſiſtit purum elementum. Præterea vis impellens & movens aerem etiā impellit ea, quę in ipſo tanquam in vehiculo feruntur: ergo ventus non poteſt eſſe, niſi iſtorum omnium commotio, & potiſsimum aeris. Secundo, quia negari non poteſt ventum dicere materiam aliquam fluxilem, & levem commotam, & impulſam, hoc enim apud omnes ſupponitur ut certum, ſed non poteſt eſſe ſola exhalatio, & debet eſſe aer, & quidquid per modum unius cum aere fertur; ergo in his conſiſtit ventus. Probo minorem, quia quando commoto aere aſcendunt exhalationes & vapores vel deſcendunt, non dicuntur exſiſtere venti; huius autem non poteſt reddi ratio, niſi quia ventus etiam includit commotionem aeris vehementem, & cum illo exhalationum & vaporum.

Quare non mihi placet argumentum Conimbricenſium, quo impugnant aerem commotum eſſe ventum, quia inquiunt, quando aër flabello movetur, non dicuntur exſiſtere venti; nec quando diſploſis bombardis aër commovetur: levia ſunt iſta, & in autores ſic illas retorqueo; quia per vos ideo tunc non dicuntur eſſe venti, quia non ſufficit ad hos aërem eſſe commotum, ſed oportet exhalationes etiam commoveri; ſed cum aër flabello agitatur, & diſploduntur bombardę, etiam commoventur exhalationes, quibus eſt reſperſus aër, ergo iam iuxta veſtra principia daretur vētus. Quare diſtinguendus mihi videtur ventus in naturalem, & artificialem; & artificialem

lem illum vocare, qui fit flabello, & aliis cõmotionibus aeris provenientibus à cauſis liberis: naturalem vero illum, qui ſecundum curſum naturalem fit.

Illę rationes pro ſententia Ariſtotelis adductæ ſolum probant quando eſt copia exhalationum, qui elevantur vi aſtrorum, eſſe etiam communiter cauſas impulſivas aeris, & ipſarum exhalationum, in quas melius imprimitur impetus, & facilius ſentitur: nunquam tamen oſtenditur exhalationes ſolas moveri, & impelli; atque ita in illis ſolis eſſe ventum.

Circa numerum ventorum omnium conſenſu receptũ eſt quatuor eſſe principes ventos, à quatuor mundi partibus ſeu præcipuis angulis ſpirantes, qui venit ab Oriẽte *Subſolanus* dicitur; qui à Meridie *Notus*, ſive *Auſter*; qui ab Occaſu, *Zephirus*, vel *Favonius*; qui à Polo Arctico, *Aquilo* vel *Septentrio*. De aliis vero ventis, qui adiacent prædictis quatuor primariis, variæ extiterunt ſententiæ, ut videri poteſt apud Conimbricenſes. Quidam octo ventos conſtituerunt, Ariſtoteles undecim. Cõmunis ſententia recẽtiorum Philoſophorum & Coſmographorũ poſt maximam adhibitam diligentiam conſtituit triginta duos ventos, qui poſſunt commode diſtingui ad communem utilitatem, & præcipue ad uſum nauticum.

Primo igitur dividũt Horizontem in quatuor partes ęquales, in quibus ponunt octo principes vẽtos, quos vulgo rumbos vocant: Deinde totidem intermedios deſcribunt, quos noſtri Meias partidas appellãt. Rurſus inter hos decimosſextos ventos totidem ventos ſtatuunt, quos quartas nuncupant.

Id autem manifeſtius explicari poteſt hunc in modum. Secto in triginta duas minores partes Horizonte, ſub ea parte quæ eſt ad Polum Arcticum collocant *Septentrionem*: & in parte per diametrum oppoſita *Auſtrum*. Tum hac diametro ad angulos rectos interſecta, ab ortu Aequinoctiali ad Aequinoctialem Occaſum, ſub ortu Aequinoctiali ponunt *Subſolanum*: ſub Occaſu Aequinoctiali *Zephyrum*: atque hactenus cum antiquis conveniunt. Deinde in pũcto medio inter quoſlibet duos horum principum ventorum, ventum unum conſtituunt: nimirum inter *Septentrionem* & *Subſolanum* ponunt *Meſem*: inter *Subſolanum* & *Auſtrum*, *Euronotum*: inter *Auſtrum* & *Zephyrum*, *Notozephyrum*: inter *Zephyrum* & *Septentrionem*, *Thraciozephyrum*: ſicque octo ventos deſcriptos habent.

Deinde in puncto medio inter quoſvis duos horum octo ventorum conſtituunt ventum alium, ut inter *Septentrionem* & *Meſem*, *Boreã*: inter *Meſem*, & *Subſolanum*, *Caciam*: inter *Subſolanum* & *Euronotum*, *Eurum*, ſeu *Vulturnum*: inter *Euronotum* & *Auſtrum*, *Phœniciam*: inter *Auſtrum* & *Notozephyrum*, *Libonotũ*: inter *Notozephyrum* & *Zephyrum*, *Africum*: inter *Zephyrum* & *Thraciozephyrum*, *Corum*. Demum inter *Thraciozephyrum* & *Septentrionem*, *Thraciam* ſeu *Circium*. Atque ita conſtitutos habent ſexdecim ventos. Tum rurſus in puncto medio inter quoſlibet duos conſtituunt alium ventum numerantque triginta duos.

Poſtremo de ventorum affectionibus multa dicuntur ab auctoribus, ex quibus communia

attingam. Pro diverſitate exhalationum & vaporum, quæ vento agitantur, diverſo modo nos afficiunt venti, & alias etiam deferunt qualitates ex locis & regionibus per quas tranſeunt. Inde aliqui venti exſiccant; alij humectant; alij refrigerant; alij calefaciunt. Septentrionales venti, qui tranſeunt per loca frigida & nivoſa, frigidiſsimi ſunt, & ſicci; qui vero ex adverſo per loca humentia & calida, ut per Zonam torridam, perveniunt ad nos calidi & humidi: univerſim loquẽdo ſeptentrionales ſalubriores ſunt, & Favonius. Auſter vero noxius, quia humiditate, & calore temperiem lędit. Etheſiæ nimium calorem temperant, & dum perflant navigantes iuvant.

DVBIVM XII.

De fluminibus, atque fontibus.

NOta primo. In viſceribus terræ magnam aquarum copiam latere: quod quotidianis experientiis comprobant puteorum, lapidum, & metallorum foſſores, qui intra terram non venas tantum & rivulos inveniũt, ſed nonnunquam in tantam incidunt aquæ affluentiam, ut iam neque in profundum, neque ad latera progredi queant.

Nota ſecundo. Deum exordio mundi die tertio ſeparaſſe aquas à terra in locum unum, à quo per meatus & venas terræ magna aquarum copia ad cavernas terræ derivata eſt. His notatis

Dico, aquas repertas in terræ viſceribus à mari prodire, & ad illud naturaliter redire, iuxta Eccleſiaſticum 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; & ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.*

Ariſtoteles putat non à mari, cuius aqua ſalſa eſt, & quæ ſub terra reperitur dulcis, ſed generari ex vaporibus ſolutis. Sed non obeſt: quia aqua maris ſalſa deponit ſalſedinem per loca per quæ excurrit.

Sciſcitaris, cur tam ſubito aliquando deficiant, orianturque fontes & flumina. Reſpondeo cauſam eſſe, nam aliquando impeditur aquæ fluxus per ſolitos meatus, & ita alios quærit aqua exitus, unde ſubito in hac parte deficit, & ſubito in alia erumpit, quod contingit frequenter tempore terræ motus.

Rogas, à quo trahant aquæ ſaporem & odorem? Reſpondeo, à diverſitate locorum & terrarum, terræ enim immixtio & ſaporem, & odorem etiam addit & variat. Tum etiam à metallis, à radicibus herbarum, & arborum non parum odoris, & saporis, aliarumque qualitatum ſecum deferunt.

Quæres, quæ aquæ ſint ſalubriores. Non pauci cenſent leviorem eſſe ſalubriorem: quod non arridet, nam contingit ex duabus aquis æquę levibus unã eſſe alia ſalubriorem. Plinius vult illam aquam eſſe ſalubriorem, quæ citius calefit & refrigeratur, quia tenuior eſt, ex quo habet quod ita facile calefiat & refrigeretur. Si vero ſit de utilitate aquæ ratione loci, dico illam ſalubriorem eſſe, quę conſurgit verſum ortum Solis, nam virtute illius res per mixtæ cum aqua ha-

halantur, & concoquuntur. Illæ autem aquæ ſunt maxime ſalutares, quæ oriuntur à puriori terra, præſertim ſi dura ſit & arenoſa: unde univerſaliter dico illam aquam eſſe ſalubriorem, quæ magis tenuis eſt, levis, perlucida, & expers ſaporum, & odorum; & cæteris paribus, aquæ fluviorum ſalubriores ſunt aquis fontium, præſertim ſi ab aliquo ſuperiori & elevato loco deſcendant; hoc enim modo magis extenuantur, & beneficio caloris Solis, concoquuntur, & expurgantur à nativa cruditate. Lege Galenum lib. 1. de ſanitate tuenda, Hyppocratem 5 Aphoriſ. c. 26. Et Plinium lib. 3. cap. 3.

Demum percontaris, unde proveniat in aquis ſalſedo Ariſtoteles vult ſalſedinem maris provenire ex multitudine exhalationum aduſtarum, quas venti in mare detulerunt; & ex ardore Solis aquas excoquente, & tenuiores partes exhalante. Quod autem hę ſint cauſæ ſufficientes ſalſedinis ex eo probatur, quia ideo ſudor, lotium, lixivium, ſalſa ſunt, ſcilicet propter partes ſiccas aduſtas, licet non in totum decoctas: ideo marina aqua calefacit, & exſiccat, & loca maritima calidiora ſunt, quia mare exhalationibus calidis & ſiccis reſperſum eſt, ut ſi partes illæ terreæ ab aqua maris ſeparentur, deponat ſalſedinem, ut in puteis circa mare effoſis in quibus ſunt dulces aquæ, quia licet communicent cum mari, tamen cum aquæ percolantur per terram interiectam, amittunt partes craſsiores, & cum illis ſalſedinem. Ideo ut ait Plinius lib. 31. cap. 6. demiſſæ in mare pilæ concavæ è cera, vel vaſa inania patula, obturato tamen orificio, dulcem intra ſe colligunt humorem, quia meatuum anguſtiis partes dumtaxat tenuiores, & à terrena mixtione defæcatas recipiunt. Ideo è lana appenſa lateribus navigiorum dulcis liquor exprimitur, & vapores è mari aſcendentes in dulcem pluviam concreſcunt: quia ſuccus ille, halituſve marinus, ut eſt valde ſubtilis, ita terreæ aduſtionis nihil prope habet, ſicuti nec pluviæ è vaporibus marinis ortæ. Denique Solis ardorem aquas excoquentem ſalſedinem iuvare ex eo patet, ideo enim aqua maris in ſummo eſt ſalſior quam in profundo, quia magis excoquitur calore.

In hac re aſſerendum videtur id quod dictum eſt, ex ſententia Ariſtotelis, plurimum iuvare maris ſalſedinem, ut oſtendunt rationes factæ; non vero credendum eſt inde ſolum provenire. Ratio ſecundi eſt, quia ut inde ſolum aqua maris haberet ſalſedinem, videtur longiſsimum tempus expectandum eſſe poſtquam Deus maria congregavit, & maria condidit: non autem eſt credibile mare ab initio mundi ſalſum non fuiſſe. Ad hoc igitur ut ſalſum eſſet initio, Deus illi ſalſedinem primo indidit, non expectata cauſarum naturalium mora: poſtea vero præoccupata ſemel maris aqua tali ſalſedine, deinceps conſervata fuit in ea accedente adiumento ardoris Solis, & exhalationum aduſtarum advenientium de novo.

Quod vero Deus mari ſalſedinem indiderit ab initio, expediẽ tiſsimũ fuit, ne aqua maris computreſceret, ſal enim à putredine ſervat: præterea ut navigantibus eſſet idonea, aqua enim ſalſior aptior eſt ad ſuſtinenda corpora,

quia

quia craſsior eſt quam dulcis. Demum ut piſces gignerentur; multi enim piſces ſi extrahantur ab aqua ſalſa, & apponantur in dulci, ſtatim moriuntur.

Collige ex dictis ideo alios fluvios, lacus, & fontes non eſſe ſalſos, quia nec ardor Solis, nec exhalationes ſufficiunt ad ſalſedinem inducendam; ſicut nec ſufficeret ad maris ſalſuginem, niſi à Deo primum indita fuiſſet à fuſa ſcilicet exhalationum multitudine, quæ ad id ſatis eſſet. Aliqui vero lacus & fontes ſalſi eſſe poſſunt, vel quia cum mari communicant, vel quia loca illa nitroſa, & ſalſi ſaporis quo etiam inficiunt aquas, ſive illuc tranſeuntes, ſive ibidem ſtagnantes.

DVBIVM XIII.

De Nive, Glacie, Grandine, Rore, & Pruina.

NIX nihil aliud eſt, niſi denſata nubes in glaciem antequam ſolvatur in aquam. Nobilior eſt nix pruina, quia minus participat de concretione terrena. Nix etiam purior eſt aqua, & alba ratione partium aërearum ſicut ſpuma, & ratione etiam magnæ frigiditatis, quæ ſolet eſſe cauſa albedinis, ut videre eſt in hominibus natis in regionibus frigidiſsimis, qui candidiores videntur ipſa prima nive. Nec dubitari poteſt de veritate coloris & albedinis, quæ quidem veriſſima eſt proveniens ex mixtione primarum qualitatum. Si tamen rubeſcat aliquando, hoc provenit ex exhalatione partium aërearum: nam tunc remanent in nive terrenæ partes.

Nix gignitur potiſsimum in hyeme, & initio veris, quia tunc frigus ſolet eſſe ſufficiens: Aliquorum montium iuga, & Alpium perpetuo obſidentur nive, montes enim frigidiores ſunt, quam plana, ut experientia teſtatur, quia & à reflexione radiorum Solis magis diſtant, & ventis frigidioribus frequentius perflantur. Ex nive in agros redundat utilitas magna, quia ſegetes altiores agunt radices quando frigus exteriora conſtipat, & nix ipſa liqueſcens paulatim terram rigat. Nives aliquando in cryſtallum cõcreſcere docet Plinius, & Albertus Magnus, licet etiã cõſtet cryſtallum inveniri intra terram in ſuis venis ad modum aliorum lapidum pretioſorum & metallorum.

Glacies ſeu gelu, aqua eſt congelata exiſtens in terra. Cauſa efficiens non ſolum eſt frigiditas aëris ambientis, ſed etiam permixtio partium terrearum, & ſimul virtus cœlorum: unde experimur magna etiam flumina converti in glaciem. Multi voluere inſcium imo importenſem eſſe mare glacies. Sed negat melius Beda lib. de natura rerum, cap. 9. & uſus docet.

Vinum an in gelu converti poſſit dubium eſt: & quidem communis uſus & doctrina negat, nam natura ſua eſt maxime calidum. Quod ſi obiicias aliquando congelatum fuiſſe. Reſpondebunt, vinum illud fuiſſe mixtum aqua, vel ſaltem vinum tenuem & exiguæ virtutis, quod provenit ex nimio humore aqueo. Quod verum eſſe inde poteſt colligi, quia

ſi iuxta utres vino plenos ningat, vel gelaſcat, quidquid in circuitu vini erit liquefiet, neque congelabitur. Res nulli ignota.

Grando, ut ait Ariſtoteles lib. 1. cap. 2. pluvia eſt in aëre congelata, quod accidit vel nimia frigiditate, vel nimio calore: ſi calore eveniat, fit grando per antiparistaſim à calore: ſi frigiditate, cauſabitur ab aëre circunſtante frigidiſsimo guttas imbris cõcreſcente, & condenſante. Tempus grandinis non eſt certum; quacumque enim anni parte decidit exiſtentibus cauſis illius aſſignatis. Grando aliquando eſt minuta, & aliquando maior, aliquando figura anguloſa, aliquando rotunda: vidimus grandinem horribilis magnitudinis, quæ tegulas tectorum paſsim frangeret, & ut teſtatur Divus Iſidorus aliquando viſæ ſunt grandines magnitudine humani capitis. Tẽpore Aeſtatis grando eſt maioris magnitudinis quã tempore Hyemis, quia tunc nubes ſolvuntur in imbres. Grando etiam fit in media regione aëris, quæ frigidior eſt, ut ſupra oſtenſum.

Ros, & pruina ſunt vapores exigui & ſubtiles frigore correpti & conſtipati: quando frigus eſt modicum, vapores illi vertuntur in rorem; quãdo eſt magnum, in pruinam conſtipantur, quæ eſt craſsior; ideo ros tempore veris, pruina hyeme exſiſtit: ros & pruina in humilioribus locis, non in montibus conſpiciuntur, partim quia montes vento perflantur, unde vapores illi diſsipantur, partim etiam, quia tales vapores ad rorem & pruinam ex locis humilioribus & humidioribus extrahuntur. Gignuntur etiam ros & pruina tranquillo & ſereno cœlo, non autem ventoſo, & nubilo, quia vapores à vento exparguntur, à nubibus quaſi ebibũtur.

Solet etiam ros & pruina commodum afferre agris & ſegetibus, eo modo quo de nive diximus: aliquando nocent, & pluvia adurit germina lacteſcentia, quia frigus conſtringit tenera germina, & expulſo humore areſcunt aliquando uſque ad radices, aliquando vero ſolum ſecũdum ſuperficiem: ſicut aliquando ros decidens in ſegetes ſubeunte Solis ardore vertitur in æruginem.

DVBIVM VLT.

De Melle, Sacchàro, & Manna.

IN primis de melle ridicula eſt dubitatio Plinij libro 11. naturalis hiſtoriæ, cap. 12. num liquor iſte ſit cœli ſudor, aut ſyderum ſaliva, aut purgantia ſe aëris ſuccus. Nec etiam admittenda eſt perſuaſio multorũ de vulgo opinantium mel in totum ab apibus fieri. Mel igitur, ut cum Ariſtotele lib. 5. de hiſt. animalium, cap. 22. communiter Philoſophi cenſent eſt ros quidam dulcis in flores, & folia herbarum ac fructicum decidens, qui ros inde ab apibus colligitur, & ad alvearia devehitur, ibique in favorum cellulis & cavitatibus incluſus, mellis habet ſtatum. Dixi mel eſſe rorem, non quidem ex ſimplici vapore, ſed ex vapore mixto cum ſubtili exhalatione; quę primo mane attollitur, ex qua permixtione evadit ſuccus ille dulcis. Quod vero Apes non conficiant mel ex floribus, ſed exportent

tent, inde communiter probant, quia ſi autumno mel detrahitur apibus, illud non reparant, licet ſit tunc copia florum, repararent vero tamen conſtrictæ apes, ſi ex floribus illud facerent. Secundo, quia ſolent apiarij invenire uno, aut altero die favos melle plenos, quia ſcilicet tunc ros ille, quem colligunt copioſior eſt. Dicunt ergo favos ex floribus conſtrui ab apibus, ceram ex arborum lachryma, mel autem utercula congeſtum exportare ad alvearia. Refert Seneca epiſt. 84. multos cenſuiſſe apes collectum illum rorem in ſaporem, naturamque mellis virtute propria mutare.

Dicendum exiſtimo non ita colligi mel ab apibus, ut non ipſę aliquid agant, non ſolum in eo exportando, ſed etiam in conficiendo, & quaſi fermentando, iuxta ſententiam relatam ex Seneca. Moveor primo, quia in contrarium nihil obſtat. Secundo, quia ſicut nec ceram ita comportant, ut eam non conficiant ex arborum lachryma, nec floribus ita utuntur ad ſtructuram favorum, ut eas non commutent in aliam formam, cur etiam mel non elaborabunt & conficient ex rore illo collecto, addendo illi aliquã perfectionem, ratione cuius habeat ſtatum mellis, ita ut ſi mel confectum idem conferatur cum rore illo antequam ab apibus exportetur, poſſit dici aliud ratione alicuius tranſmutationis vel perfectionis additę; ſicut diſtinguitur muſtum recens expreſſum, à vino iam confecto. Talem autem decoctionem brevem accipere poteſt mel ab apibus.

Mel aliquarum regionum maxime laudatur, alicubi deterrimum eſt & venenatum, alicubi amarum, quæ varietates proveniunt ex commixtione exhalationum, & ex floribus, herbiſque, quibus incidet ros ille. Ideo in Sardinia mel amarum invenitur, quia ex abſynthio apes colligunt rorem. Item in Heraclia Ponti ubi Aconitum naſcitur, mel invenitur, quod qui edunt, bibuntve, non ſecus affligantur, quam qui Aconitum hauſerunt. Itaque mente abalienantur, ac ſudore diffluunt, ut teſtatur Dioſcorides lib. 2. cap. 75. & lib. 6. cap. 8. & Plinius libro 21. cap. 13.

Rogas primo. Cur mellis infima pars laudetur, cum olei commendetur ſumma, vini media. Reſpondeo cum Conimbricenſibus cauſam eſſe, quia mel quo craſsius eſt, eo evadit ſimilius ſaccharo, & ideo eſt melius, ſicut etiam ſaccharum cum craſſeſcit eſt melioris ſaporis, videtur enim dilui iſtarum rerum dulcedo, ac minui humiditate. At oleũ id excellit, quod à fęce longius abeſt: vinum tandem medium magis tutum eſt ab imo fæcium, & ab aëre ſummo corrumpentibus vinum, & ideo tale vinum minus evaporatur, vireſque retinet collectas.

Rogas ſecundo. Quidnam fuerit mel quo veſcebatur ſanctus Ioannes in deſerto Iudææ, ut legitur Matth. 3. Reſpondeo, aliquos autumaſſe illud non fuiſſe verum mel, ſed ſolum folia arborum candida & tenera mellis ſaporem habentia; alios vero fuiſſe rorem ab arboribus collectum, & à quibuſdam vocatur manna. Autumo tamen cum Divo Chryſoſtomo, Theophilacto, & Euthymio fuiſſe verum mel ab agreſtibus apibus confectum in ſciſ-

ſuris lapidum, quale in locis aſperis invenitur.

De ſaccharo nunc dicendum, quod aliqui ponunt inter mella, illud præſertim de quo veteres ſcripſere. Dubitatur ergo an tale ſaccharum antiquis notum, ſit eiuſdem rationis cum noſtrate; vel an ſit aliquid concretum ex rore cœleſti.

Ratio dubitandi eſt, quia quæ de illo dicuntur nullo pacto videntur convenire noſtro ſaccharo. Dioſcorides enim lib. 2. cap. 7. *Eſt*, inquit, *& aliud genus mellis, quod ſaccharum nominatur*. In India vero & Fœlici Arabia in arundinibus invenitur, ſalis modo coactum eſt, dentibus ut ſal fragile, ſtomacho utile, ſi aqua dilutum bibatur. Plinius lib. 12. cap. 8. *Saccharum & Arabia fert, ſed laudatius India.* Eſt autem mel in arundinibus collectum gummium modo, candidum: dentibus fragile, amplisſimum nucis avellanæ magnitudine. Galenus libro 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite 101. *Saccharum quod ex India atque Fœlici Arabia convehitur in calamis, ut aiunt concreſcit, & ipſum mellis eſt ſpecies, minus certe noſtrate dulce: ſed adſimiles ei vires obtinens, quod ad abſtergendum, deſiccandum & digerendum attinet.*

Hæc ſunt quæ de ſaccharo ab antiquis ſcripta legimus, quæ ut putemus competere non poſſe noſtro ſaccharo, duo potisſimum ſunt argumenta. Primum, quia de artificio ſaccharum ab arundinibus exprimendi nihil à priſcis auctoribus traditum fuit, quod certe ſi iam apud eos vigeret, nequaquam præteriiſſent. Secundum, quia Plinius citato loco inquit, amplisſimum ſaccharum eſſe nucis avellanæ magnitudine, quod in noſtrum minime convenit.

Reſpondeo, eiuſdem rationis eſſe noſtrum ſaccharum & antiquorum. Ratio eſt, quia arundines ipſas, ex quibus modo ſaccharum elicitur habuerunt priſci, licet artem ignoraverint, qua copioſe, & nitidum fit. Etiam eſt veriſimile veteres arte quadam elicuiſſe ſaccharum ex medulla arundinum, licet imperfecta, & cuius vix ratio habenda ſit. Nec obeſt illud Plinij de magnitudine ſacchari: eſt enim id intelligendum non de medulla arundinum, quæ iis comminutis exprimitur, ſed de lachryma, quæ ex iiſdem, niſi ante præcidantur, exſudat, erumpitque, & in grandinea concreſcit: ſicut & ex quibuſdam arboribus reſina naſcitur. Itaque apud veteres duplex erat ſaccharum, alterum natura exſiliens à matrice, de quo Plinius loco citato, alterum arte exemptitium, tametſi non ea arte, quæ nunc illud igni ad candorem & ſpisſitudinem miro modo excoquit: ea namque veteribus ignota fuit, cuius proinde nulla apud eos extat mentio.

Huius ſententia ſunt Scaliger & Matthiolus, quos citant & ſequuntur Conimbricenſes.

Manna vulgare eſt ros ille mellitus magis concretus, quam ille ex quo fit mel, collectus ex ipſiſmet arboribus, vel lapidibus, vel ſolo in quod decidit. Hoc autem manna oportuere collectum antequam calore Solis corrumpatur, duteſcit, & multo tempore aſſervatur in officinis Pharmacopolarum ad uſum medicinæ. Galenus libro 3. de alimentis, capite 39. docet, in monte Libano frequentisſimum eſſe, Valleſius legatur libro de ſacra Philoſophia

loſophia; capite 57. Imo hodie in monte Pyrineo viſitur & colligitur certo anni tempore non ſine copia, indeque Valentiam delatum, & à pluribus viſum ac deguſtatum.

Quæres, an iſtud vulgare manna ſit eiuſdem ſpeciei cum illo Hebræis præſtitum ad cibū quando iter faciebant per deſertum. Affirmo non ſecus ac vinum illud à Chriſto Domino in nuptiis Cana Galileæ ex aqua cōverſum eiuſdem ſpeciei erat cum reliquis omnibus vinis; perfectius tamen ſapore, dulcedine, & colore, quæ quidem non niſi accidentaliter immutarunt & nobilitarunt. Eodem modo Angelicum, licet opus manna illud accidentibus nobilioribus exornatum fuit. Si plura cupis adi Conimbricenſes naturæ lyncas.

DISPVTATIO SECVNDA, De Memoria, & Reminiſcentia.

LIBRI, qui communiter Parva naturalia nuncupantur, nihil aliud niſi librorum de Anima ſupplementa ſunt. Hic explicantur affectiones aliquæ cunctis viventibus convenientes, ut mors & vita; aut Solis animantibus, ut ſomnus, vigilia, reſpiratio, memoria, reminiſcentia. Has ultimas in præſenti diſputatione agitabimus.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex ſit Memoria, & quomodo differat ab Intellectu.

VEL memoria ſumitur prout eſt memorandi potentia, vel prout actū memorandi dicit; vel demum latius pro habitu quo facilius actum producimus memorandi. Memoria primo modo ſumpta eſt facultas animæ indita, quæ rerum cognitarum imagines recōdit & obſervat, ut eas, cùm opus fuerit, exhibeat. Vnde Divus Auguſtinus lib. 10. confeſſionum, capite 8. Memoria (inquit) *Omnia recipit recolenda, cùm opus eſt, & retractanda grandinis memoria receſſus, & neſcio quid ſecreti, atque ineffabiles ſinus eius; quæ omnia, ſuis quæque foribus, intrant ad eam, & in ea reponuntur, nec ipſa tunc intrant, ſed rerum ſenſatarum imagines illic præſto ſunt cogitationi reminiſcenti eas.*

Memoria item duplex eſt, ſenſitiva una in capite reſidens, intellectiva alia animæ rationali indita, & ipſi inhærens. Præter ſenſitivam memoriam dari intellectivam, conſtat primo, ex ſermone Abrahami ad divitem epulonem, Lucæ 16. *Recordare fili, quod recepiſti bona in vita tua, Lazarus autem ſimiliter mala*: & verbis ipſius divitis, qui recordabatur quinque fratrū, quos inter vivos habebat. Conſtat ſecundo, quia recordamur rerū univerſalium, & im-

& immaterialium, quarum notitia non in potentiam materialem, ſed in aliam facultatem nobiliorem & materiæ expertem cadit.

Memoria intellectiva ratione tantum ab intellectu diſtinguitur. Nec difficilis eſt probatu. Nam eiuſdem eſt potentiæ habitum ſervare, & uti eo; ſed intellectus ſervat ſpecies intelligibiles & habitus, ergo idem intellectus utetur his ſpeciebus intelligendo & memorando. Adde, quod actus memorandi cognitio quædam eſt, nec exponi quit niſi per modum expreſſionis obiecti, & cognitionis, & reminiſcentia neceſſario involvit intellectualem diſcurſum: ſicut ergo eadem potentia eſt, quę apprehendit, & iudicat, ita quæ cognoſcit & recordatur, licet ſolo nomine memoriæ donetur quoad actum memorandi. Vazquez 1. p. diſput. 208. & Conimbricenſes duo requirũt ad memoriam. Primum, ut res fuerit aliquando cognita. Secũdum, ut ſimul recordemur eam à nobis cognitam fuiſſe. & ita memoriam dicunt eſſe cognitionem rei antea cognitæ, ut cognita eſt. At vero Hurtadus diſp. 5. §. 58. negat ad memoriam requiri cognitionem de priori cognitione. Et ita memoriam definit: *Cognitio rei antea cognitæ.* Quam definitionem laudo, quia per primam vix defendi poteſt memoriam ineſſe brutis; quia difficile eſt illis dare cognitionem ſuæ cognitionis.

Infer hinc non habere memorię & intellectus potẽtias obiecta formaliter diſtincta; nam quamvis intellectus feratur in obiecta abſolute, & memoria in obiecta ut cognita, hoc non diſtinctionem formalem aut eſſentialem, ſed tantum denominationem ſinuit. Et licet diſtinguerentur ſpecifice actus memorandi, & cognoſcendi idem obiectum, non ideo potentiarum diſtinctio danda, cum ſemper illi actus verſentur circa verum & cognoſcibile, & eadem potentia intellectus eliciat actus ſpecie diverſos.

DVBIVM II.

An omnia bruta memoriam habeant ſenſitivam.

Senſitiva memoria non omnibus deneganda brutis. Nam ſæpe eadem repetunt loca, latebras, nidos, ſuaque dignoſcunt pignora; ergo pollent memoria. Secundo, quia ut docet Ariſtoteles lib. 4. de hiſtoria animalium, cap. 10. & Plinius lib. 10. naturalis hiſtoriæ, cap. 75. aliqua animalia ſomniant, ut equi, canes, boves, oves, capræ, & denique omne genus quadrupedum & viviparorum, quod in canibus ſpeciatim declarat ipſorum latratus per quietem. Bruta autem ſomniare non valerent, niſi conſervarent rerum præteritarum imagines in interno ſenſu, ergo memoria viget aliqua bruta.

Ita Ariſt. lib. de memoria & reminiſcentia, c. 1. & lib. 1. Metaph. c. 1. & lib. 7. Ethic. c. 3. D. Aug. lib. 10. confeſſionũ, c. 17. & lib. 1. Muſica. c. 4. & alij authores cũ cõmuni aſſenſu.

Non tamen ea memoria omnibus eſt concedenda brutis. Animalia enim lapidibus affixa memoria carẽt, & etiam vermes aliqui, qui huc, illuc vagantur, nec unquam repetũt eundem locum; natura enim ob id potiſsimum memoriam brutis concedit, ut locum antea cognitum adire poſſint. Nec ſat eſt ad memoriá concedendam loci mutatio, quia animal ſtatim ac genitum eſt ſæpe muiat

Sic Ariſtot. lib. de memoria & reminiſcentia, c. 1. & 1. Metaph. c. 1.

mutat locum abſque actu memoriæ. De muſcis diſputat Albertus tract. 1. cap. 6. eiſque denegat memoriam, quia amotæ flabello, vel manu, ſtatim eundem locum repetunt, immemores plagæ acceptæ. Sed inde potius memores eſſe potius claret; cum ſæpius ad eundem locum recurrant nimis moleſte. Quod autem non ſint memores acceptæ plagæ, hoc ſtoliditas eſt earum, non carentia memoriæ.

Ita D. Aug. 3. de Geneſi ad lit. c. 8. & D. Thom. 1. p. q. 72. ar. 2. & cõmuniter Philoſophi.

Quæres, an piſces habeant memoriam. Reſponſio eſt affirmans. Nam Plinius lib. 10. hiſtoriæ, c. 7. refert, in quibuſdam vivariis piſces ſolitos vocari certo nomine, & ſtatim advenire, & lib. 9. cap. 8. Delphinem, qui quotidie vocatus à puero quolibet tempore diei, licet ſubmerſus in albo eſſet, accedebat, & dorſum præbebat aſcenſuro, atque per mare ferebat, & ad litus referebat. Quod clarius memoriæ & evidentius ſignum! Deinde piſces in eadem ſpelunca habitantes certis temporibus ſe ſe abdunt, & inde egreſsi eadem rurſus commeant, ergo memoria pollent, quæ ob id à natura maxime conceditur, ut animalia ad ſua loca commodi alicuius gratia ſe conferant.

Memoria ſedem habet in parte capitis poſteriori, quæ vocatur occipitium. Suadetur à poſteriori, tum quia læſa illa parte læditur memoria; tum quia ſoliditas partis illius maxime iuvat ad ſpecies tenacius retinendas; tum denique quia recordari volentes ſcalpimus occipitium, ut modico calore ſpecies excitentur.

***

DVBIVM III.

Quibus rebus memoria vel augeatur, vel minuatur.

Dicendum cũ Philoſopho lib. de memoria & reminiſcentia, c. 1. Ad memoriç bonitatem requiri in organo mollitudinem moderatam, & aptam duritiem; organum enim niſi molle non recipiet cum facilitate ſpecies, & niſi durum conſervare eas nequibit: ea ergo medicamenta conducunt ad memoriam augendam, quæ moderata duritie, & mollitudine cerebrum temperãt. Abſtinendum eſt ergo ab ebrietate, à vini, ciborumque larga & affluente copia, fructibus viridibus & oleribus, à lacte, caſeo, & carnibus ſalitis, omnibuſque flatum generantibus, à piſcium fluvialium, & anguillarum præſertim eſu. Vtendumque cibis conſiſtentibus; uva paſſa, &c. Addo etiam arte iuvari memoriam. Primo, ſi rebus inutilibus non oneretur, nam colluvies, & multitudo ſpecierum perturbat, ideoque cavendum à feſtina plurium librorum lectione; unum tibi delige, & ex eo ſelige nonnulla, redactaque in codicillum lege frequenter. Secũdo, ſi ante ſomnum & matutino tempore res commẽdes memoriæ; quia impreſſa ante ſomnum diutius inſculpuntur; poſt ſomnum liberior eſt novis ſpeciebus locus, dum aliæ ſilent. Tertio, ſi libros eadem forma excuſſos legas, ne quod hic legis in læva, illic incidat in dextram. Quarto, ut ſingula pulchra, & ſelecta reponas in ſuos locos, & quaſi claſſes. Quinto, ut exerceas me-

memoriam uſu quotidiano, ſic enim excitatur vis illius, & fit expeditior, ſicut manus ad ſcribendum.

Sciſcitaris primo. Cur pueri & ſenes ſint immemores? Reſpondeo, pueri propter humiditatem cerebri diffluentē; ſenes propter duritiem non admittentem ſpecies. Quod ſi quæ accidunt pueris ſemper recordamur ideo eſt, quia frequentius eorum ſpecies renovamus. Neque mirum eſt ſpecies licet contrario careant evaneſcere, quia id provenit tum à limitatione ſuæ durationis, tum etiam à defluxu materiæ cerebri in qua ſpecies inhærent.

Sciſcitaris ſecundo. Cur aliorum citius, aliorum ſerius obliviſcimur? Reſpondeo, quæ frequenter repetimus, quæ impreſſa fuere in aliquo extraordinario caſu, quæ inter ſe fuere cognita diutius hærent propter intenſionem ſpeciei, vel eius reparationem: cætera facile ob contrarias rationes, ideo apud Vives lib. 1. animæ, quædam gentes in ſtatuēdis agrorum limitibus acriter verberabant pueros, ut finium recordarentur.

Sciſcitaris tertio. Cur ab adiunctis facilius memoramur rei principalis, quam à memoria rei principalis venimus ad memoriam adiunctorum, verbi gratia, qui cogitat de cæde aliqua, ſtatim recordatur cæſi parentis: qui vero cogitat de cæde parentis non ſtatim recordatur cædis communis. Reſpondeo, quæ ſunt admirabiliora, & maiora, illico ſe oſtentant animæ, quæ vero ſunt obſcuriora vix movent.

Sciſcitaris quarto. Cur non iidem communiter ſint ingenioſi, & memores? Reſpondeo, memoria requirit tenacitatem, ideoquē ingenium relinquit tardum, id eſt lente inveſtigans; ingenij vero bonitas conſiſtit in facilitate inveniendi & machinandi, quæ requirit cerebrum facile ac molle. Quod ſi accidat ut memoriæ organum ſit duriuſculum, imaginationis vero blandum, tunc idem erit memor & ingenioſus.

Sciſcitaris quinto. Cur tam firmiter bruta rerum memoriam habeant, ut vix obliviſcantur, & quæcumque diverticula & viarum flexus qua ſemel abierunt recordentur, & facilius & ſecurius quam homines. Reſpondeo, quia homines diſtrahunt ſenſus variis rebus, & multoties rebus internis intenti, res quæ ſenſibus externis obiiciuntur non percipiunt: at animalia firmas & ſtabiles recipiunt ſpecies, nec aliis rebus perturbantur, aut diſtrahuntur. Qua ratione homines etiam ruſtici, qui brutorum ingenia accedunt, firmiſsima, & tenaciſsima memoria valent.

Sciſcitaris ſexto. Cur aliquando perterritus ingenti pavore perdit memoriam? Reſpondeo, ingens pavor vocat ſpiritus omnes ad cor, reliquæ vero partes frigent, cerebro ergo nimis frigente rerum ſpecies abolent.

Sciſcitaris ſeptimo. Cur ea quæ amamus vix è memoria labuntur, ſed quaſi æri, vel marmori commendata aut impreſſa ſervamus. Reſpondeo, quia de iis accuratius cogitamus, crebrius repetimus eorum memoriam, & de iis frequentius loquimur: unde magis hac de cauſa & firmius affigimus.

DI-

DISPVTATIO TERTIA,
De Somno, & Vigilia.

POST memorię theſauros,& cœleſtes opes,Somnus & Vigilia (hominis delitiæ)ſedem in hoc tractatu tenent. Nec immerito; ſomnus etenim non ſolum artus & membra, totumque hominem crebris laboribus defatigatum recreat, obſervitque virium iacturæ reſarciendæ,ſed etiam ingens obleƈtationum, & voluptatum pondus immittit:& ideo merito divum à Poëtis appellatur: imo primo Parenti immiſſum,ut in illa fœlicitate,in qua multis divinis muneribus,ſupra naturæ conditionem, fruebatur;hoc non omnium minimo caruiſſe videretur. Adde ſummum illud cœleſtis beatitatis bonum,ſomnus dicitur: (dedit dileƈtis ſuis ſomnum) quia nihil dulcius, aut iucundius mortalibus conceſſum, quo æterna illa voluptas exponeretur. De Vigilia nihil adiiciam, hæc namque vita, ut ſomnus mors vocari conſuevit. Si igitur tanta & tam illuſtria de ſomno dicuntur, quæ de vigilia? Eo enim quo mors vitam,eo ſomnum vigilia ſuperat.

DVBIVM I.
Quid ſit Somnus.

COnimbricenſes tractatu peculiari de ſomno,cap.1. Somnum definiunt: *Ligatio omnium externorum ſenſuum ad animalium quietem & ſalutem inſtituta.* In hac definitione diſplicet primo particula *Omnium*; nam ſæpe dormientes aliquid vident, teſte Ariſtotele lib.5.de gen.anim.c.1. Imo Valles cont. lib. 4. cap. 4. evidenter probat cũ Galeno dormientem ſentire, licet hebetius quam vigilans;quia niſi dormiẽs ſentiret, nullis plagis, vel vocibus excitaretur, quia vel illas perciperet in ſomno,& ſic habeo intentum, vel in vigilia, & ſic iam non plaga, vel vox hominem excitaret,ſed reperiret excitatum.Secundo,diſplicet vox *Ligatio*, quæ eſt metaphorica, hæc explicat quomodo ſenſus externi ligentur. Tertio,diſplicent verba illa *Ad animalium quietem, &c.* quia ſi quis dormiat horas decem, cum illi ſufficerent ſeptem, tunc tres poſtremę horæ iam non proſunt ad ſalutem,nam ſicut immodicæ vigiliæ & intempeſtivę lucubrationes exhauriunt ſpiritus,cruditates pariunt,nimia ſiccitate inſaniam afferunt; ita ſomnus nimius, vel intempeſtivus laxat membra, calorem nativum hebetat, novis humoribus caput gravat, & materiam aliis membris neceſſariam diſſipat.

Averroes, Galenus, Avicenna, Plinius, & alij putant ſomnum provenire ab anima colligente in cerebrũ ſpiritus animales toto corpore diſperſos, & ita definiũt ſomnum; *Impotentia ſenſuum pra-*

 pter

pter naturam retrahentem ſpiritus. Impotentia, id eſt defectus plenitudinis potentiæ, nam ut ſenſus ſit plene & proxime potens, requirit abundantiam ſpirituum animalium. *Retrahentem.* Diſplicet iſta vox; nam retractio ſpirituum à toto corpore in cerebrum ficitia eſt; quis enim credat ſpiritum per pedes oberrantem revocari ad caput interdormiendum? Quod ſi retractio iſta ſolum ſit carentia diſpenſationis ſpirituum copioſorum, iam definitio iſta bonum ſenſum habebit.

Sententia communis eſt, ſomnum provenire eo quod per vapores è ventriculo in caput aſcendentes repleatur ſinus membranarum circa cerebrum, & occupantur viæ quibus à ſenſu communi ad ſenſus alios deſcendebant ſpiritus animales. Quæ ſententia, ſi velis iſtam eſſe cauſam formalem ſomni, non placet. Primo, quia ventriculi evaporatio maior eſt poſt prandium quam poſt cœnam, & tamé cœnati dormimus largius quam pranſi. Secundo, quia in maxima ventriculi effumigatione ſæpe non poſſunt voraces dormire; cum tamen ieiuni, atque adeo vix aliquid effumigátes placidiſsime dormiát. Tertio, quia ſæpe vigilamus, & loquimur poſt largam ſumptionem rerum fumoſarum, vini, lactis, lactucæ, bugloſſæ, florũ nymphææ, amygdalarum dulcium, & ſimilium rerum, quo tempore non poſſunt viæ non eſſe magis impeditæ, quam poſt diei ieiunium.

Dico ergo, Somnus eſt *Privatio diſpenſandi copioſos ſpiritus animales in ſenſus externos.* Quare dormire eſt *cohibere in cerebro largiores ſpiritus ne diffluant* in ſenſus. Dixi *copioſos*, quia ſomni tempore fere ſemper aberrant per ſenſus aliqui ſpiritus, quibus remiſſe videmus, audimus, &c. quibus excitamur à ſomno. Suadetur concluſio primo, quia hoc modo recte intelligitur medica definitio, quam affert Valles, ſcilicet, Somnus eſt ſymptoma in diminuto motu facultatis animalis, id eſt affectio, & caſus, quo diminuitur diſtributio facultatis ſenſitivæ. Somnũ etiam definit Ariſtoteles, apud Laur. lib. 4. quæſt. 11. *Eſt quies primi ſenſorij*; id eſt privatio motus, quo cerebrum influebat in ſenſus peculiares vim copioſam. Secundo, quia hoc modo tradita definitio rem optime declarat.

Sciſcitaris primo. Vnde proveniat iſta privatio diſpenſandi ſpiritus? Reſpondeo, provenire à vaporum inardentium copia cerebrum occupante: nam ipſa dormiendi conſuetudine ęſtatis temporibus fit vaporũ accurſus tum à ventriculo, tum etiam à reliquis membris in cerebrum; iſtorum autem vaporũ affluxus, & ipſius cerebri inflammatio, ſi animal aliqua magna cura vel occupatione vexatur, certe vel diſpellitur quaſi nubes ad præſentiam Solis, vel magna ex parte prohibetur; ſed relinquitur cerebrum quaſi ſerenum; quod ſi nullæ curæ angunt, reliqua vero membra ſedate quieſcunt, tunc illa copia vaporum, & eiuſdem cerebri ſubſtantia incaleſcit, & eouſque ſomno inducto quaſi ardet, quouſque paulatim tota materies vaporum diſpellatur, & ſubſidium in ſenſus diſpenſetur.

Sciſcitaris ſecũdo. An potio illa, quæ in uſu eſſe apud Indos dicitur, & tollere indigentiam ſomni, poſsit pręſtare ſomni omnes effe-

effectus? Reſpondeo, poſsibilem eſſe medicinam, quæ id præſtet; difficulter autem credo eam id efficere, quia ſomnus non ſolum evocat in cerebrum halitus toto corpore errantes, & eos coquit, ſed etiam fabricandis ſpiritibus animalibus impendit operam, & membris omnibus dat quietem, quæ omnia difficulter præſtabit illa potio Indica.

DVBIVM II.

Dubia quædam circa Somnum diluuntur.

ROgas primo. Quiſnam ſit finis, ob quem natura ſomnũ inſtituit. Reſpondeo, eſſe utilitates, & commoda quæ illius beneficio animalibus obveniunt, quas accurate Tertulianus in ſuo lib. de anima, cap. 43. his verbis complexus eſt. *Somnus eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.* Debet tamẽ ſomnus ut utilis ſit valetudini, moderatus eſſe, & tempeſtive adhiberi; ſomnus enim immoderatus nocumentum eſt valetudini. Nulla præterea res ſcientiarum ſtudiis magis adverſatur, nec ſapientiæ ipſi magis inimica, quam immoderatus ſomnus reperietur.

Rogas ſecundo. An ſomnus omnibus animalibus conveniat. Reſpondeo affirmative, quia omnibus eſt neceſſarium ad quietem. De aquatilibus probat Plinius lib. 10. nat. hiſt. cap. 75. quia ipſa etiam quiete cernuntur placida, ſeu ſoporata, & ad tumultum aliquem expavent. Balenæ etiam & Delphini ſternentes aliquando audiuntur.

Rogas tertio. Cur primus ſomnus altior ſit, ac gravior. Reſpondeo, quia initio, & maior eſt, & frequentior humorum copia in cerebrum aſcendens.

Rogas quarto. Cur Muſicę dulcis ſonus & iocundus, qui potius excitare mentem debebat, aures mulcens, ſomnum ſuadeat, & vocet? Reſpondeo, quia tunc anima dulcedine Muſicæ delinita, quaſi reliquorum ſenſuum oblita ad eorum officinas ſpiritus mittere deſinit, eoſque ad organum auditus ducit; qui ab excitato vapore facile ſoporatur, & ita ex his quies fit, & ſomnus iucundior.

Rogas quinto. Cur aliquidormientes obambulant, reſpondent, &c. Reſpondeo cauſam eſſe quia iſti utuntur imaginatione vehementi in profundo ſomno; illa enim ſufficiens eſt ad movendum appetitum ad loquutionem, & lationem; ſomnus vero profundus eſt, & ita licet iſti audiant, & ambulent, tamen ardore nimio, & ſuffumigatione multa cerebrũ occupante non diſpenſantur copioſi ſpiritus à cerebro. Facilius eſt autem dormientem movere membra, quam ſentire; quia hoc fit ſpiritibus animalibus, illud vero vitalibus.

Rogas ſexto. Cur modica fatigatio ſomnum inducat, nimia tollat? Reſpondeo, quia nimia conſumit ſomni materiam, modica diſponit, & fovet, ideo etiam nimium cœnati ſero, ægre, & laborioſe dormiunt, quia nimij cibi ſuffocant ventriculi calorẽ, accendunt corpus totum, & craſsiores, inhabileſque fumos evaporant.

Rogas ſeptimo. Cur melancholici, & ſenes parum dormiant? Reſpondeo, propter nimiam frigiditatem, quæ non ſinit vaporea elevari, vel elevatos accendi ſufficienter ad ſpiritus animales cohibendos. Sępe etiam iſti torquētur imaginatione anxia, tollente ſomnum. Obiicies; ergo lactuca, quæ eſt frigida, & ſimiles herbæ potius nocebunt ſomno. Nego conſequentiam, quia lactuca cōſtat humore vaporoſo, & aliun de calefactibili. Sic licet vapores aquei ſint naturaliter frigidi, tamen extrinſecus incaleſcunt, & ſurſum elevati Solem impediūt.

Rogas octavo. An in ſomno poſsit eſſe libertas? Reſpondeo, tam levis erit ſomnus, ut ſit aliqua libertas, qualiter contingit in ſemi ſomno: at in ſomno profundo non eſt libertas, quia iudicium rationis non eſt expeditum, ut experientia patet. Imo Pererius lib. 1. in Danielem quęſt. 7. ſupponit quaſi certum non poſſe naturaliter in ſomnis eſſe veram libertatem, licet ex parte intellectus poſsit eſſe ratiocinandi vis expedita: ait enim ad libertatem veram requiri omnium ſenſuum ſolutionem, ita ut homo ipſe ſit, qui tunc agit, & ſit ſui Dominus. Quæ tamen ſententia eſt valde difficilis. An non erit liber cui viſus, vel auditus non eſt ſolutus? vel cui ſenſus internus eſt ligatus, ſi ſemel demus illum ratione pollere? Sed hæc Theologorum ſunt propria.

Rogas nono. An homines à vigilia vel à ſomno vitam auſpicētur: verbi gratia: An pueri in matris viſceribus dormiant, an vero vigilent. Reſpondeo, ibi non eſſe proprie ſomnum, quia ſomnus eſt à quo quis expergiſci poteſt; ſed infantes in viſceribus matris expergiſci nequeunt propter affluentiam humiditatis, & organi imperfectionem, & ſenſuum hebetudinem; ergo proprie non dormiunt. Nec etiam vigilant, ut per ſe liquet, nam illorum ſenſus nihil ibi operis moliūtur, ſed à tempore quodā inchoamus, per quem ad vigiliam tranſimus.

Rogas demum. An Adamus, eiuſque poſteri ſi in gratia & iuſtitia originali perſeverarent caperent ſomnum. Ratio dubitandi eſt, quia ex Ariſtotele hic c. 2. ſomnus eſt ad quietem & virium reparationem; in illo autem fœlicisſimo ſtatu homines nec laborem, nec diſpendia ulla ſenſiſſent. Ad reſponſionem prænoto, ſomnum ex duplici capite oriri poſſe. Primo, ex laſsitudine, fatigatione, & morbo. Secundo, ex pura & ſuavi evaporatione alimenti. Nunc reſpondeo, etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſe dandum ſomno locum; non ei, qui ex laſſitudine, aut morbo oriretur: ut optime ratio dubitandi oſtendit, ſed quem dumtaxat pura & ſuavis alimenti vaporatio alliceret. Eſt enim hæc genuina & naturalis affectio ad totius animantis perfectionem attinens. Itaque licet ſomnus in noſtra hac mortali vita comparetur, obſerviatque ad virium iacturam reſarciendam; in illa tamen fœlicitate, in qua homines multis divinis muneribus ſupra naturæ conditionem fruerentur, ad ſolam oblectationem, & ſynceram voluptatem obdormiſcerent, cum vellent. Imo Adamum in ſtatu innocentiæ dormiſſe videtur aperte colligi ex verbis ſcripturæ Geneſeos. *Immiſſit Deus ſoporem in Adam*: qui *ſopor* teſte Divo Thoma 1. parte,

quæſt,

quæſt. 97. articulo 2. fuit verus ſomnus.

DVBIVM III.

De ſomniis.

MOneo primo. Ex Ariſtotele & Conimbricenſibus in peculiari tractatu ſic definiri ſomnium: *Senſatio pure interna in ſomno.* Dico *pure interna,* quia ſi quis dormiens audit aliquem ſonum, & illum auditu & ſenſu communi percipit, iſtud non eſt ſomniū, quia non eſt ſenſatio pure interna. Quidquid autem in ſenſu cōmuni percipitur, nec tamen attingitur à ſenſibus externis, eſt ſomnium, ut recte monet Vives libro 2.

Moneo ſecundo. Animalia illa ſomniare, quæ rerum ſpecies in memoria reſervatas habent. Reſervamus vero ſpecies iſtas uno è duobus modis: nam cum aliquid ſenſu externo percipimus, vel mittitur ſpecies eius obiecti à ſenſu externo in cerebrum, ita ut deferatur à ſpiritibus vitalibus, ſic enim aliqui fieri volunt; vel quod ego arbitror, eadem anima, quæ in ſenſu externo ſentit, producit in cerebro ſpeciem obiecti, eamque in theſauro memoriæ reſervat. Sunt ergo in occipitio quamplurimæ ſpecies, & ſenſatæ, & inſenſatæ, quæ animæ ſerviunt ad obiecta exprimenda.

Moneo tertio. Aliquos fingere ſpecies iſtas aſſervari in occipitio quando nihil agunt; quando vero ad ſenſationem concurrunt, tunc tranſire ad anteriorem cerebri partem, & iſtic ſe oſtentare ſenſui communi, ut illis utatur ad cognoſcendū. Quę ſane fictio accommodata eſt ad intelligendum quomodo recordemur, & ſomniemus: nam cum longam orationé recitamus, tunc ſingulorum verborum ſpecies ordine certo, *y como en proceſsion,* cenſentur exire ab occipitio, & pervenire ad anteriorem cerebri partem, ibique ſe oſtentare animæ, atque iterum ſe in occipitium recondere. Item cum ſomniamus, dici poteſt phantaſiam haurire ab occipitio ſine modo, & ordine varias rerum ſpecies, è quibus exſiſtunt tam multa male cohærentia, & ſtulta; vel certe incaleſcentibus per ſomnum ſpiritibus fervēt in cerebro ſpecies, & huc, illucque diſcurrunt ſine cohærentia. Hoc inquam eſt confictum, & ſine neceſsitate. Primo, quia ſi ad cognitionem debent adduci ſpecies ab uno loco in alium, rogo cur ſpecies *Petri*, quem volo *cognoſcere,* adducitur ab occipitio potius quam ſpecies Pauli? Sane reſpōdebis, Animam ipſam eo ipſo quod velit cogitare Petrum, dare impulſum ſpeciei Petri ut exeat ab occipitio. Sed contra, quia facilius eſt animam ipſam uti ſpecie ipſa Petri ad cognitionem eliciendam, quam imprimere impulſum ſpeciei, & illam attrahere, & illa uti. Quare ſicut tu concipis animam imprimere impulſum ſpeciei, & poſtea uti ea; ita ego concipio animam uti ſpecie ad Petrum cognoſcendum. Secundo, quia ſpecies impreſſæ ita ſunt in memoria, ut non quælibet ſit in ſua particula cerebri, & alia in alia; ſed ita ut multæ ſint in eadem cerebri parte, nam alioqui non poſſemus habere plures ſpecies quam cerebri par-

Dico quinto. Somnium quadruplex eſt, divinum, dæmoniacum, naturale, & animale. Divinum eſt, quod a Deo immittitur, ſive id fiat immediate à Deo, ſive Angelorum interventu, ut videre licet tam in veteri, quam in novo Teſtamento. In veteri in ſomno Iacob, Geneſeos 28. cap. Ioſephi cap. 37. eiuſdem libri. Pharaonis cap. 41. In novo, ut Matthæi 1. & 2. ubi legimus admonitum fuiſſe Divum Ioſephum in ſomnis ab Angelo, ut puerum Ieſum, & Matrem in Aegyptum deferret; deinde iterum, ut eos in regionem Iſraëliticam reduceret. Dæmoniacum eſt, quod à dæmonibus iniicitur, ut deludantur homines. Somnium naturale eſt, quod ex humorum temperie originem ducit, ſic melancholici triſtitia, bilioſi lites & rixas, pituitoſi fontes & aquas, & ſanguinei flammas & fornaces. Sic Medici ex ſomniis morbos curant, noſcunt enim ex illis prædominantes humores. Somnium animale dicitur, quod verſatur circa eas res, quibus per diem agitavimus: cum enim ſpecies illæ recentes ſint, frequentius occurrunt. Sic Claudianus præfatione in librum de 6. Honorij conſulatu.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro dum mēbra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris,
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.

Poſtulabis primo. Cur obiectis per inſomnia perceptis adeo affligimur, ac ſi vera forent? Reſpondeo, quia inſomnia iſta proponunt res, ac ſi forent præſentes, vel revera contingerent.

Poſtulabis ſecundo. Cur nunc hæc, nunc illa ſomniamus? Reſpōdeo, provenire primo ab ſpecie impreſſa: nam ſicut ſi nihil ſentientibus nobis ponitur ſpecies nova in oculo, vel novus color in manu illum ſentimus; ita ſæpe animæ nihil ſomnianti ſe obiicit nova ſpecies, eamque pulſat ad obiecti notitiam; obiicit vero ſe, vel quia localiter movetur, vel ob calorem maiorem, vel minorem; vel quia in ſenſibus externis datur ſenſatio de obiecto ſimili, vel contrario. Secundo, aliquando provenit ab eadem anima varie affecta. Si enim in gutture dormientis ineſt humida pituita, illico naturali conſenſione ſomniat aquas; ſi flava bilis abundat, lites, & rixas; ſi bilis atra prævalet, adſunt ſomnia triſtia. (ut ſupra dictū) quod etiam vigilantibus accidit; nam ſitis febricitanti excitat memoriam fontium; iracundis gladiorum; laſcivia voluptatum, &c. Quod ſi aliquando dormientes alia cogitant ac vigiles, id provenit à diverſa diſpoſitione quā habent. Tertio, aliquando provenit à cauſis extrinſecis Deo, Angelis, dæmonibus, cœlis.

Poſtulabis tertio. An pueri ſomnient? Reſpondeo affirmative cum Conimb. c.6.n.10. Galeno, Ariſtotele. & aliis. Ratio eſt, quia habent ſpecies ſenſibus hauſtas; eis autem uti ſatis iudicant puerorum nutus, ſuccuſſus renidentiæ, &c. Quæ indicia idem probant in pleriſque brutis.

Poſtu-

Poſtulabis quarto. Cur Olivæ ſomnia concilient? Reſpondeo, quia earum effumigatio eſt apta ſpeciebus attemperandis ad pulſandam animam; quæ attemperatio in quo conſiſtat, quis dicet! effectum tamen videmus, licet non ſemper, neque apud omnes.

Poſtulabis quinto. Cur Melancholici minus quam alij errant in ſomniis? Reſpondeo, quia vel ſunt prudentiores, & non temere, ſed bene perſpecta re, aliiſque indiciis ducti, ſua ſomnia interpretantur; vel quia ſydera in eos præcipue infundunt ſomnia veriora.

***

DISPUTATIO QUARTA, De Reſpiratione.

RESPIRARE hic aliquantulum licebit libere, ne defeſſa ingenia, tot difficultatum & diſputationum pondere Giganteos laſſante humores, onus deponant, animoſque ulterioris progreſſus. Ut ego effugiam in viſum crudelis vatiniani nomen, qui meis alumnis, neque reſpirandi locum concedo, lubens, & libens, amicâ dextrâ, tractationem de reſpiculo præmitto, & emitto. Utinam vitale ſit ſpiraculum quibus emortuus continuis laboribus vigor ſtudior, aut languefcens, exſurgat, & reviviſcat. Hic iocundi, Deo auſpice, Favonij, amabiles Zephyri, quibus benignus lector recreetur, ad invidiam Elyſij, & Damaſceni agri ſpirabunt. Quo ſpiraculo attracto, novos ſpiritus, animos, vitales totos, voveo, & ſpondeo.

DUBIUM I.

De eſſentia, inſtrumentis, & fine reſpirationis.

NOta primo iuxta Galenum lib. de ſalu. diæt. Reſpiratio eſt latio aëris per os intro, & extra, id eſt attractio aëris per os ad pulmones, & eiuſdem expulſio. Sunt auté in hoc actiones duæ, una recipiendi aërem, & dicitur inſpiratio; altera expellendi, & dicitur expiratio. Hic ſcire oportet ſi em & inſtrumenta reſpirationis; agemus autem præcipue de humana, ut reliquas hinc diſcas.

Nota ſecundo. Reſpirationis inſtrumenta ſunt hæc. Primo eſt os, vel nares. Secundo, eſt canalis quidam pluſquâ dimidia ſui parte rotundus, incipiens à fine oris, & deſcendens uſque ad pulmones, qui dicitur guttur, vel arteria vocalis, eſtque quaſi tibia inſerviens vocibus formandis: & quidem prope os habet unû quaſi truncum, poſtea in deſcenſu dividitur in duos ramos; quorum n extremitatibus annexæ ſunt duæ pulmonis alæ quaſi folles, continentes infra ſe cordis ſubſtantiam

tiam ſummo calore accenſam. Tertio, ſunt pulmones iam explicati. Quarto, eſt thorax, id eſt tota ſubſtantia pectoris uſque ad umbilicum, in quo ſunt muſculi 64. quorum alij thoracem diſtendunt, alij contrahunt ad inſpirandum, & expirandum. Quinto, eſt diaphragma, quod Latini vocant ſeptum tranſverſum. Eſtque pars quædam in modum extentæ pellis, & ſubſtantia nervea, dividẽs interiora hominis in duas partes, quarum inferior eſt alimenti officina, nempe ventriculus, inteſtina, &c. ſuperior eſt officina ſpirituum vitalium, nempe cor, pulmones, &c. Difficultas eſt, quæ pars iſtarum faciat reſpirationẽ; an guttur aërem excipiens facit ampliari pulmones? an iuxta Ariſtotelem cor claudit & aperit pulmonum follea ut aëre ventiletur? an, iuxta Medicos, diaphragma ſurſum ſe elevans conſtringit pulmones, & deſcendens eos dilatat? an, iuxta Galenum, thorax ſeſe dilatans trahit ſecũ pulmones, & ſeſe conſtringens eos cogit aërem diffundere? an vero ipſi pulmones ſua ſe ſponte movent?

Dico primo. Reſpirationis inſtrumenta moventia ſunt thorax, & diaphragma; deducentia ſunt os, nares, & arteria vocalis; excipientia ſunt pulmones. Ita Laurentius lib. 9 c. 12. In primis os, nares, & guttur deducunt aërem, pulmones vero illum excipiunt; id enim experientia patet. Quod vero cauſa motrix ſint ſolus thorax, & diaphragma, probatur, quia ore, naribus & gutture immotis fit reſpiratio; non ergo ab illis provenit; neque etiam provenit à pulmonibus, quia illis ſanie tabeſcentibus, & per os eiectis, adhuc reſpiramus. Quod autem thorax, & diaphragma moveantur, probatur id explicando, quia ex anatome conſtat ineſſe thoraci muſculos 64. quorum alij conſtringunt illum quando expiramus; alij dilatant quando inſpiramus. Cõſtat etiam diaphragma ſe totum contrahere ad centrum in modum pellis, ideoque conſtrictis pulmonibus expiramus, & iterum ſe diſtendere, ideoque ampliatis pulmonibus ne detur vacuum inſpiramus; ideoque diaphragmate læſo læditur reſpiratio. Monet vero Laurentius cap. 4. reſpirationem placidam, ac lentam eſſe à ſolo diaphragmate; validam vero à thorace; quod ego non examino. Lege apud illum qua ratione diaphragmatis uſus à natura ſit etiam inſtitutus ad fæcum excretionem.

Dico ſecundo. Reſpirationis effectus eſt temperies cordis, & ſpirituum vitalium nutritio. Ita Fernelius lib. 6. Phyſic. cap. 18. ex Hippocrate, Galeno, & Avicenna. Suadetur prima pars, quia pulmones ideo ſe ſupra cor dilatant, ut eius calorem temperent aëre adventitio, atque adeo ſunt quaſi flabellum cordis. Ideoque quibus cor friget, ut accidit hiſtericis, piſcibus plurimis, & inſectis omnibus, eis animalibus quæ hyeme defoſſa vivunt non eſt reſpiratio. Secunda pars oſtenditur, quia ingrediens aër pulmones replet ſpongioſam eorum ſubſtantiam, ibique aliquantulum diſponitur, & confeſtim ab arteria venoſa ſuſcipitur, & ad ſiniſtrum cordis ventriculum demittitur, ibi ſe miſcet cum ſanguine, quẽ fundit dexter ventriculus cordis, ingentique caloris incendio, &

formæ ſubſtantialis virtute convertitur in ſpiritum vitalem, qui deinde per totum corpus diffuſus ſalutarem calorem omnibus membris impertit.

DVBIVM II.

Nonnullæ prælibantur dubitationes.

DVbitatio prima. An piſces reſpirent? Reſpondeo, non omnes reſpirare. Ita cum Ariſtotele docent Conimbricenſes cap.5. Dixi *non omnes*, quia aliqui reſpirant, ut ranæ, mures fluviales, teſtudines, delphini, crocodili, balenæ, aliique nonnulli, qui habent pulmones; ideoque aquis latent ſine reſpiratione, reſpirant vero extra illas. Piſces vero cæteros pulmonibus carere, & non reſpirare probatur, quia reſpiratio conſtat aëris inſpiratione, & expiratione, at ſub aquis non eſt aër. Confirmatur, quia dum piſces plurimi natant in gurgite, non attollunt frequentes aëris ampullas, ergo non expirant. Reſpondebis, eſſe in piſcibus modicam reſpirationem, quia inſpirant particulas minutiſſimas aëris permixti cum aqua, ideoque Rondeletius cum Anax. Diogen. & Plinio ait, eos piſces, qui habent pulmones, illis reſpirare aërem aquæ mixtum; eos vero qui pulmonibus carent, reſpirare per branchias; eos vero qui carent pulmonibus & branchiis, ut oſtrea, reſpirare per cutis exiguos poros. Sed contra, quia ſimiliter defendi poſſet hominem reſpirare per palmam & cutem corporis totius: idemque de plantis omnibus dici poſſet. Confirmatur, quia reſpiratio nõ eſt neceſſaria piſcibus omnibus; quia ſi corde calẽt, melius illud refrigerabunt inſpirando aquã; ſi vero ſpiritus vitales generare debent, iſti ſunt pauci, & ad iſtos ſufficit ſanguis proprius, & aqua calore nativo diſpoſita; vel certe puſillæ aëris particulæ acceptæ ab aqua. Obiicies. Piſcis immerſus in vas oris anguſti non diu vivit; cuius non eſt alia cauſa, niſi quia reſpirare non poteſt. Reſpondeo. Piſces fere omnes requirunt aquas mobiles, & quæ noxias qualitates exhalent; ideoque moriuntur in fœtidis, & immotis: impertinens eſt autem, quod os ſit obturatum, ſi vas eſt partim aqua, partim aëre plenum.

Dubitatio ſecunda. Cur aliqui ſub aquis diutius continent ſpiritum? Reſpondeo, iuvat primo maior laxitas pulmonum, qui cũ capiant plus aëris, ideo non exigunt illum tam frequenter renovari. Secundo, iuvat cor temperatius; ſi enim non adeo fervet, non tam frequenter eſt refrigerandum.

Dubitatio tertia, cur ægroti aliqui frequentius, & in minore copia reſpirant? Reſpondeo, quia pulmonum capacitas coanguſtatur vel inflatione, vel humoribus malis, quod etiam accidit poſt largos cibos ob ventriculi dilatationem; & ita parvitatem aëris compenſat frequentia.

Dubitatio quarta. Cur poſt cibos largos dormientes lente inſpirant, magna vi expirant? Reſpondeo, quia calore in viſcera recondito gignitur multa fuligo, quæ ne decludatur blande inſpiramus, ut expellatur violenter expiramus. Idem facimus aliquando

quando vigiles; nam hianti ore largũ aërem blande imbibimus, eundem vi magna depellimus, *como deſollinando los pulmones.*

Dubitatio quinta. An reſpiratio ſit motus naturalis? Reſpondeo, eſſe naturalẽ, ſi nomine iſto intelligatur motus ſecundum naturam, ſecũdum principium actiuum, vel paſsiuum, quod liquet. Si vero intelligatur prout opponitur voluntario, res eſt ſatis dubia; quia à Medicis apud Laurentium lib.9.quæſt.7.ſic definitur: Motus voluntarius, vel animalis, eſt motus, quem ſedare & mouere poſſumus: at reſpirationem licet poſsimus detinere, & accelerare, non tamen omnino tollere; imo dum dormimus reſpirare videmur abſque ulla voluntate. Ex alio vero capite non defuere qui ſeipſos occiderunt cohibendo reſpirationem, & non deſunt qui dicant, dormientem quoties reſpirat habere actũ quo vult reſpirare; ſicut Averr. apud Laur. ſupra, dicit pulſationem cordis provenire ab anima ſentiente, & appetente. Ego certe arbitror reſpirationem communiter eſſe naturalem & ſine prohæreſi, id eſt ſine appetitione præcedente; aliquando vero eſſe animalem, & à nobis procuratam; nam volentes citamus, cohibemus, & impellimus illam. Similiter accidit in retentione, ac expulſione vrinæ, ut explicat Laurentius libro 7. quæſtione 31.

DISPVTATIO QVINTA.

De Iuventute, & Senectute.

VERIS decor & pulchritudo floribus undequaque gemmantibus, & ſtellantibus, (flores namque ſydera terræ, lumina Soli) veris inquam lux & gloria pulchre geſtiens, & iucunde vernans iuventutem præſefert. Hyemis vero triſtia nubibuſque obtectus mœror, glacie, pruina, imbribus lacrymarum inſtar, & nivibus caniciei in morem ſenectutem mœſtam, obtectam, gelidam, lacrymantem, & canam oſtendunt. Prius igitur de Iuventute, quæ ætatis flos & ver, deinde de Senectute, quæ vitæ exitus, & hyema, agemus.

DVBIVM I.

Aetas varia cur efficiatur.

VAria ætatum diſcrimina varie afferuntur, & aſsignantur. Hi tria, illi quatuor, alij vero ſeptem adiungunt. Qui tria, ſic rem dilucidam reddunt. Nam ex mutatione calidi & humidi tota oritur illa variatio: cumque pueritiam, iuventutẽ, & ſenectutem numerent, ideo fieri variationem cenſent; quia pueritia nimis abundet calido, & humido; ſic ei attribuitur calidum & humidum in ſummo. Quis non videat

deat fœtus è ſemine, & ſanguine, in quibus larga humoris & caloris copia viget, coaleſcere? & inde quis non inferat eorum mēbra à primo vitæ aditu & limine humido & calido abundare? & quidem quod ad humorem attinet redundant ore, naribus, oculis, totoque corpore puelli. Hoc caro flavida, & humida tactu demonſtrat: hominem at prima die cuncta Philoſophorum & Medicorum Schola calidiſsimum ſtatuit. Sed calor aſsiduo carpit humidum, & ipſe agendo atteritur, & langueſcit; unde cum ad vitæ exitum, & occaſum devētum eſt, friget corpus, & primigenij humidi fere vis extincta eſt. Hinc elucet tempus inter hæc extrema ſitum, non adæquate perfectam, ſed omnium maximam obtinere temperiem. Quæ ideo ætas aurea, ætas florida nuncupatur, nec enim ut ſenium areſcit, nec ut infantia humoris imbre redundat.

Alij has tres partes ætatis adhuc tripartitas reddunt. Sicque primæ infantiam, pueritiam, & pubertatem adiungunt; ſecundæ adoleſcentiam, iuventutem, & virilem ætatem; tertiam ſenectutem marcidam, languidam, & decrepitam vocant.

Qui ſeptem partibus ſecant, ſeptenario annorum numero utuntur, ita ut primos ſeptem annos primę ætati, ſecundos ſeptem ſecundæ, & ſic inde attribuant. Ita Medici, & Aſtrologi. Ita Solon Athenienſium Legiſlator, teſte Philone Alexandrino, qui mira de ſeptenario numero hoc.

Aſtrologi, ut ait Proclus, ſeptem Planetis, ſeptem ętates ſubiectāt, ob præcipuum influxum. Lunæ infantiam: pueritiam Mercurio: Veneri adoleſcentiam: iuventutem Soli: virilem ætatem Marti: Iovi ſenilem: decrepitam Saturno. Permulcet inquiunt tenellam illam ætatem blanditiarum illecebris Luna, & blandiſsimo, uberiq. lactis imbre irrigat & fovet. Mercurius ad ludos & hilaritatem, ad linguæ inſtitutionem & diſciplinam pueros informat. Venus adoleſcentes accendit. Sol iuvenes erigit ad ſublimiora, vires auget, & integrat virtutem. Mars virili ętati ardorem inijcit, & hominum ad bellorum uſum inflammat pectora. Indit Iupiter ſenectuti honorem & imperium, & maturam gravitatem, & gravem benignitatem. Saturnus demum decrepitæ ætati fragilitatem & moroſitatem indit.

Tandem qui quadripartiuntur ætatem, anni temporibus comparant. De quo non iniucundum inferam epigramma à Iacobo Falcone Valentinę noſtrę gentis gloria, lib. 1. epiſt. 13.

Ver caput eſt anni, vita pars prima iuventus;
Vtrumque tempus humidum.
Frugifera eſt Aeſtas, animus dat multa virilis;
Vtrumque tempus igneum.
Albicat Autumnus, caneſcit grandior ætas;
Vtrumque tempus aridum.
Claudit Hyems annum, ſpatium vitale ſenectus;
Vtrumque tempus horridum.

DVBIVM II.

Problemata aliqua enodantur.

Illud in limine ipſo occurrit. cur puelli orti ſeptimo menſe vi-

tam protrahant; qui vero octavo ſtatim finiant? Qui in ſeptem par tes dividunt ætates, arcana myſteria in ſeptenario numero venerantur. Philo lib. 1. Allegor. conſulendus. Quæ doctrina Medicorum primicerio Hippocrati conſentanea eſt, qui docet quemadmodum morbi dies, ſic partum menſes criticos, ſeu iudicatorios habere, & ad prodeundum in lucem idoneos, ac favorabiles, aut è contra. Aſtrologi Planetis omnia attribuunt. Aiuntque non ſolum dies, ſed menſes, annos, & ætates ſeptem Planetis reſpondere. Sicque primus menſis fœtus Lunæ (alij aliter ordinant.) Secundus Mercurio ſubiacet, & ſic reliqui. Septimus Iovi, qui favet vitę. Octavus Saturno, qui, ut ſydus ferale, & noxium exaſperat, ſiccaque frigiditate infanti vires deiicit.

Cur pueri validius naturales vires; infirmius exerceant animales; ſiquidem augentur, & creſcunt, nutriuntur, & digerunt affluéter; nec tamen moventur ſed ægre, vix ſentiunt, & vix percipiũt? Ex dictis ſuperiori dubio ſolutio petenda: abundant enim calore, & humore pueri, calor favet nutritioni, & fovet vires, & functiones naturales, humor nimius, quo ſenſuum officinæ primo ætatis ingreſſu ſcatent, ſenſitrices facultates obtundit. Nec eas ſuis muneribus ;erfectè ſinit fungi.

Cur pueri dum teneræ ætatis ſunt, aliquando ingenij nobilitentur acumine, & demum maiores effecti tardi atque rudes evadũt? Prædicatur vulgo illud proverbij loco: Odi pueros præcoci ſapientia. Aut cur iſti qui acutiores apparent, brevioris ſunt vitę? Pueri omnes nimio humore hebetantur, ut vix ſentiant & intelligant. Qui vero maturius ingenij acie valent, ut ætatem ſuperent, cerebri ſiccitatem indicant intempeſtivam, quæ ſiccitas cum progreſſu tẽporis excreverit, aut ita organum diſſolvit ut interimat; aut ita vitiat, ut ad obeunda internorum ſenſuum munia, è quibus intellectus conſtruitur officina, & cognitionis vis oritur, ineptum fere reddat.

An primi Parẽtes & reliquum hominum genus, dempta illa Adami prima labe, nec iuſſo Dei tranſgreſſo, neque cibo illo vetito deguſtato, ad ſenectutem laberentur, vel potius eſu vitiferę arboris iuventutis florem ſemper retinerent?

Immerito negat Scotus. Affirmant D. Thomas ex S. Auguſt. Rupertus, S. Chryſoſtomus, & alij plures. Neque enim ut autumabat Scotus uoum pomũm æternam generaret vitam, ſed oporteret ad id progreſſu ætatum aliis, & aliis veſci pomis. Quod vero id præſtarent poma illa, probatione non eget. Qua ratione, crediderim fuiſſe eis pomis inditam à Deo qualitatem, ſive ſupernaturalem, ut plurimi; ſive naturalem, ut plures; quæ qualitas altricem facultatẽm & omnes eius adminiſtras roboraret, & primę virtuti reſtitueret. Sed de his 1. p. q. 97.

Tandem quodnam temperamẽtum ad ſenectutem ſerius devehit? Sanguineum ſine dubio, quia abundat calido & humido, non enim ſeneſcimus niſi humor areat, & calidum frigeat.

***

DISPVTATIO SEXTA.

De Vita, & Morte.

VT Iuventus vitæ eſt aditus,ſic SeneƐus ad mortem eſt exitus:utraque limen & ianua; per iuventutem vitam,per ſenectutem mortem adimus. Senes, ut ille protulit, iam pedem unum in ſepulchro tenent, vel & ille, ſenectus mortis eſt veſtibulum.Vnde manifeſtum fit quam apte à iuventute ad vitam,à ſenectute ad mortem tractandam venimus.

DVBIVM I.

Quid vita, quid mors ſit.

ARiſtoteles libro de reſpiratione vitam finit. Vita *eſt permanſio animæ vegetatricis cum calore.* Quæ definitio ſolius eſt vitæ, quæ corporibus convenit; nam etiam animis ſeparatis ſua vita convenit. Definivit tamen per vitam vegetatricem,quia nullum eſt corpus vivens quod ea careat. Addidit cum calore, quia nulla vita conſiſtere poteſt niſi mixtæ ſint primæ quatuor qualitates; & peculiariter in calore conſiſtit, quia niſi calor adminiſter ſit vitalium functionum, vita eſſe nequit: eſt enim iſte calor primarium vitæ inſtrumentū, cū eius præſentia & temperie artus foveantur, maneant integri, & ſuo fungantur aptiſsime munere:eius autem abſceſſu torpeant, & exanimes iaceant. Indiget tamen humido non ſecus ac flamma oleo.

Hinc iam caput exerit difficultas,an ita calor vitales exequatur actiones, ut ad eas nulla ratione admittatur per ſe frigus,ſed caſu & ex accidenti,ſcilicet quatenus modum adhibet calori,& eius attemperat vim. Poteſt enim pars affirmans ſuaderi, quia appetitio cibi acuitur, & accenditur frigore, quare appulſus atræ bilis,quę frigida eſt,in ſtomachum famem excitat. Sed contraria pars vera eſt, & omnium, quia frigus potius nocere videtur,niſi attemperet vim caloris,ad id enim ex accidenti neceſſarius eſt concurſus frigoris;quod noceat inde elucet, quia nulla eſt vitalis actio, cui frigus non per ſe adverſetur; ſiquidem cum nimium augetur, aut omnem lædit operationem, aut ex omni parte impedit. Quis enim non videat frigore nimio ſtupefieri membra, induci paralyſim, unde ſenſum & motū adimi, quem calor fovet, auget, & confirmat! Neque ratio oppoſita vim habet, quia illa fames non inducitur per ſe adventu frigoris atræ bilis; ſed quatenus vi frigoris corrugantur partes, & ſtringuntur, atqui inde ſequitur appetitio cibi, cuius ingreſſu corrugatio illa ceſſat, & ſtrictio deſinit.

Ex his cui non obvia mortis finitio? Mors eſt *abſentia, ſeu*

di-

diſceſſus animæ à corpore ob defectum innati caloris. Dicitur diſceſſus, ſive omnino pereat anima, ut materialis; ſive permaneat, ut rationalis.

Ponitur ob defectum innati caloris, quia cum contrariorum côtrariæ ſint cauſæ, ut calor eſt cauſa vitæ, ſic frigus eſt cauſa mortis. Hinc plane deduc mortis cauſas: ſunt enim excedens frigus, & ſiccitas: imo humiditas nimia, quæ extinguit calorem: & etiam nimius calor extraneus, qui non tantum ſuffocat humidum, ſed etiam ipſum calorem innatum reſoluta ſubſtantia diſsipat.

Dividunt communiter Ariſtoteles & alij mortem, in violentam, & naturalem. Violenta illa eſt, quæ à contrario provenit: naturalis, quæ ex caloris marcore. At quia ſupra dictum eſt interimi ſolere calorem ſæpius à frigore, nonnumquam ab extraneo calore, aliquando ab humiditate immodica, quę nativum calorem præfocant, ideo tripliciter violentam mortem evenire dicendum, ob nimiam frigiditatem, calorem nimium extraneum, & immodicam humiditatem. Naturalis vero mors evenit, quia ſenſim calor deficit, nam cum calor agat in humidum, agendo imminuitur, & proinde deficiente humido, deſinit eſſe etiam omnino calor, & ſequitur mors, quæque in plantis ſolet dici areſcere, in animalibus dicitur ſeneſcere, & mori.

DVBIVM II.

Cor dicitur fons vitæ, problemata ad id ſpectantia.

Nihil magis in uſu quam cor dici fontem vitæ, & merito: dictum enim eſt, non ſecus, ac flamma oleo, calore paſci humido; humidum reſtauratur & reficitur cibo & potu: at calor habet quendam locum in corpore veluti fontem & primordia nativi ignis, à quo calores reliqui totum corpus foventes dimanant, qui locus tutiſsimus eſt, & veluti totius arx, hic vocatur locus, cor. Habet etenim cor inſitum à natura calorem, cuius opera ſanguinem puriſsimũ ſibi à iecore tranſmiſſum perfectius decoquit, & in vitales ſpiritus tranſmutat, quorum vehiculo in omnes partes corporis quaſi ſubſidium vitæ, mittit calorem, quo omnia membra ſervantur, atque foventur, & vitæ obeunt munia. Imo ipſum cerebrum à corde recipit vitales ſpiritus, quorum adventu innatã temperat frigiditatem, & aptatur ad exercendas functiones animales.

Repetitur paſsim ab Aegyptiis, & à pleriſque Romanis, iiſque doctiſsimis, cor per annos ſingulos augeri in homine, ac binas drachmas ponderis ad 50 annum accedere; deinde tandem ab eo diſtrahi, & ideo hominem non vivere uſque ad centeſimum annum ob defectum cordis. Sed hęc fictitia ſunt, & ab omni veritate aliena, uſu anotom icorum, Philoſophorum ratione, & experientia ſuperantium annum centeſimum, contrarium patet.

Cur ea quæ pro ſuorum corporum magnitudine grandius habent cor, ut lepores, cervi, mures, aſini, muſtellæ, timidiora ſunt? Reſpondetur, quia minima pars caloris, qui animoſitatis auctor eſt, in magno conceptaculo exoleſcit, fitque ſanguis frigidior.

Cur qui cor habent piloſum, ſeu hir-

hirſutum ſunt animoſiores? Reſpondeo, quia hi homines ſummopere calidi ſunt, & fuliginoſa recrementa è corde emittunt, quæ in pilos concreſcunt.

Cur ſi cor eſt fons vitæ, teſtudines avulſo corde vivunt? Reſpondeo, quia hæc animalia ſicuti ſunt imperfecta, ita non uni tantũ loco addictum habent principium vitæ, ſicque præciſo corde adhuc in eis relinquitur, quod præſit obeundis actionibus.

DISPVTATIO VLTIMA;
De longitudine, & brevitate Vitæ.

VITA non omnino æqualis eſt, alia enim animalia citius amittunt vitam, alia diutius eam protrahunt. Nunc quænam ſint cauſæ longioris, & brevioris huius vitæ, inquirendum nobis propoſitum, ut hic tractatus omni ex parte integrum habeat complementum.

DVBIVM I.
Quæ ſint cauſæ longioris & brevioris Vitæ.

ATtemperatio humidi & calidi eſt cauſa dilatans vitam; & è contrario vitam imminuit inæqualis, & inepta calidi, & humidi commixtio. Illa tamen vocanda attemperatio cum humidum non prævalet, & obtundit & ſuffocat calorem; & ſimiliter cum calor non ita excedit, ut citius quam par eſt humidum depaſcat & abſumat. Vt iam dictum vita ſe habet inſtar flammæ, oleo quæ paſcitur: ſi enim ſit oleum nimium, flamma extinguitur; ſi flamma ſit immoderata, citius abſolvitur, & conficitur oleum.

Neque parum ad hanc temperationem cæleſtis ſyderum influxus attinet. Nam cum corpora iſta, & mundus hic inferior ſupernis lationibus obnoxius ſit, ab eiſque regatur, non dubium, quin viventia pro ratione aſpectuum, nunc beneficam qualitatem ad conſervãda corpora, nunc iniquam, noxiamque à cœlo accipiant.

Neque parum etiam iuvat regionis hilaritas, ſalubritas aëris, & ratio victus. Propter ſoli, & cœli favorem in Indiis aliqui centeſimum & trigeſimum a num robuſta & valida ætate ſuperant. Alij etiam infirma valetudine beneficio temperantiæ diutius vivunt. Et ſi uſui & Medicis credimus, multa ſunt ciborum genera, quorum alij ſua ſpõte vi corporibus detrimentum, & morbos afferunt, alij valetudinem tuentur & augent.

Loca calidiora ſalubriora ſunt frigidis, & qui in calidis degunt regionibus, diuturniores ſunt, quam qui in frigidis locis habitant. Ex animalibus alia, nec integrum

tegrum adimplent diē, alia centeſimum, & ducenteſimum aſſingunt annum, & idē in plantis & arboribus viſitur. Quæ enim cito & celeriter adoleſcunt, celeritate pari occidūt, & pereunt, ut ficus, prunus: Quę vero tardius exurgūt largiorem ſ... ſciſcuntur vitā, olea, oleaſter, palma, cupreſſus veritatem facient. Adde quæ iuxta aquas, & ex ſe aquaticæ ſunt, emoriuntur celerius, quæ vero odoratæ, & criſpæ materiæ ſunt, vivaciores exiſtunt.

DVBIVM VLT.

Solutio problematum.

Quodnam ė quatuor temperamentis aptius eſt longiori vitæ? Reſpondeo, qui ſanguineam adepti ſunt complexionem: hi enim optimam portionem calidi & humidi ſortiuntur.

Cur qui hauriunt perpetuō vini potuſque plurimum, & frequenter ingurgitant vino, accelerant ſibi mortem? Reſpondeo, quia hi extraneo & adventitio calore primigenium humidum abſumunt, ipſumque calorem innatum evaneſcente eius pabulo diſsipant.

At vero quæ moderato utuntur vino, ſentiunt prolixiorem vitam, quia moderatione illa vini nativus calor iuvatur, & decoctio ciborum acuitur, & promovetur.

Cur dentium raritas vitæ brevioris eſt inditium? Reſpondeo, quia dentium raritas, ſignificat capitis os denſum eſſe, nam materia dentium abiit in eius ſubſtantiam. Vnde cerebrum invalidum redditur, quia minus aptatur reſpirationibus, & facilius & brevius putrefit, cum totum ſua natura humidum ſit. Demum adiunge ex raritate dentium colligitur materiæ inopia & imbecillitas; quod naturam arguit debiliorem.

Hic noſter ſiſtat curſus, noſtrumque curriculum hic perſiſtat, hīc quieſcat, ſitque finis totius finiatur Philoſophiæ. Cucurrimus hactenus, quandoque ſiſtamus neceſſe eſt, ut ad altiora, eoque difficiliora, & eo d gniora novos animos, novoſque ſpiritus hauriamus. Sic Maximus faxit Genitor, ſic optima faxitque Genitrix Carmeli culminis incola, ut fauſtus, fœlixque nobis ut alumnis reſpondeat eventus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
TRACTATVVM,
LIBRORVM, CAPITVM,
Diſputationum, & Dubiorum, quæ in hoc opere continentur.

TRACTATVS PRIMVS, in quatuor Libros Ariſtotelis, de Mundo, & Cælo, vel potius de Mundo & eius partibus.

LIBER PRIMVS, de Mundo.

CAPVT primum, Mundum eſſe perfectum. pag. 3.
Caput 2. Præter Elementa datur quintum corpus ſimplex. 4
Caput 3. Cœlum neque grave neque leve. 5
Caput 4. Motui circulari nullus alius motus adverſatur. 6
Caput 5. Cœlum finitam obtinet magnitudinem. 7
Caput 6 Elementa magnitudinem finitam ſibi vendicant. 7
Caput 7. Nullum corpus naturale infinitum eſt. 8
Caput 8. Non dantur plures mundi. 8
Caput 9. Vnicus dumtaxat eſt mundus. 8

Caput 10. Quaſdam ſententias de mundi duratione reiicit. 9
Caput 11. Nonnulla vocabula explicat. 9
Caput 12. Mundum ingenitum, & incorruptibilem eſſe oſtendit. 10

Diſputatio I. De Mundo.

Dubium 1. Mundi definitio. 11
Dubium 2. Num mundus perfectus ſit, & an perfectior produci potuerit. 13
Dubium 3. Sintne, vel eſſe queant plures mundi. 15
Dubium ult. Num mundus ſolo generali concurſu Dei perpetuo durare queat, an non. 16

LIBER SECVNDVS, De Cœlo.

Summa Textus. 18.

Diſputatio II. De natura & eſſentia Cœli.

Dubium 1. An cœlum ex materia & forma coagmentetur. 19
Dubium 2. Num cœleſtis & ſublunaris materiæ ſpecie diſtent. 20
Dubium 3. An cœli forma ſit Anima. 24
Dubium 4. An cœlum nobilitate præſtet omnibus corporibus ſublunaribus. 26
Dubium 5. An cœlum generabile & corruptibile ſit. 27
Dubium 6. Cœleſtium orbium numerus ſtatuitur. 29
Dubium 7. Declaratur amplius ſuperior doctrina, & ſolvuntur difficultates. 30
Dubium 8. De Stellis fixis, earumque numero, ſitu, & magnitudine. 32
Dubium 9. De Stellis errantibus, earumque numero, ſitu, motu, & magnitudine. 34

Diſputatio III. De Cœlorum proprietatibus.

Dubium 1. De quantitate cœli. 36
Dubium 2. De cœlorum, ſyderum, & planetarum luce. 37
Dubium 3. Cœlorum figura. 39

Dubium 4. Num in cœlis reperiantur aliquæ virtutes influendi occultæ. 40

Diſputatio IV. De Cœleſtium corporum motu.

Dubium 1. A quo cœleſtia corpora moveantur. 42
Dubium 2. Nam motus circularis ſit cœlo naturalis? 42
Dubium 3. Num pars cœli à cœlo ſeiuncta & in elementorum loco poſita naturaliter quieſceret, vel ſurſum tenderet. 45
Dubium 4. An cœli dum moventur ſonum efficiant. 46
Dubium ult. An cœlum uno, vel pluribus motibus moveatur. 48

Diſputatio V. De influxu cœlorum in hæc inferiora.

Dubium 1. Num corpora ſublunaria eſſentialiter pendeant à corporibus cœleſtibus. 52
Dubium 2. An motus ſit ratio agendi in cœlis, & per quam virtutem calorem cauſent. 53
Dubium 3. Quo pacto motus ſit cauſa caloris. 54
Dubium 4. Num cœli formas ſubſtantiales ſublunares cauſent. 56
Dubium 5. An, & quomodo cœlum in hominis voluntatem in[illegible] 57
Dubium 6. Quę futura poſsint Aſtrologi cognoſcere, & prædicere. 58

LIBER III. ET IIII. Ariſtotelis.

Diſputatio ult. De Elementis.

Dubium 1. Quid & quotuplex ſit elementum [illegible]
Dubium 2. De elementorum gravitate & levitate. [illegible]
Dubium 3. Quam elementa obtineant figuram. [illegible]
Dubium ult. De terrę centro mundi elementalis nonnulla. 69

TRACTATVS SECVNDVS, De ortu, & interitu, ſive de generatione, & corruptione.

LIBER PRIMVS,

De ortu, & interitu.

Caput 1. Referuntur variæ ſententiæ de rerum ortu, & interitu. 71
Caput 2. Proſequitur idem. 71
Caput 3. Proponit nonnullas circa ortum & interitum quæſtiones. 72
Caput 4. De diſcrimine inter motum & commutationem. 73

Diſputatio I. De Generationis, & corruptionis eſſentia.

Dubium 1. De exiſtentia & definitione generationis & corruptionis. 74
Dubium 2. Quo pacto differant generatio & corruptio, & quo pacto generatio unius ſit corruptio alterius. 76
Dubium 3. An generatio ſit converſio. 80
Dubium 4. An generatio ſit unica & ſimplex actio. 84
Dubium 5. An generatio ab alteratione prævia & à conſervatione differat. 89
Dubium 6. De cauſa efficienti ſubſtantiali generationis. 90
Dubium 7. An forma ſubſtantialis in generatione concurrat active ad ſui unionem cum materia. 91
Dubium 8. De termino generationis. 92
Dubium 9. Num agens creatum aliquid creare valeat. 94
Dubium 10. Num aliqua accidentia recipiantur immediate in toto compoſito. 95
Dubium 11. An totum compoſitum dum interit reſolvatur uſque ad materiam primam. 102
Caput 5. De augmentatione. 106

Diſputatio II. De nutritione, augmentatione, & accretione.

Dubium 1. Quid ſit nutritio & augmentatio, & quomodo inter ſe differant. 107
Dubium 2. De neceſſitate, tempore, & partibus quæ nutriuntur. 110
Dubium 3. De materia nutritionis, fame, & ſitis 112

Diſputatio III. De alteratione, intenſione, & remiſsione.

DVbium 1. Quid ſit alteratio, intenſio, & remiſsio. 113
Dubium 2. Quæ res ſint intenſionis capaces. 114
Dubium 3. Quomodo fiat, vel in quo proprie conſiſtat intenſio qualitatum. 117
Dubium 4. D. Thomæ mens oſtenditur, & adverſariorum argumentis itur obviam. 112
Dubium 5. Sint ne gradus qualitatis diſsimiles in perfectione, & inter ſe ſubordinati. 125
Dubium 6. Adverſariorum argumenta proponuntur & enervantur. 128
Dubium 7. De ſubordinatione graduum inter ſe. 132
Dubium 8. Qui gradus contrariarum qualitatum invicem opponantur. 135
Dubium 9. Aliquot de intenſione qualitatis difficultates. 138
Dubium ultimum, Num intenſio ſit motus continuus, & ſucceſsivus. 140

Diſputatio IV. De rarefactione, & condenſatione.

DVbium 1. Proponitur controverſiæ difficultas. 142
Dubium 2. Quid non videatur eſſe rarefactio. 143
Dubium 3. Quid videatur eſſe rarefactio & condenſatio, rarum, & denſum. 147
Dubium ult. Argumenta traditæ doctrinæ adverſantia proponuntur & enervantur. 152
Summa cap. 6. uſque ad 9. 156

Diſputatio V. De proportione inter agens & patiens.

DVbium 1. An ſimile poſsit agere in ſimile. 157
Dubium 2. An agens ratione maioris denſitatis poſsit agere in ſibi ſimile. 159
Dubium 3. An agens unicorum valeat effectum ſibi omnino ſimilem producere. 161
Dubium 4. An idem poſsit intendere ſeipſum per antipariſtaſim. 163

Dubium 5. An omne agens agendo repatiatur. 166
Caput ultimum. 168

LIBER SECVNDVS, De Generatione, & Corruptione.

Diſputatio 6. De qualitatibus primis, & Elementorum generatione.

Dubium 1. Definitio, numerus, & cauſa primarum quatuor qualitatum elementorum. 170
Dubium 2. De actiuitate, & reſiſtentia primarum qualitatum. 174
Dubium 3. An & quatenus actio procedat à proportione maioris inæqualitatis. 176
Dubium ultimum. An & quatenus unum elementum generetur ex alio. 177

Diſputatio VII. & ult. De generatione mixtorum, & mixtione Elementorum.

Dubium 1 Quid, & quotuplex ſit mixtio. 181
Dubium 2. Quatenus mixtilia remaneant in mixto. 183
Dubium 3. De mixtione aquæ & vini brevis digreſsio. 186
Dubium 4. De temperamento mixtorum. 188
Dubium ult. Clauſula huius tractatus, & diſputationis. 191

TRACTATVS III. & VLT. In tres Libros Ariſtotelis de Anima.

LIBER PRIMVS ET SECVNDVS, De Anima.

Diſpu-

Diſputatio I. De eſſentia Animæ in communi, diviſione, quidditateque ſpecierum eius.

Dubium 1. Peripatetica Animæ definitio. 199
Dubium 2. An eſſe actum corporis organici ſit ſolius formæ viventis proprium. 103
Dubium 3. Deducuntur aliquot Animæ attributa. 104
Caput 3. 107
Dubium 4. Quotuplex ſit animarum & animatorum genus. 108
Dubium 5. Quomodo dividatur Anima in vegetantem, ſentientem, & intelligentem. 110
Dubium 6. Sit ne Anima compoſita ex partibus Hæterogeneis. 111
Dubium 7. Sit ne forma plantarum proprie anima, & diviſibilis. 112
Dubium 8. An forma ſenſitiva ſit vere Anima, & diviſibilis. 117
Dubium 9. Quas partes corporis anima citra controverſiam informet. 118
Dubium 10. An informet anima capillos, dentes, & ungues. 112
Dubium 11. An humores informentur anima. 124
Dubium ult. An ſpiritus vitales & animales, ſemen, lac, & adeps animentur. 128

Diſputatio II. De quidditate Animæ rationalis.

Dubium 1. An anima rationalis ſit ſpiritalis. 131
Dubium 2. An anima rationalis ſit omnino indiviſibilis, & exiſtat in toto corpore. 133
Dubium 3. An omnis res ſpiritalis ſit indiviſibilis. 135
Dubium 4. Quando anima rationalis fuerit producta, & cœperit eſſe in corpore. 138
Dubium 5. An inter animas rationales inæqualitas ſubſtantialis eſſe poſsit. 141
Dubium 6. An in omnibus viventibus una ſit tantum anima informans, & in ſingulis multiplex. 144
Dubium 7. An anima ſupponat in materia, quam informat formam corporeitatis. 147
Dubium 8. Sit ne anima rationalis formaliter vegetans, & ſentiens. 150
Dubium 9. An anima rationalis ſit ex ſe immortalis. 151

Diſputatio III. De Potentijs & actibus Animæ.

Dubium 1. Num potentiæ realiter ab anima differant. 255
Dubium 2. De ſeparatione potentiarum ab anima. 260
Dubium 3. De cauſis potentiarum animæ. 262
Dubium 4. Specificatio, definitio, & partitio potentiarum vitalium. 264
Dubium 5. Quid ratio vitæ in actu primo, quibuſque conveniat. 266
Dubium 6. Quid ſit vita in actu ſecundo, ſeu actus vitalis, quibuſque conveniat. 269
Dubium 7. An ſit neceſſarius concurſus animæ & potentiæ ad actum vitalem. 271
Dubium 8. An in omni actu vitali detur actio & terminus. 274
Dubium 9. Conſiſtat ne actus vitalis in actione, paſsione, & termino. 275
Dubium 10. An vitalis actus ſine concurſu animæ & potentiæ produci queat. 278
Dubium 11. Poſsit ne actus vitalis fieri ſine concurſu paſsivo potentiæ vitalis. 279
Dubium 12. An & quomodo terminus actionis vitalis poſsit divinitus conſtitui extra ſuum ſubiectum. 281
Caput 4. 283

Diſputatio IV. De Potentiis & actibus vegetantis animæ.

Dubium 1. Quid ſit generatio viventium, & cur naturaliſsimum viventis opus. 285
Dubium 2. Corollaria quædam deducuntur. 288
Dubium 3. Poſsit ne dæmon verum actum generationis efficere. 290
Dubium 4. Quid potentia nutritiva, & quomodo à temperamento, & aliis potentiis diſcrepet. 292
Dubium 5. De potentia generativa, eius actu, & diſcrimine à nutritiva. 295
Caput 5. 298
Caput 6. 299

Diſputatio V. De Senſu externo, & Potentia cognoſcitiva materiali.

Dubium 1. De eſſentia, diviſione ſenſus in communi, eiuſque ſenſorio

ſorio & actu. 300
Dubium 2. Dentur ne in ſenſibus impreſſæ ſpecies. 301
Dubium 3. Quid & qualis ſit ſpecies impreſſa ſenſibilis. 303
Dubium 4. De extenſione ſpeciei ſenſibilis expreſſæ. 306
Dubium 5. De intenſione ſpeciei ſenſibilis. 308
Dubium 6. De cauſa materiali, & efficiente ſpeciei ſenſibilis impreſſæ. 309
Dubium 7. Quomodo concurrat ſpecies ſenſibilis impreſſa ad actum ſenſationis. 312
Dubium 8. Quæ obiecta poſsit attingere ſenſus. 313
Dubium 9. An miraculoſe notitia abſtractiva in externis ſenſibus dari queat. 315
Dubium 10. De ſenſibili communi. 316
Dubium 11. De ſenſibili proprio. 318
Dubium ult. Dubia quædam circa obiectum ſenſibile. 320

Diſputatio VI. De Potentia ſenſitiva in communi.

Dubium 1. Quid & quotuplex ſit ſenſus externus. 322
Dubium 2. Dubia quædam circa ſenſus externos. 323
Caput 7. De viſu. 325

Diſputatio VII. De Potentia obiecto, & actus ſenſitivæ potentiæ in ſingulari.

Dubium 1. De viſu. 326
Caput 8. De auditu. 332
Dubium 2. De auditu. 333
Caput 9. De olfactu. 338
Dubium 3. De olfactu. 339
Caput 10. De guſtu. 341
Caput 11. De tactu. 342
Caput 12. De communibus omnium ſenſuum. 343
Dubium ult. De guſtu, & tactu. 344

LIBER TERTIVS, De Anima.

Caput primum. 347

Caput ſecundum. ibidem.

Diſputatio VIII. De Senſu interno.

Dubium 1. Quid ſenſus internus, quod eius obiectum. 348
Dubium 2. An ſenſus internus ſit unica potentia. 350
Dubium 3. De ſpeciebus, & ſubiecto ſenſus interni. 353
Dubium 4. De appetitu ſenſitivo. 355
Dubium ult. De potentia loco motiva. 357

Diſputatio ult. De Intellectu agente, & patiente.

Dubium 1. Eſſentiam, obiectum, & ſubiectum intellectivæ potentiæ. 359
Dubium 2. De ſpeciebus impreſſis intellectus. 360
Dubium 3. An ſingularia repræſententur per ſpeciem propriam, vel per alteram. 363
Dubium 4. An ſingulare ab intellectu cognoſcatur, & an ſit primum cognitum. 365
Dubium 5. An magis univerſale prius cognoſcatur, quam minus univerſale cognitione confuſa totius actualis. 367
Dubium 6. Quomodo cognoſcat intellectus ſubſtantiam materialem, & accidentia non ſenſibilia. 369
Dubium 7. Qua ratione intellectus pro hoc ſtatu cognoſcat ſubſtantias ſpirituales, & animam rationalem. 370
Dubium 8. De actu intellectus. 371
Dubium 9. Quid ſit actus practicus, & ſpeculativus, & quî differant. 373
Dubium 10. De natura, obiecto, & actu voluntatis. 375
Dubium 11. An voluntas ferri poſſit in incognitum. 378
Dubium 12. & ult. Clauſula huius tractatus. 381

APPENDIX AD LIBROS de Cœlo, & Anima, de Meteorologicis impreſſionibus, & de Parvis naturalibus.

Diſputatio I. De Meteorologicis impreſsionibus.

Dubium 1. Meteora ex qua materia generentur. 391
Dubium 2. Quid ſit vapor, quid exhalatio. 391
Dubium 3 In quo loco generentur. 394
Dubium 4 Communia ignitis Meteoris. 396
Dubium 5. De aliquibus Meteoris ignitis in particulari. 397
Dubium 6. De Fulgure, Fulmine, & Tonitru. 399
Dubium 7 De Cometis. 400
Dubium 8. De coloribus in aëre viſis, Iride, & via Lactea. 401
Dubium 9. De terræ motibus, & igne ſubterraneo. 402
Dubium 10. De metallis, & lapidibus. 403
Dubium 11. De ventis. 404
Dubium 12. De fluminibus, atque Fontibus. 407
Dubium 13. De nive, glacie, grandine, rore, & pruina. 409
Dubium ult. De melle, ſaccaro, & manna. 410

Diſputatio II. De Memoria, & Reminiſcentia.

Dubium 1. Quid, & quotuplex ſit memoria, & quomodo differat ab intellectu. 412
Dubium 2. An omnia bruta memoriam habeant ſenſitivam. 414
Dubium 3 Quibus rebus memoria vel augeatur, vel minuatur. 415

Diſputatio III. De Somno, & Vigilia.

Dubium 1. Quid ſit ſomnus. 417
Dubium 2. Dubia quædam circa ſomnum diluuntur. 419
Dubium 3. De ſomniis. 421

Diſputatio IV. De Reſpiratione.

Dubium 1. De eſſentia, inſtrumentis, & fine reſpirationis. 414
Dubium 2. Nonnullæ prælibantur dubitationes. 416

Diſputatio V. De Iuventute, & Senectute.

Dubium 1. Aetas varia cur efficiatur. 427

Dubium 2. Problemata aliqua enodantur, 428

Diſputatio VI. De Vita, & Morte.

DVbium 1. Quid vita, quid mors ſit. 430
Dubium 2. Cor dicitur fons vitæ, problemata ad id ſpectantia. 431

Diſputatio ult. De Longitudine, & brevitate vitæ.

Dubium 1. Quæ ſint cauſæ longioris, & brevioris vitæ. 432

FINIS.

VALENTIÆ,
Per Ioannem Baptiſtam Marçal, iuxtà Templum Divi Martini,
1627.